DE STATV
HOMINIS,
VETERIS SIMVL AC NOVÆ ECCLESIÆ,
ET INFIDELIVM CONVERSIONE.

LIBRI TRES.

Authore DAVIDE CAMERARIO Presbytero Scoto.







CATALAVNI,
Apud IACOBVM THEVENYM, Typographum & Bibliopolam.
M. DC. XXVII.
CVM APPROBATIONE.

LIBER · PRIMVS.


DE STATV

HOMINIS,

VETERIS SIMVL AC NOVÆ ECCLESIAE, ET SANCTIS REGNI SCOTIÆ.

Autore DAVIDE CAMERARIO Presbytero Scoto

Ad sanctissimum D. N. Vrbanum VIII. Pont. Opt. Max.



CATALAVNI,
Apud IACOBVM THEVENIM, Typographum & Bibliopolam.
M. DC. XXVII.
Cum Approbatione.




SANCTISSIMO

DOMINO NOSTRO

VRBANO VIII. PONTIF. OPT. MAX. DAVID CAMERARIVS Presbyter Scotus in mira hac gubernandi vigilantia.

Salutem plurimam & æternam fœlicitatem.



A est nobilium indoles animorum: Beatissime Pater, *vt altissimos assequuti dignitatum gradus, arctiori complectantur humanitate illos, quos suam antea receperant in fidem ac patrocinium; maximum in imperio suo commodum alienis commodis prolixiùs inseruire posse existimantes. Videmus summa cum animi nostri lætitiâ hoc in te, in quo omnia videmus exaggeratæ virtutis ornamenta. Tuæ siquidem clientelæ creditos iampridem Scotos, ab excelso summi sacerdotij fastigio, ita foues, vt quò in altius remotiúsque ab omnibus dignitatum culmen virtute tua diuinaque magnificentia euasisti, cò propiùs ad illos accessisse videaris benignitate; hac etiam in re (vt assoles summa quæque non minùs fæliciter quàm animosè æmulari) solem imitatus, qui altissimum cœli verti-*

cem assecutus, clariùs omnia illustrat, & maximam quâ intercedit distantiam, lucis ac caloris copiâ rependit. Notum sanè est Leonem IX. pro suo in pristinam sedem à sancto Mansueto Scoto Apostolorum Principis auditore fundatam amore non Romani solum sed Tullensis etiam Episcopi nomen vsurpasse. Tu verò qui regni nostri patronum diutius egeras, non modò insitam erga nos beneuolentiam non dissoluisti, verùm inter publicam quoque mundi totius administrationem, in Scotos sæpius exhibuisti Romano vere dignam Pastore charitatem. Testes *sunt aureæ illæ voces, quibus mihi non raro significasti, libenter te de rebus Scotorum disserentem audire, vtpote qui in fide Catholica conseruanuanda olim constantissimi fuerunt, & in eadem propaganda diligentissimi. Quo tanti Pontificis iudicio ac beneuolentia adductus sum, vt meas tuo numini dicarem lucubrationes. Accipe igitur populi verè tui res gestas: videbis hic quatuordecim ipsis sæculis Scotorum in suscepta religione constantiam, ipsorum etiam Regum sanctimoniâ ac sanguine purpuratam. Videbis eorum industriam, qui in Angliam, Germaniam, Galliam, Hiberniam, lumen intulerunt, dumque antiquam regni illius pietatem aspicies, aspicies etiam miserrimam hoc tempore nostræ religionis conditionem, quæ vsque adeò tenebris obducitur, vt præter vnam,* Vrbani VIII. *clementiam, nullam agnoscat auroram ex quâ incolumitatis suæ diem sperare possit.* Vale.

IN OPVS DE STATV HOMINIS VETERIS SIMVL AC NOVÆ ECCLESIÆ, & infidelium conuerſione, Perilluſtris & clariſſimi viri D. Dauidis Camerarij.

EPIGRAMMA.



Rmatum immani proſtrauit mole gigantem
Exiguus nuda dexteritate Dauid.
Funda, lapis, teneri monſtrum domuere lacerti;
Viribus at paruis vim Deus ipſe dedit:
Sic monſtris dum bella paras, ſuccurrit Ieſus,
Speratámque pijs niſibus addit opem.
Sunt tua ſcripta manus, lapides, & funda rotata:
Hæreſis eſt Goliath, tu Dauid eſque Dauid.

G. C. S. F.

ALIVD.

EIDEM.

MIrabar, Latias aquilas cnr repulit olim
Sola Caledoniæ ſtirps generoſa plagæ,
Donec in æthereo ſolers Camerarius axe
Indigites Scotos mille vidźre dedit.
Tunc egomet mecum: ergo ſanctum Scotia cælum eſt;
Quid mirum, in Scotos ſi potuêre nihil?
O genus Heroum, ſanctorum inclita proles,
Sis quod eras qnondam (Scotia) nilque time.

L. M. G. P.


EIDEM.

DOctus piuſque iuxta Camerarius
Caliginoſa nocte ſanctimoniam
Cernens auitam ſcelerum & errorum premij
Factamque vero nomine eſſe Scotiam,
Eheu: tot olim ſplendidam virtutibus,
Stylo diſerto ſparſit vt rutila face:
Ter mille amores & patriæ honores ſuæ
Sacriſque amicam Scoticis lucem dedit.

W. C.

EPISTOLA AD LECTOREM.

DE consilio nostro in hoc opere non est, Amice Lector, quod te moneamus, cùm ex se apertum nimis, & manifestum sit. Vnum tamen in huius operis editione contigit, quod te latere noluimus, commisisse nempe nos horum librorum editionem quibusdam, qui nobis inscijs, Deum testamur, multa abstulerunt plæráque etiam addiderunt, quæ nec ablata, nec addita libenter vellemus; vt in secunda quàm meditamur editione ostendemus: inter alia, addita sunt quædam §. 1. cap. 2. partis 2. libri 1. nimis acerba, & in magnos viros, seuera; illa cùm legeris, Amice Lector, nostra ea non esse, memineris. *Vale.*




PARS PRIMA

CAPVT PRIMVM.

§. I.us

DE MVNDI CREATIONE EIVSQVE AVCTORE DEO.



VM ab omni æternitate absolutissima perpetuaque fuisset omnis fœlicitatis communicatio inter Patrem Filium & Spiritum Sanctum qui tres vnum Deum constituunt, Deus ipse nullius rei indigus, sed per se fœlicissim⁹, nulla naturę necessitate cõpulsus sed sponte & arbitratu suo mundum hunc non de hile siue materia increata vt falsò existimauit Plato, nec ab æterno vt Aristoteles eius discipulus censuit, nec denique ex atomis fortuitaue aliqua cõcursione vt Democritus, sed è nihilo hoc est ex nulla antecedẽte materia in tempore condidit. Docet hoc Catholica nostra fides, estque articulus fidei in Apostolorum Symbolo expressus, cui omnes fideles absque alia mentis agitatione subscribere tenentur, Deum scilicet vniuersi creatorem esse Pro quo etiam stat inconcussa diuinæ scripturę auctoritas tum alibi sæpè, tum Gene. 1. Deum principio cœlum & terram procreasse, suffragaturque naturalis ratio, qua remoto lumine fidei noua mundi productio probari potest. Ex eo quod si mundus re ipsa esset æternus, factę iam essent infinitę generationes & corruptiones, & ita nunc re ipsa nati essent & mortui infiniti homines vt per se manifestũ est: at si nati essent infiniti homines, iam essent actu infinitæ numero animæ rationales, eo quod illæ sint immortales etiam secundum rationem naturalẽ vt ipsemet Aristoteles qui mundi creationem in tempore negauit agnoscere & admittere visus est, vnde si mundus re ipsa esset æternus iam re ipsa esset infinitum actu in animabus rationalibus: hoc autem est contrà Philosophiam naturalem & Aristotelem qui omne infinitum actu &

simpliciter impossibile esse contendit. Adde quod cum in dies crescat animarum numerus, sequeretur dari infinito infinitum maius & quod consequens est infinitum, esse finitum. Denique vt alia omittam tam euidens est mundi in tempore productio, vt omnes penè antiqui Philosophi ante Aristotelem lumine rationis conuicti in tempore esse factum communi sensu decreuerint, vt ipsemet fatetur Aristoteles, 1. Cœli tex. 102 γενόμενον μὲν ἅπαντές εἶναί φασιν. Genitum igitur (inquit) omnes esse dicunt, supple mundum, vbi vides fateri Aristotelem se huius sententię 1m quasi auctorem fuisse, vnde & apud Hierophontē sacerdotem duplici de crimine aliquando legitur accusatus, 1. quod in Lycæo contra receptam omnium sententiam vnum esse Deū docuisset. 2. quod asseruisset mundum fuisse æternum. Sed de hoc satis.

§. 2[us]

QVO ANNI TEMPORE MVNDI CONDITOR MVNDVM PRODVXERIT.

VIdimus superiori § mundum in tempore esse productum, superest hoc § disceptandum quo anni tempore mundi conditor mundum produxerit, & quidem variæ sunt hac de re auctorum sententiæ, Augustinus enim Torniellus in Annalibus sacris veteris testamenti sequutus aliquos ex Hebręorum Rabbinis & ex Catholicis Abulensem super cap. 1. Genes. quæst. 21. Nicolaū de Lyra, Ariam montanum, & alios, existimauit mundum in autumnali æquinoctio mense Septembri conditum esse, eo quod statim initio creationis mundi fuerint poma in paradiso quæ tamen non sunt nisi in autumno, vnde inferunt hi auctores non verno sed autumnali tempore creatum esse mundum.

Ego tamen longe probabilius existimo verno tempore id est mense Martio creatum fuisse. Sensus huius nostræ sententiæ est: Solem creatum fuisse in æquinoctiali circulo, in primo gradu arietis ac proinde primum signum quod percurrit sol, & à quo initium fecit dierum, mensiū, & annorum fuisse signum arietis, atque ita primū mensium fuisse eum, quē modo appellamus martium; Traditur hæc nostra sententia ab omnibus fere ss. PP. & scriptoribus Ecclesiasticis, Athanasio in responsione ad quæst. 17. Anthiochi, Basilio in hexameron Gregorio Nazianzeno in oratione in nouā dominicā, Cyrillo Hierosolimit. catechef. 17. Damasceno lib. de fide ortodoxa cap. 7. Synodo Palæstina à Theophilo episcopo Cæsariensi iussu Victoris Papæ congregata. Et ex Latinis à sancto

Leone Papa sermon. 9. de Passione. Domini, sancto Isidoro lib. 5. Etimot. cap. de temporibus, Rabano Mauro super Exod. cap 12. in libro de ratione temporum cap. 28. & 40. Sed neque hoc tantum Patribus visum est, sed antiquis etiam Astrologis, qui propterea solarem motum à principio arietis auspicantur, imò & Pœtis quorum inter latinos princeps Virgilius 2. Georgic. ita cecinit.

Non alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Accedit his omnibus ratio ipsa nostram sententiam valde confirmans, quia inde decebat mundi nascentis exordium sumi, vnde commodior rebus generandis ac conseruandis temperies haberetur, talis autem maxime est verna temperies, in qua etiam deinceps initium semper fuit omnium generationum, incipiunt enim omnia verno tēmpore germinare ac florere, suosque fructus fundere, vt nemini sit dubium istud tempus rebus generandis ac fouendis aptissimum esse, Decuit igitur tali tēpore mundum creari; *Decebat enim* (inquit Ambrosius lib. 1. hexam. cap. 4.) *inde capi mundi exordium vbi erat opportuna omnibus verna temperies &c. Decebat scilicet principium anni principium esse generationis, & ipsam generationem melioribus auris foueri, neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris aut torrentis æstus iniurias sustinere.* Hæc ille ex quibus nouam nostræ sententiæ probationem colligo, nam credibile & rationabile est res omnes recurrente anni circulo inde principium nouæ generationis resumere vnde primum diuinum præceptum acceperunt, Genes. cap. 1. Versu. 11. *Germinet terra herbam virentem & facientem semen & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum;*

Cum ergo cernamus recurrente vere initia generationum instaurari, omnino credibile est inde primam generationem incœpisse. *dedit ergo* (inquit Ambrosius) *formam fructus annorum curriculis, mundi primus exortus, vt ea lege annorum vices surgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra noua seminum genera quo primum Dominus Deus dixerat, germinet terra herbam. &c.*

Tandem roboratur nostra sententia quia rationi consonū valde est eo mense mundum creatum esse, quo est reparatus, initio autem verni temporis inchoata & perfecta reparatio est (initio enim veris Christus carnem in vtero virginis assumpsit, & eodem tempore sanguinem in

cruce profudit) igitur etiam credibile est eodem verno tempore mundum fuisse creatum. Adde quod Exod. 12. præcepit Deus Israelitico populo exeunti ex Ægypto vt à mense martio sumptum esset anni initium, sed quia Israeliticus ille populus quamdiu fuerat in Ægypto more gentis solitus erat ab autumno anni principium facere, ideo iussi sunt pristinam consuetudinem repetere eamque in omne posterū tempus conseruare. Hoc igitur præcepto Deus docere voluit mensem martium esse verum anni initium ac proinde tali mense primò mundum esse creatum. Atque hæc breuiter in nostræ sententię confirmationem dicta sufficiant.

Superest vt ad aduersæ sententiæ fundamentum respondeamus responsio autem duplex esse potest 1. multas arbores etiam verno tempore fructus producere, vt ficus & similes arbores, quarum omnium fructus more loquendi scripturæ poma nominantur, vnde valde communis sententia est primos parentes esu ficuum peccasse. 2. spectasse ad diuinam prouidentiam vt quandoquidem homines tunc non vescebantur carnibus iam inde a principio mundi fructus quosdam produceret quibus alerentur verum ad hoc non fuit necessarium mundum in autumno creari.


Sed quæres quonam die creatus fuerit mundus? respondeo creatum fuisse die quem nos dominicum vocamus: deducere hoc mihi videor ex Moysis historia Gen. 1. vbi habetur Deum sex diebus perfecisse creationem mundi & septimo quieuisse: dies autem septimus quo quieuit fuit dies Sabbathi. Nam Iudęis præceptum est vt abstinerent ab omni opere die Sabbathi, eoquod illo die requieuisset Deus ab opere suo, Creationis scilicet mundi, vt habetur. Exod. 12. non quod Deus quasi defatigatus indiguerit quiete sed quia cessauerit nouas rerum species in mundo producere. quod si dies septimus in quo Deus cessauit ab opere fuit dies sabbathi consequens est die dominico mundi creationem incœpisse, & ita receptum videtur ab Ecclesia affirmante eodem die creatum esse mundum quo Christus a mortuis resurrexit, ita enim canit.

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus
Vel quo resurgens conditor
Nos morte victa liberat.

Constat autem Christum Dominum resurrexisse die dominico, immo non aliunde quàm à resurrectione Domini dies iste dominicus dictus est. Igitur etiam mundus eodem die, hoc est die dominico creatus est.

§. 3us

AN MVNDVS SIT CREATVS SPATIO 6. DIERVM VBI ETIAM DE HOMINIS CREATIONE.



X dictis superiori §. facile colligi potest mundum non esse creatum in instanti vt sibi persuasit S. Augustinus 1. de Genesi ad literam: qui senarium illum dierum numerum quo narrat Moyses mundum esse creatum traducit ad mysticas interpretationes & varias Angelorum cognitiones, nam quamvis dubium non sit quin Deus potuisset vnico instanti totam mundi creationē facere, tamen nimis clara & aperta est Moysis historia, vt minimè conueniens & opportunum sit eam ad occultos & mysticos sensus traducere & detorquere, vnde Augustino contradicitur vulgo ab omnibus qui eodem consensu varijs rationibus ostendunt Augustini sententiam non posse cum historia sacra conciliari. Nobis hoc loco sufficiat argumentū superiori § ex diuino præcepto Exod. 20. petitum, nunquam enim præcepisset Deus Sabbathum obseruari aut certè pro ratione suę voluntatis nunquam addidisset, quod Deus eo die ab omni opere quieuisset, nisi ad literam Moysis historia accipienda foret, & sex diebus mundi creatione ad finem perducta septimo die, id est, Sabbatho quieuisset, aliter enim intelligi meritò nō potest quomodo ideo sanctificari debeat Sabbathum quod ideo quieuisset Deus ab omni opere quod patrarat. Tenendum igitur absque vlla dubitatione est, mūdum sex diebus fuisse creatum, septimoque nempe Sabbatho Deum ab opere cessasse, ac proinde creationem die dominico inchoasse.

Quod ad seriem & ordinem creationis attinet sic se habet; Primo die fecit Deus lucē virtute cuius tenebras effugauit, die vero secundo firmamentum in medio aquarum constituit, quo aquas superiores ab inferioribus diuisit, aquas die tertio in locum vnum coercuit, & aridam apparere mandauit & aridam vocauit terram, aquas autem quia cōgregatas maria nominauit. Postea autem incœpit terra herbam virētem & ligna fructifera germinare lignaque & herbæ cœperunt fructus & semina procreare. Deinde die quarto Deus duo luminaria magna in firmamento posuit: duoque luminaria magna, scilicet Solem & Lunam, vt alter diei altera nocti pręesset, formauit, quinto vero die in aquis creauit pisces. qui in aqua remāserunt, & volucres qui sursum ad aera volauerūt, sexto

autem die Deus in terra iumenta, reptilia, & bestias, tandemque hominem creauit, ipsumque in paradiso locauit, & sic sex diebus sua opera consummauit, & mundum secundum creaturarum distinctionem formauit, septimo die legitur quieuisse. Hæc breuiter de ordine creationis de qua variæ solent à sacræ scripturæ interpretibus excitari quæstiones eæque grauissimæ, quæ videri possunt apud Beccanum de opere sex dierum, Valent. tom. 1. Ludouicum Molinam in opere sex dierum Cornelium à lapide, Benedictum Pererium, Delrium, & alios. Nos igitur ijs omissis hoc loco de hominis tantum creatione disseremus.

Hominem germen immortalitatis, delicias orbis terrarum, nexum, perfectionem ac finem omnium creaturarum, imaginem & similitudinem diuinæ maiestatis, filiumque omnipotentis Dei & hęredē thesaurorum eius Deum optimum max. Sexto die post omnium animalium irrationabilium creationem fecisse, constans est Christianorum consensus. Magnum planè opus, neque enim vlla res est in ijs omnibus quę sub aspectum cadunt, in qua plura diuinæ maiestatis attributa se prodant, nullaque magis quæ magis vel ipsos Angelos eam contemplantes mouere ad admirationem queat. Atque vtinam cum in honore esset, intellexisset, non comparatus esset iumentis insipientibus, & similis illis factus esset, qui similis & subpar conditus fuerat Angelorum. Vidit De⁹ (inquit sacer textus) die sexto post animalium terrestrium creationem, quod esset bonum, & ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs vniuersæ terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.* Quibus verbis duo continentur, vnū quod pertinet ad suscepti operis gloriam, alterum ad Dei opificis maiestatem. Est enim hoc quasi Dei consilium & deliberatio quædam super opere præstantissimo perpetrando qui tamen in cętera molitione rerum nuda iussione contentus fuit, vt egregiè post Origenem notauit sanctus Ioannes Chryso. *Vidisti* (inquit) *sermone solo & præcepto omnē creaturā 5. diebus formari? vide hodie quanta verborū diuersitas, non enim iā dicit fiat homo, sed quid? faciamus hominem secundū imaginem nostram & secūdum similitudinem. Quid hoc noui? quid rari? quis nam ille qui formandus? ad quem faciendum opifici tanto consilio & circumspectione opus? ne mireris dilecte, homo enim inter visibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita sunt hęc omnia Cœlum, Terra, Mare, Sol, Luna, Stellæ, Reptilia, lumen, brutaque Animalia.* Et mox, *Figura verborum declarare voluit, quem excellentem honorem homini qui formabatur impendat.* Quod ad alterum attinet: Notatur hic locus à ss. PP. tanquam sanctissimæ Trinitatis illustre testimonium, proposuit enim Pater

hom. 8.

æternus quid facturus esset cum filio suo magni consilij Angelo per quē facta sunt omnia, & Spiritu sancto qui bonitatis suæ thesauros in hominem præ cæteris animantibus, erat effusurus. Nunc videamus quid fecit. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.* Hæc summatim de hominis creatione, sed mox distinctius de corporis formatione & animæ productione. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Ne autem mulier minus viro suo habere videretur, de eius etiam creatione diuinum cogitur consilium. *Adæ vero* (inquit) *non inueniebatur adiutor similis eius*, in omnibus videlicet animantibus creatis. *Dixit quoque Dominus Deus non est bonum esse hominem solum faciamus ei adiutorium simile sibi, Immisit ergo Dominus soporem in Adam cumque obdormisset tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem & adduxit eam ad Adam.* Hæc sunt quæ de primorum parentum productione Moyses tradidit, cuius occasione possent plurima disputari, quia tamen commodius tractabuntur sequenti § ijs relictis superest hoc hoc loco discutiendum vbi & in quanam hominis ętate ac corporis constitutione creatus fuerit Adam, & quidem de loco hoc solum affirmare possumus non fuisse in terrestri paradiso plasmatum, nam Genes. cap. 2. versu 13. hæc habentur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, &c.* Si igitur Deus tulit seu transtulit vtique de loco in quo eum creauerat, transtulit in paradisum voluptatis, & consequenter non in ipso paradiso sed alibi illum creauerat; vbi vero non exprimitur in sacris literis, communiter tamen creditur quod in agro Damasceno qui a Mesopotamia in qua paradisum terrestrem communius & probabilius ponunt auctores, non valde admodum aberat. Quod vero attinet ad ætatem, existimo in ætate virili & perfecta creatum fuisse, nā sicuti Deus plantas & animalia omnia non paulatim, vt fit naturaliter, singula ad perfectum propriç naturç statum perduxit, sed illico quaque in suo genere procreauit: ita etiam hominem non in puerili aut infantili, sed in virili ætate, eaque perfectissima fecisse procul dubio credendum est. Et quidem cum Adamo & Æuç tunc a Domino dictum sit *Crescite & multiplicamini, &c.* oportet illos ex tunc ad minus iam fuisse adultos & ad generandum aptos. Quęnam autem fuerit propria Adami ætas quando creatus est, plenè exploratum haberi non potest.

§. 4.us
DE DIGNITATE HOMINIS CREATI TAM QVO AD ANIMAM QVAM QVO AD CORPVS.

Cognitio humanę dignitatis quam hoc in loco inquirimus: nihil aliud est quam perfecta & exquisita quædam cum animæ tum corporis notitia, quæ latitudine sua & complexu, tam huius quam illius perfectiones & dignitatum ornamenta complectatur & ambiat, quam quidem scientiam ex parte eius aliqua naturales intellectus nostri vires nobis pariunt, plenius autem & perfectius eam Christianæ fidei cœlitus immissum lumen patefecit & exposuit. Vt enim præclare Augustinus: *Non noueramus nisi nasci hominem & mori: resurgere hominem & viuere in æternum, non noueramus: suscepit* (nimirum Christus) *quod noueras & demonstrauerat quod non noueras.* Nobis igitur (vt earumdem partium perfectionis rationem magis exploratam habeamus) de vtriusque bonis tâm fidei lumine quam naturali ratione notis, summatim agendum est. Atque cum nobilitatis habenda sit ratio primo loco de ipsa anima tractandum. Et maximum quidem animæ ornamentum quod nobis in anima se se considerandum offert, est Dei in ea imago quam ad solum hominis animum pertinere præclarè post Patres docet Vestonus. Est igitur homo imago vel similitudo Dei, eaque non corporalis, sed spiritalis. Rursus hæc duplex, altera naturalis, altera supernaturalis. Naturalis quatenus animus noster incorporeus & indiuiduus, immortalis, intellectu & voluntate præditus, libero arbitrio pollens, capax sapientiæ, virtutis, diuinæque gratiæ, ac gloriæ, cunctorumque animalium dominus, ac præses est: quæ rationes desumptæ sunt è sanctis Patribus; quamuis illi vnam, aut alteram dumtaxat ad rationem imaginis declarandam attulerint: & hæc ratio imaginis cum sit connaturalis homini, peccato eiusdem hominis nequiuit adimi & aboleri, nisi homo esse desineret. Porro secundum animam multiplex ratio apparet, vt ad imaginem & similitudinem Dei efformatus homo videatur vt disertissimè prosequitur Ambrosius tract. de dignitate hominis cap. 2. in hunc modum. *Hæc imago diligentius ex interioris hominis nobilitate est consideranda, 1. quidem quod sicuti Deus vnus semper & vbique totus est omnia viuificans mouens & gubernans: sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens, gubernans, nec enim in maioribus corporis sui membris maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago*

unitatis

in Psal. 60.

Libro de triplici hominis officio.

vnitatis omnipotentis Dei quam anima habet in se. Est enim ea Trinitatis imago, licet enim vnius illa sit naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem & memoriam. Atque in his tribus Dei imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere conditorem, vt in quantum intelligitur diligatur, & quantum diligitur in memoria habeatur, vt sicut non potest esse momentum quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia, ita nullum debeat esse momentum quo præsentem eum non habeat memoria, idque in Euangelio Mathęi 22. designatur, cum dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, id est, ex toto intellectu & ex tota voluntate & ex tota memoria. Ad hæc pete ex Theologia diuinas processiones in hominis anima mirabiliter adumbrari: vt enim Pater seipsum, ac suam omnem perfectionem intelligens per intellectum producit verbum, imaginem, & quasi conceptum sui qui secunda persona dicitur. Deinde Pater & Filius verbum suum, inuicem sese amando per voluntatem spirant amorem notionalem qui dicitur Spiritus sanctus, nec vltra in diuinis ad intra vlla alia intelligitur productio: sic vbi se anima intelliget verbum sui, imaginemque producet per intellectum, & per voluntatem vbi se amabit, spirabit amorem sui. In vtraque enim actione productus existit terminus, verbum, & amor. Tametsi hoc inter alia intererit, vtrobique discrimen, quia in anima propter sui imperfectionē multa sunt accidentia, vt sunt etiam illi duo termini productionum, verbum & amor: at in diuinis, cum nec imperfectio vlla, nec aliquid accidentium effingi queat, sed quidquid in Deo est, substantia, essentia, Deus sit: consequenter & verbum à Patre se intelligente productum, & amor ab eodē Patre, verboque inuicem amantib⁹, spiratus Deus est. Ac sicut in diuinis ad intra, sic ad intra in anima seipsam & intelligente & amante concipi non possunt plures quam illæ duæ productiones. Sed hæc subtiliora Theologis relinquamus.

2. Supernaturalis vero imago, est accidentalis gratiæ & iustificationis quæ in patria perficietur, & consummabitur, quatenus pro libertate arbitrij potest in hac vita amitti, licet possit iterum accipi & restaurari. De qua secunda ratione imaginis dixit Paulus: *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Vbi D. Thomas explicat, quod cum omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, oportet vt qui vident Deum, aliquo modo assimilentur Deo. Et iterum idem Paulus dixit: *Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum ho-*

2 ad Cor. 3.

ad Ephes. 4.

minem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, id est, sanctitate vera in qua similis Deo, conditus est Adam. Videndus in hanc sententiam D. Ambrosius tract. citato cap. 3. qui sic effatur: *Sicut Deus creator, qui hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus & iustus, patiens atque mitis, mundus & misericors, & cætera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur, ita homo creatus est, vt charitatem haberet, vt bonus esset & iustus, vt patiens atque mitis, mundus & misericors foret, quas virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem, &c. Qui maior honor potuit homini esse, quam vt ad similitudinem sui factoris conderetur, & iisdem virtutum vestimentis ornaretur quibus & conditor; de quo legitur, Dominus regnauit decorem indutus est, id est, omnium virtutum splendore & totius bonitatis decore ornatus. Vel quod maius homini potest esse dedecus, aut infœlicior miseria, quam vt hac similitudinis gloria sui conditoris amissa ad informem & irrationabilem Brutorum iumentorum delabatur similitudinem?* iuxta illud psalmistæ. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quantum vero suę dignitatis conscius ac memor secundum essentialem Dei in seipso imaginem, ne à suo prototypo aberret, ac degeneret, & quantum vigilans eiusdem conseruator secundum accidentariam similitudinem homo esse debeat, luculenter docet Diuus Ambrosius 6. Hexam. cap. 7. vbi sic hominem alloquitur: *Tibi homo attende, & te ipsum scito, hoc est non quales lacertos habeas non quantam corporis fortitudinem non quantas possessiones, quantam potentiam, sed qualem animam ac mentem, vnde omnia consilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur. Illa est enim plena sapientiæ, plena pietatis atque iustitiæ, quoniam omnis virtus à Deo est, cui dicit Deus: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Illa anima à Deo pingitur quæ habet in se virtutum gratiam renitentē splendoremque pietatis, illa anima bene picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies, illa anima bene picta est in qua est splendor gloriæ & paternæ imago substantiæ, secundum hanc imaginem quæ refulget pictura pretiosa est Adam ante peccatum: sed vbi lapsus est deposuit imaginem cœlestis, sumpsit terrestris effigiem.* Hæc Ambrosi⁹. Ex his verbis colliges (quod etiam commune est inter Patres & Doctores) imaginem & similitudinem Dei accidentalem quęque assumi deponique potest, esse gratiam iustificantem per quam homo fit diuinæ consors naturæ, vt loquitur D. Petrus. Huius ego hominis animæ in statu gratiæ sanctificantis dicitur à Domino, quod deinde cap. 8. repetit D. Ambrosius: *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos*; Valida se asserens homini murorum dedisse præsidia, vt


si peruigil speculator in portis sit, obsidionis possit periculum propulsare. Habes in Isaiæ 27. quia iusti anima dicit: *Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa*: munita per Christum, obsessa per diabolum. Sed non debet obsidionem vereri, cui Christus adiutor est, munitur enim gratia spiritali & sæcularibus periculis obsidetur. Cognosce ergo te decora anima, quia imago Dei es. Cognosce te homo qui gloria es Dei. Propheta dicit: *Mirabilis facta est cognitio tua ex me*, hoc est, in meo opere, tua mirabilis facta est maiestas, in consilio hominis tua sapientia prædicatur. Dum me intueor, quem tu in ipsis cogitationibus occultis, & internis affectibus deprehendis, scientiæ tuæ agnosco mysteria. Cognosce ergo te ô homo quantus sis & attende tibi. Atque hæc de animę dignitate dixisse sufficiat. Alia enim quæ de ipsius immaterialitate, immortalitate & natura, intellectus, voluntatis & memoriæ, alijsque similibus dici possunt, passim apud auctores inuenies. Videri possunt D. Ambrosius locis citatis D. Basilius homil. 10. de hominis dignitate. Salianus, & Torniellus in Annalibus veteris testamenti, vbi agunt de creatione hominis & Vestonus de triplici hominis officio.

Iam quod ad corpus attinet, præter omnia illa ornamenta quæ nunc quoque in humanis corporibus cernuntur, nobilitatis, pulchritudinis, roboris, staturæ, complexionis, optimæque dispositionis organorum, vt posset egregiè functionibus animi famulari, aliud etiam additum est, quod pene his omnibus preponderabat impassibilitas videlicet atque immortalitas. Et quidem immortalitatem homini a Deo concessam fuisse scribit Sapiens sap. 2. versu 23. Nobilitas certe terreno corpori maior optari non poterat, quam habere architectum & factorem ipsum Deum: nulla gloriosior affinitas quam animæ rationis compoti, quę imaginem Dei indelebilem ferat esse quasi coniugio longe iucundissimo atque inseparabili copulatam: nulla pulchritudo maior Adamo, quam vt illi simillimus esset, qui fuit speciosus forma præ filijs hominũ. Quantũ vero fuerit eius robur, quæ firmitas laterum, quis neruorũ vigor, docet nongentorũ & triginta annorum ætas. Statura non solum recta fuit & cœlũ spectans vt eleganter his versibus expressit Ouidi' 1. Metamorphoseon.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Sed etiam celsa atque erecta qualem decebat imperatorem orbis terrarum vt egregiè significat S. Gregor. Nyssen. lib. de opifice hominis, cap. 4. Iam illa attemperata humorum proportio si qua vnquam excel-

lens in aliquo mortalium fuit, in primo certè atque secundo Adamo fuit quoniam vterque habuit immediatum fabricatorem Deum, cuius omnia perfecta sunt opera. Denique neque id dubitandum videtur, quin organa externis internisque sensibus necessaria perfectissimè digesta essent, vt quæ diutissimè vitæ functionibus rectè cõstanterque obeundis seruire oportebat. Quę tamé necesse erat tandem aliquando marcescere & in interitum vergere propter elementorum inter se pugnantium cõiunctionem, nisi Deus illum singulari munere immortalitatis quę maxime esu pomi vitalis arboris constabat, ab interitu vindicasset, vt propterea istiusmodi immortalitatis non esset impotentia moriendi qualis est in rebus spiritalibus, sed potentia non moriendi. Et hæc de corporis dignitate, quibus quãuis multa addi possent breuitatis tamen causa omittim⁹. Videri possunt præter supra citatos Philo de fabrica mũdi, Hip. de hominis structura, Galenus, de vsu partiũ. Melesius de natura hominis, Lactãtius de opificio Dei, Granatensis lib. 1. in Symb. Andreas Vesalius, Ludouicus Molina, Benedict⁹ Pererius, Cornelius à lapide, & alij.



CAPVT SECVNDVM.

§. 1us.


DE HOMINIS IN PECCATVM LAPSV.

EGIMVS huc vsque de mundi huius & hominis creatione, eiusque dignitate: videndum iam nobis est, quomodo ingratus homo erga Deum creatorem suum se gesserit, qui tot tantisque beneficijs ab eo acceptis cum vnicum dumtaxat præceptum positiuum, scilicet abstinendi à ligno scientiæ boni & mali, ab eodem Deo in recognitionem supremæ potestatis suæ accepisset, ne illud quidem obseruare, neque creatori suo, in re præsertim tam facili obedire sustinuit. Etenim Æua primum serpentina ac diabolica calliditate insipienter decepta, deinde Adam quoque, vxori suæ nimium credulus, de vetito ligno degustantes, seipsos sobolemque suam vniuersam in mala innumera præcipitauerunt. *Peremptores prius hominum quam progenitores effecti*, vt pulchrè Bernardus. Casum hunc, etiam nunc cunctis hominibus deplorandum sacra describit historia, Genes. 3. Est autem talis. Tentauit Satan Æuam, primo per se ipsum subtili quadam suggestione in ea excitando desiderium omnimodæ libertatis edendi de quolibet paradisi

ligno & quod hinc sequitur quandam etiam diuinæ prohibitionis displicentiam. Deinde medio serpente eam illis verbis interrogauit: *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi?* vt quidnam interna illa suggestio operata esset cognosceret. Vt autem illa respondit, imperasse illis Deum ne de ligno in medio paradisi existente vescerentur, & ne illud tangerent, ne fortè morerentur, intellexit diabolus, iam aliqualiter Æuæ displicere cœpisse Dei præceptum, quod clarè indicabant verba illa per exaggerationem addita: *& ne tangeremus illud,* (nihil enim tale dixerat Deus) & insuper vidit eam circa futuram pœnam transgressoribus indictam dubitare, *ne forte* (inquit) *moriamur,* non obstante quod Deus absolutè & simpliciter pronuntiasset: *in quacunque hora comederitis, moriemini,* Itaque iam pœne victor dæmon audacter hæsitationem excutit, & timorem mortis: displicentiã verò præcepti, per calumniam, vsque ad præcipientis odium conatur augere, quasi is inuidia in ipsos motus scientia vehementer desiderabili, priuare ipsos voluerit. *Nequaquam* (inquit) *morte moriemini, scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Quæ verba, si quis ea diligenter perpendebat, sophistica, ambigua, & fallaciæ plena sunt, serpenteque digna, vt hinc discere liceat, diabolum fuisse primarium sophisticarum deceptionum inuentorem, eique propterea antonomasticè cõuenire illud Ecclesiastici, *qui sophisticè loquitur odibilis est.* Siquidem æquiuocando, cuncta cõfundit, dum alio sensu loquitur *versipellis,* & alio sua dicta intelligi curat, nam quod ait, *nequaquam morte moriemini,* verum quidem est, si de subitanea morte corporali accipiatur, (multum namque post peccatum superuixerunt) falsum tamen erat, quod ipse volebat intelligi, videlicet quod statim vita animæ, quæ Dei gratia est, non essent priuandi, & quod nunquam immortalitatem corporis, quam à Deo acceperant, amittere possent. Hinc patet quam verè de diabolo dixerit Dominus: *Non est veritas in eo: cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur quia mendax est, & pater eius,* nempe mendacij. Nam & ea quæ sequuntur: *scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri:* manifesta continent mendacia, ingentemque blasphemiam in eo sensu accepta, quem diabolus mulieri persuadere intendebat. Sciebat enim nequissimus, illam oculorum apertionem non ad eos beatificandos, sed ad eos confundendos esse directam, quemadmodum re ipsa euenit, quando post lapsum se nudos conspexerunt his igitur captiosis verbis decepta mulier dat manus anhelãs ad illam omni contentione expetendam Dei similitudinem, ad expetitã

Io. 8.

libertatem, ad insolitam illam oculorum claritatem, ad scientiam boni & mali. Aufert de fructu arboris & comedit viroque suo comedendum tradit, qui pariter ad vxoris exemplum comedit; sicque vterque peccatum inobedientiæ consummatum admisit, peccatum inquam, grauissimum tum ob magnam facilitatem non peccandi, tum ob magnã rationem etiam non peccandi propter tam ingentia beneficia recens à Deo accepta, & magnam pœnam peccanti propositam perniciemque in totũ humanum genus diffundendã. Sed nostri instituti non est hæc pluribus hoc loco disputare. Videri possunt Benedictus Pererius, & Corneli⁹ à lapide, ille lib. 6. Cõmentariorum in Genes. á principio, hic vero in cap. 3. Genes. qui preclarè multa de hoc Adami peccato ijsq; quæ postea acciderũt disputant. Hæc igitur dixisse sufficiat de tẽtatione & lapsu primorum parentũ. Restat aliquid de pœnis primis parẽtibus eorũque posteri tati propter hoc peccatum inflictis sequenti §. disceptandum. Sit igitur.



§. 2us.

DE POENIS PRIMIS PARENTIBVS EORVMQVE POSTERITATI PROPTER PECCATVM INFLICTIS.

PEccatum primorum nostrorum parentum ob varias causas grauissimum fuisse in fine superioris § diximus, inter alias propter pœnam peccanti propositam perniciemque in vniuersum humanum genus ex peccato diffundendam, Reliquum est vt hoc loco aliquid de his peccati pœnis dicamus.

Et quidem prima & omnium princeps, latissimeque patens, fuit amissio iustitiæ originalis, quæ vt Adamo totique posteritati data erat ita eius priuatio omnes constituit peccatores: porrò hæc iustitia originalis non erat simplex aliqua qualitas, sed continebat varia dona supernaturalia, quorũ aliqua erant in anima eiusque potentijs, aliqua in corpore: nam in anima erat gratia gratum faciens: in intellectu, fides: in voluntate, spes & charitas: in appetitu sensitiuo diuersi habitus; qui illum rationi subijciebant: denique in corpore qualitas quædam supernaturalis, quæ ipsum à morte & alijs nocumentis præseruabat, aduincta tamen externa Dei protectione. Omnia autem dona hæc nobis per Adami peccatum sublata sunt, quamuis in ipso Adamo manserint fides & spes. Secunda pœna & quæ ex substractione iustitiæ originalis sequitur in animæ potentijs, est ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, con-

concupiscentia in appetitu concupiscibili: infirmitas in appetitu irascibili. Et hæc sunt quatuor vulnera quæ dicuntur esse inflicta naturæ humanę per peccatum Adami. Quod autem vulnera hęc ex substractione iustitię originalis sequantur: inde probatur, quia iustitia originalis efficiebat vt omnes potentiæ animæ essent bene dispositæ & ordinatæ, substracta vero iustitia statim subsequutæ sūt prædictæ imperfectiones. At inquies istæ imperfectiones naturales sunt, & fuissent etiam in statu puræ naturæ; Quomodo ergo sunt effectus peccati & vulnera per peccatum inflicta? Respondeo esse quidem naturales sed tamen per iustitiam originalem sublatas fuisse, & quia per peccatum iterum reuixerunt, ideo dicuntur esse effectus peccati.

Tertia pœna effectusque peccati actualis primi parentis & qui etiā ex originalis iustitiæ substractione sequitur in corpore, est mortalitas, morbus, mors, & alij defectus corporales quos patimur: qui quamuis sint etiam quodammodo naturales tamen per iustitiam originalem fuerunt penitus sublati, & quia postea per peccatum redierunt dicuntur esse effectus peccati. Et ex his datur intelligi quomodo capiendum sit quod ait Concil. Trident. sess. 5. totum hominem secundum corpus & animam per Adami præuaricationē in deterius esse mutatum: hoc enim verum est quia amisit iustitiam originalem, & sic in omnes istas corporis & animi enumaratas miserias incidit.

Præter hos tres effectus peccati primi parentis qui in nobis sunt, sunt etiam alij extra nos vt ira Dei, captiuitas sub diabolo, crudelitas hominum in alios homines, inimicitia & rebellio bestiarum; denique omnia mala quæ à cœlo, mari, terra, cæterisque elementis patimur. His omnibus addunt nostri temporis hæretici amissionem liberi arbitrij, sed eos hac in re insanire fauente cœlo lib. 3. ostendemus.

Quæres cum Deus hæc omnia mala pręuiderit ex peccato sequutura cur primis nostris parentibus præceptum iniunxerit permiseritque eosdem præuaricari & seipsos prolemque suam in tot tantaque mala præcipitare? Respondeo causam huius permissionis fuisse ipsorum ingratitudinem, siquidem nusquam legitur quod quando creati sunt & in terrestri paradiso positi, & cunctis animantibus dominari cœperunt, & de omnib⁹ terræ fructibus nullo ipsorū labore ipsis prouisū fuit, debitas de his Deo gratias egerint, neq; quod in Dei laudes, vt par erat proruperint. Propterea sicut ad Rom. 1. Vers. 21. & deinceps de Ethnicis & infidelibus dicitur: *Quia cum* (subaudi lumine naturali) *cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*: post pauca subiūgitur *propter*

quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. hoc est, vt ibidem præclarè interpretatur T l.mannus, permisit illos Deus pertrahi à concupiscentijs praui affectus . i. Et paucis interpositis, *& in passiones ignominiæ & in reprobum sensum, &c.* ita & de nostris primis parentibus dici potest, quod quia Deo ingrati fuerunt nec pro tam immensis beneficijs ei debitas gratiarum actiones rependerunt, ideo iusto Dei iudicio permissi sunt ab infernali serpente decipi, & vnicum quod a Deo acceperunt præceptum violare, inque malorum profundum ruere. Ita ratiocinatur Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 39.



CAPVT TERTIVM.

§. 1us.

QVÆNAM ORIGO ET CAVSA FVERIT IDOLOLATRIÆ? QVID PROPRIE SIT? ET QVANDONAM EXORTA?

IGNORANTIAM effectum esse peccati primorum parentum ex superioribus palam est, inque illam idcirco & meritò pœnam delinquentes incidisse dubium non est propter insignem illam arrogantiam, & non nisi cum stultitia singulari coniunctam nequitiam qua ad scientiam boni malique præpostera quadam cupiditate, adspirare voluerunt. Vnde sicut in nauis celeri cursu ad cautem allisæ illę pręsertim partes dissiliunt comminutæ, quæ cursui vel maximè inseruiunt: ita in ipsis animus ad peruersum quid delatus, in ipso intellectu perpessus est grauissimum malum: cuius præsertim opera vitę administratio perficitur. Ex hinc in ciuilibus stultitia; in Physicis tarditas, in Theologicis error. Et quæ quæso maior & crassior in Theologicis & diuinis rebus (vt Physicas & ciuiles relinquam) ignorantiæ nebula hominū animos incellere potuit quam sibi similes in Deorum numerum referre & bruta animantia similiaque multa pro Dijs habere, quod ex Dei ignoratione cum stupiditate mentis coniuncta & quòd hinc sequitur ex nimio erga creaturas affectu ortum habuit, vt docet Sapiens cap. 14. Versu 15. *Acerbo luctu* (inquit) *dolens Pater cito sibi rapti filij fecit imaginem & illum qui tūc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, &c.* & cap. 13. Versu 1. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de ijs quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum. aut citatum aerem,*

aerem, aut girum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt: quorum si specie delectati Deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Ex his ergo constat Dei ignorationem cum mentis stupiditate coniunctam causam & originem dedisse idololatriæ & ob hanc ignorantiam facile fieri potuit vt specie ipsa creaturarũ tanquam muscipula insipiens animus caperetur. Non equidem affirmo hanc esse adæquatam idololatriæ causam, scio enim etiam huius flagitij originem esse diabolum, diuinitatis ab initio æmulum, callidus enim serpens dum in simulachris vel per responsa vel per varia facinora motales illudit, sua Deum gloria priuare, eamque sibi vendicare intendit, & modis omnibus contendit. Vide Lactantium lib. 2. de Orig. error. cap. 17. Nazianzen. oratione 2. de Theol. quo factum est tandem vt omnes dij gentium fuerint dæmonia Psal. 95. 5. Atque hęc de origine & causa idololatriæ, Iam quid illa sit breuiter est explicandum.

Est autem idololatria si vocem spectes idolorum cultura, si rem ipsam vel vsum est abominabilis ille cultus quo honor soli Deo debitus sacrilegè tribuitur creaturæ: ita Apostolus: *Qui commutauerunt* (inquit) *veritatem Dei in mendacium, coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori qui est benedictus in sæcula.* Ad Rom. 1. Est enim λατρεύειν Theologicè loquendo, honorare seu adorare diuinitatem, eo cultu, qui soli Deo conuenit: λατρεία vero est summus ille cultus, vel vt breuiter S. Ambrosius *honorificentia Dei quam idololatria vsurpat & creaturæ vendicat.* Ad rationem ergo idololatriæ duo requiruntur; vnum vt quod honoris & cultus creaturæ tribuitur, id vni Deo debitum sit, alterum vt ille honor diuinus ita impendatur creaturæ, sicut eum Deo impendi oporteret, si alterutrum, vel vtrumque desit idodolatria non erit. Ex hac idololatriæ definitione euidens redditur quam ineptè Nouatores velint idololatriam propriè esse omnem cultum etiam veri Dei qui sine Dei verbo & mandato vsurpatur etiamsi vsurpetur cum intentione colendi verum Deum, Quam doctrinam habet Stigmaticus Perfuga Ioan. Caluin⁹: Lib. 1. Instit. cap. 11. vbi absurdissimè contendit Iudæos cum adorarent in deserto vitulum, non creaturam aliquam sed Deum ipsum verum in simulachro visibili voluisse adorare, & ideo commisisse idololatriam. Eandem doctrinam habet Melanc. in locis communibus tit. de Ceremonijs in Ecclesia vbi definit cultum Dei hoc modo. *Cultus Dei est opus mandatum à Deo, sub certo Dei testimonio institutum quo Deus pronuntiat se honore affici.* Vult ergo Melanchon ad verum Dei cultum requiri ipsius Dei mandatum in scripturis expressum; mandatum hoc nisi habueris, quantumuis verum Deum colere

intenderis, non verus Dei cultor eris sed Idololatra.


Verum reijcitur insana hæc Nouatorũ doctrina, 1. Nam scripturæ è diametro aduersatur, scriptura siquidem passim commendat cultum spontaneum & eos omnes qui operibus varijs nequaquam à Deo præceptis, Deum ipsum coluerunt eosque proponit nobis imitandos. Commendat Annam Prophetissam, cuius laus est in Euangelico à ieiunijs & assiduis orationibus: *non* enim, (ait scriptura) *discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens die & nocte*, & vt non dubitaremus hic esse sermonem de vero cultu Dei, ipsum expressit Euangelista ipso verbo λατρεύουσα; λατρεία enim cultum soli Deo debitum significat, vt nobiscum fatentur aduersarij iuxta illud Deuteronomij à Christo repetitũ *soli Deo seruies*. λατρεύσεις Itaque λατρεύουσα νηστείαις καὶ δεήσεσι Est seruire Deo, in ieiunijs & obsecrationibus, hoc est, per ieiunia & obsecrationes, Deum colere, honorare, opusq; illi gratum facere, hoc egregiè præstitit Anna, & sine expresso Dei mandato præstitit. Sacri voluminis paginas à capite ad calcem reuoluant hæretici, & inuenient ibi non esse, quod credunt esse, hoc est definitionem idololatriæ quam adferunt. Inueniẽt plurima, quibus sanctissimè colitur Deus, & tamen sine Dei mandato. Quis neget Abelem, Noëmum, Abrahamum, Moysen quando ante legem Aras erigebant, sacrificia offerebant, & absque Dei iussu expresso offerebant verè & sanctè coluisse Deum? Lego aram super duodecim lapides ab Helia erectam, Deum id mandasse non lego. Rechabitas abstinuisse à vino reperio in scripturis, huius abstinentiæ præceptum à Deo datum non reperio. Magos munera Christo Mathæus scribit obtulisse, Deum autem hanc oblationem iussisse, non scribit: Lucas Magdalenam narrat vnxisse pedes Saluatoris & effudisse vnguentum pretiosum in caput eius, quod opus sibi gratum fuisse pronuntiat Saluator, de mandato autem nulla fit mentio. Ioannes docet Nicodemum balsamo condijsse corpus Domini; accepisse mandatum à Deo Nicodemum non docet. Alij tres Euangelistæ docent Iudæos ramis Palmarum, & stratis in via vestimentis Messiam excepisse honorificentissimè; mandatum omninò tacent. Quid amplius? scimus Hemorroissam tetigisse fimbriam Saluatoris, & ab hoc tactu sanatam esse, de iussione nihil scimus. Laudantur primigenij Christiani, quod omnia sua ad pedes Apostolorum, vt omnia essent communia, posuerint, & tamen nusquam legimus hos esse iussos hoc facere. De Baptistæ abstinentia & Eremitica vita constat, de præcepto nihil constat. Paulus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, vbi Deus hoc mãdat Paulo? Deo sacrificat Dauid iniussus. *Voluntariè,*

(ait) *sacrificabo tibi.* Cōmendat Saluator votum Castitatis non præceptum apud Mathæum cum ait: *Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, qui potest capere capiat.* id est, sunt qui Deo se sponte, & sine mandato per votum castitatis obstrinxerunt. Hoc confirmat Apostolus dicendo: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do &c.* *Beatior autem erit si sic permanserit secundum consilium meum, puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.* Consulit hic Apostolus continentiam, de qua præceptum Dei non est, præfert illam matrimonio, tanquam id quod melius est ei quod bonum est: Siquidem *benefacit qui virginem suam matrimonio iungit, sed melius facit qui non iungit,* teste eodem Apostolo. Ex his & alijs pluribus scripturæ locis discant hæretici falsissimam esse suam idololatriæ definitionem, quia contraria est Dei verbo quod docet Deum optimè coli spontaneis operibus sine expresso, in ipsis scripturis, mandato: discant vota ipsa esse communiter de rebus non præceptis iuxta illud. *Omnia quæ voueris & sponte offerre volueris, &c.* Discant denique votis religiosissimè coli Deum, & Deum ipsum hortari ad vouendum, *Vouete* (ait) *& reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Reijcitur 2. hæc Nouatorum doctrina, quia ex ea sequitur omnem Dei cultum quacunque ex circumstantia prauum, & illicitum propriè idololatriam esse, quia omnis cultus quomodocunque prauus, caret verbo Dei & mandato. Vnde hæc infero absurda 1. Eum esse idololatram qui orat inani aliqua gloriola motus. 2. qui iurat temerè & inconsideratè. 3. qui vouet, cum de vouendi cultu non extet diuinum mandatū. 4. Ipsi hæretici erunt idololatræ, si euagentur orando. Idololatræ erunt & ministri verbi quia sine Dei mandato susceperunt ministerium. Sed quid magis ridiculum, quam dicere hęc esse idololatriæ peccata? verum de his satis.

Matt. 19. 1. ad Cor. Psal. 75.

Videamus iam quo tempore peruersitas hæc cœperit. Philo lib. 1. Antiquit. Biblicarum tempore Tubalcain incœpisse, tuncque cœpisse homines sculptilia facere, eademque adorare affirmat. Verum hoc gratis & sine vlla ratione dicitur. Hoc igitur & similibus alijs figmentis omissis, Existimo cum plerisque scriptoribus tam antiquis quam recentioribus, inter alios Hieronymo, Nini Assyriorum regis tempore circa mundi annum circiter 2000. originem habuisse. Hoc enim circiter tempore Ninus rex in frequenti Babyloniorum procerum conuentu, postquam patrem suum Belum, regni Babylonici ciuitatisque fundatorem, vehementius extulisset, eumque non solum immortali apud posteros memoria, verum etiam apud superos immortalitate dignum prædi-

casset, statuam, quæ eum ad viuum affabrè, eleganterque repræsentaret exhibuit, cui tanquam viuenti deferretur honos; ad quam si quis confugeret, abripi non posset ad pœnam, sed cuiuscunque criminis veniam consequeretur. Ea res defuncto facile diuinitatis opinionem conciliauit & sub titulo Iouis, siue vt alij volunt, Saturni Babylonij Deus factus est, eique templum magnificentissimum Babylone à filio excitatum, varijs etiam sacrificijs dedicatum est: quæ ipsi Belo offerebantur. Videantur de his sacrificijs Belo nouo Deo offerri solitis Hieronymus in cap. 46. Esaiæ, & Plinius qui lib. 37. cap. 10. scribit illi dicatam fuisse gemmam quandam Beli oculum nomine.



§. 2us

AN EOVSQVE PROGRESSA FVERIT IDOLOLATRIA VT DEI ECCLESIAM EVERTERIT ET QVÆNAM FVERIT ante Christi aduentum Dei Ecclesia.

Expugnata idololatriæ definitione quã adferebant hęretici, veraque stabilita. Superest hoc §. alius illorũ error de idololatriæ progressu reijciendus; Existimant enim ipsi, inter alios Caluinus in prefatione suarũ Instit. & Beza cap. 5. suæ Confessionis tales progressus habuisse Idololatriam vt Dei Ecclesiam penitus euerterit inuisibilemque reddiderit, hocque euidenter probari autumant ex illis Heliæ prophetæ verbis: *Derelictus sum ego solus & quærunt animam meam.* Hoc, inquiunt, loco conqueritur Helias se de tota Ecclesia solum relictum qui veram Dei religionem publicè profiteretur.

3. Reg. 19.

Verum errant nescientes scripturas. Neque enim loquitur Helias de tota Ecclesia, sed tantum de regno Israël in quo regnabat tunc impius rex Achab: quanquam & in illo etiam fuerint septem millia virorum qui non curuauerant genua ante Baal; quique constituebant visibilem Ecclesiam. Porrò eo ipso tempore in Iuda regnabat Iosaphat rex pius, ibique erat Dei templum, erant Sacerdotes, sacrificia, & reliquus Dei cultus publicus, quotidianus & solemnis. Immo ex posteriori libro Paralip. scimus regem Iosaphat multum laborasse vt diuinum cultum conseruaret, augeretque. Sed neque exiguus fuit illorum numerus qui sub ipso publicè profitebantur veram religionem: nam in eodem libro Paralip. numerantur amplius vndecies centena millia robustorum

bellatorum præter mulieres & alios qui minus apti erant ad bellum. Ex quibus constat non perijsse nec inuisibilem fuisse tunc Ecclesiam in regno Iosaphat. Helias autem conquerebatur de solo regno Israël. *Dereliquerunt* (inquit ad Deum) *pactum tuum filij Israel*: non ait, *filij Iuda*, neque enim nego quin in vno aut altero regno possint esse aliquando nulli aut paucissimi qui Deo debito modo inseruiant dum in plerisque alijs locis Ecclesia est perspicua: verum Ecclesiam nusquam in toto mundo apparere planè absurdam esse contendo & à nobis fusè refelletur lib. 5. Supponendum est igitur hoc loco firmissimeque tenendum Ecclesiam semper fuisse visibilem à principio mundi vsque ad aduentum Christi. Cuius rei fusiorem probationē si quis interim cupiat legat Eusebium in chronicis, Orosium in sua historia, Genebrardum in sua Chronographia, Nicolauum Sanderum de visibili monarchia lib. 7. in principio Coccium tom. 1. lib. 8. art. 2. qui ex scripturis per singulas ætates huius rei veritatem egregiè ostenderunt. Hic tamen diligenter animaduertendum est non negare me ante Christi aduentum in exiguum & angustum locum conclusam fuisse totam fere Dei Ecclesiam iuxta illa verba Prophetę Dauidis: *Notus in Iudæa Deus.* & rursus, *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Inter gentes enim rari admodū erant qui Deū agnoscerent & rectè colerent. Quare nonnunquā redigebatur vera Ecclesia ad paucos, visibiles tamen, atque admodum eminentes vt bene obseruauit Ecclesiæ lumen S. Augustinus tom. 2. Epist. 48. ad Vincentium, disputans contra Donatistas. Et ex his patet quænā fuerit ante Christi aduentum Dei Ecclesia, fuit enim Iudaica, vt ex iam citatis scripturæ locis constat, dilexit enim tantopere, charosque habuit Iudæos Deus, vt illos præ cæteris gentilibus in obscura impietatis nocte cœlestiumque rerum ignoratione versantibus, suum populum haberet, eisque illustrem sui cognitionem exhiberet: nam cum per vniuersum pœne orbem, diuinæ voluntatis ignoratio, simul cum nefario cultu & impietate peruaderet, omniumque animi impia religione inuoluerentur, Deus tamen filios Israël elegit quibus sese indicaret, diuinæque voluntatis suæ arcana patefaceret; Quę Dei certa cognitio ita intra terminos Israelis conclusa fuit, vt in eius regionis vrbibus, domicilium collocasse videretur.





CAPVT QVARTVM.

§. 1us.

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI, VBI ETIAM EIVSDEM VERITAS ET CHRISTI DIVINITAS SCRIPTVRIS & ratione probatur.

DEFECISSE à Deo per peccatum genus humanum ex dictis initio huius libri facile constat, neque potuisse vnquam sine Deo resurgere, certum etiam est. Diuina tamen bonitas quæ omnia peccata & scelera nostra superat adueniente tempore constituto per secundæ sanctissimæ Trinitatis personæ incarnationem humanum genus ab hac miseria liberare & sanè conuenienter statuit, conueniens enim valde fuit rationiq; consonũ, vt quod perDei verbũ formatũ quõdam fuerat, per verbum idem reformari deberet. Per intellectualis enim verbi lucem depellenda erat caligo intellectus humani, per rationem Dei, rationale animal emendandum. Statutis ergo à diuina voluntate temporibus, creauit Deus per verbum, rationalem animam, quam eodem momento tenero fœtui virginalis vteri per diuinum spiritum cõcipientis coniunxit. Momento quoque eodem verbũ ipsum naturam assumpsit humanam, atque fermè sicut ex anima illa immortali & mortali corpore homo factus est vnus: ita ex homine illo ac Dei verbo factus est Christus Deus & homo, sic infinita bonitas quę se cõmunicare vult omnibus, tunc modo quodam aptissimo seipsam cunctis cõmunicauit, quando sibi coniunxit hominem, in quo tanquam in media rerum specie cuncta comprehenduntur. Veritatem hanc incarnationis ita explicatam, cõtra Ebionitas, Cerinthianos, Carpocratianos aliosque eiusdem farinæ homines docet Catholica nostra fides, habeturque expresse in scriptura sacra multis in locis Christum verum Dei filium esse: Quibus omissis duo tantum loca breuiter vrgebo. Primus, Petitur ex Ioanne Euangelista qui 1. Can. cap. vlt. sic de Christo loquitur: *Hic est verus Deus*, non contentus quod eum dixerit Deum, nisi verum Deum addidisset, vt egregiè notauit S. Augustinus 1. de Trinit. cap. 6. Et sanè hic locus tam clarus & apertus est ad Christi diuinitatem probandam vt nulla ratione videam quomodo homines sacram scripturam admittentes hac in re tergiuersari possint. Huic loco accedit & alius neutiquam

aſpernendus ex Math. 16. vbi S. Petrus Chriſto interroganti quem dicerent diſcipuli ipſum eſſe ita reſpondit. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Quę verba intelligi debent de ſubſtantia perſonæ Chriſti & de filio naturali Dei veri, vt manifeſtè patet, tum ex ijs quæ in eo loco antecedunt, & conſequuntur in quibus referuntur aliorum hominum opiniones de ſubſtantia perſonæ Chriſti, quibuſdam aſſerentibus eſſe Ioannem Baptiſtam, quibuſdam Heliam quibusdam Hieremiam aut vnum ex prophetis, tum quia reſponſio illa Petri valde commendatur vt quæ à Chriſti Patre qui in cœlis eſt peculiari reuelatione ortum habuerit, magis vtiquam aliquid Chriſto tribuens quam quod alij eum nihilominus filium Dei per adoptionem, tanquam iuſtum ſcilicet & prophetam agnoſcentes, & propterea à Chriſto obtinuerit inſignem illam promiſſionem de Petri dignitate in Eccleſia Chriſti de qua nos in noſtris controuerſijs lib. 3. diſp. de Eccleſia.

Ex his itidem ſufficienter manet probata veritas incarnationis contra hæreticos ſcripturam ſacram admittentes, ſupereſt vt iam eandem veritatem contra gentiles probemus, hac autem ratione probatur incarnatio eſt poſſibilis, ergo non eſt vnde de facto negent vlli illam eſſe factam Conſequentia clara eſt, quia cum incarnatio ſit valde conſentanea bonitati Dei infinitæ & ſummæ, non eſt neganda niſi ratio aliqua valida nos cogat quæ in præſenti nulla eſt. Antecedens probatur, quia nulla eiuſmodi implicatio contradictionis quamuis diligentiſſimè quęſita ab aduerſarijs qui hoc myſterium incarnationis vt impoſſibile oppugnarunt: verbi gratia, Porphirio, Celſo, Iuliano & alijs, hactenus inueniri & afferri potuit, cum pręſertim ad infinitam perfectionem perſonalitatis diuini verbi ſpectet poſſe terminare ſubſtantialiter, atque ita ſubſtantiali quodam modo complere humanitatem ſingularem reiectis illis imperfectionibus, cum quibus hanc ipſam terminationem & complementum tribuit perſonalitas creata humanæ naturæ.

Sed quæres quare diuina bonitas tamdiu diſtulit incarnationem verbi diuini, præſertim cum plures homines ſaluati fuiſſent ſi Chriſtus in principio mundi ſtatim poſt Adæ peccatum veniſſet.

Reſpondeo, conueniens fuiſſe non ſtatim fieri diuini verbi incarnationem tum vt homo virium ſuarum infirmitatem melius cognoſceret, coniunctam etiam auxilio legis naturalis & ſcriptę quæ ante Chriſti aduentum viguit, & tanquam medium aliquod conceſſa erat ad ſalutem humanam, tum vt intelligeret neceſſitatem Chriſti mediatoris ſeſeque ad eum recipiendum melius diſponeret per fidem & ſpem in eum

per prophetias, ceremonias & sacrificia quæ Christum præfigurabant & promittebant, vt dilato beneficio & necessitate crescente desiderium Saluatoris cresceret. Ad id autem quod obijciebatur plures homines saluandos si Christus statim post peccatum fuisset incarnatus. Dico non sequi plures fuisse saluandos neque si sequeretur asserendum propterea Christum in principio mundi debuisse venire. Ratio primæ partis est, quia ex vna parte pauci tunc erant homines qui Christi præsentia fruerentur & doctrinam ab eius ore, gratiæque abundantiam in eius aduentu communicatam susciperent, atque ita spectando conditionem hominum & ordinarium modum prouidentiæ diuinæ procedentibus temporibus primo illo feruore doctrinæ & gratiæ facilius languescente quando genus humanum amplius propagatum esset, maiorque hominum multitudo tanto hoc remedio indigeret, obscurata admodum esset huius mysterij fides & impedita efficacitas illius. Ex alia parte etiamsi plures essent, non propterea plures saluarentur cum maior audientium multitudo nec semper nec sępius conuertatur ad Dei vocem & perseuerantiam in cultu Dei, vnde Theophilactus in illud caput 9. ad Hebręos *Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit &c.* Diserte ait, hic arcani quidpiam reuelari cur in consummatione sæculorum post multa peccata reuelatus sit, si enim primo mortem subijsset quando peccatum non perinde effusum fuisset nemo credidisset, & paucis interpositis ad eandem quęstionem respondens ex Gregorio Nisseno ait, infinitos medicos vt ægroto ex cibis auxilium adhibeant expectare tantisper dum malum ad summum increuerit, sic & nobiscum actum esse, expectauisse animarum medicum donec vniuersæ malitię ęgritudo panderetur. Ratio secundę partis est, quia neque necessarium est, neque consuetum Deo id semper efficere ex quo plures homines re ipsa saluandi essent, vt patet ex eo quod pluribus imo etiam omnibus dari posset gratia re ipsa efficax vndequaque & adiunctam habens perseuerantiam finalem in sanctitate atque ita esse maior electorum siue saluandorum numerus, & tamen neque datur huiusmodi gratia, neque est numerus ille maior, vt constat ex ijs quę de hac re à Theologis dicuntur iuxta illud Euangelicum. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Cur autem in tanto numero & non in maiore electi saluandi sint, id vnum est ex ijs quę in abditissimis iustissimisque consilij diuini arcanis latent, & de quibus merito dici debeat illud Apostoli ad Rom. 11. ab Augustino alijsque Patribus eadem in re sępissimè vsurpatum. *O altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei quam incomprehensibilia*

hensibilia sunt iudicia eius, quis enim cognouit sensũ Domini aut quis consiliarius eius fuit. Augustini item quodam in loco. *Desine iudicare si non vis errare.*



§. 2us.


DE PRÆDICATIONE EVANGELII A CHRISTO FACTA ET NVM FVERIT CONVENIENS CHRISTVM IVDÆIS tantum & non gentibus prædicare.



Vemadmodum nemini dubium esse potest quin docere ad Prophetam ac Magistrum pertineat: ita dubium esse non debet quin cum potestate docere atque præcipere legislatori cõueniat. hinc est vt Math. 7. Legamus Christum Dominum nouę legis, quę veterem aboleret, auctorem, cum potestate Iudęos docuisse. *Erat* (inquit Euangelista) *docens eos sicut potestatem habens & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Et sine dubio cõuenienter valde fini incarnationis taliter docebat: exigebat enim incarnationis finis talem docendi modum, venerat enim Christus in mundum ad manifestandam veritatem. Ioan. 18. & vt homines à peccato liberaret, perque ipsum accessum haberent ad Deum quæ omnia potestatem in Christo publicè prædicante requirunt. Adde quod excellenti doctori conueniat excellens modus docendi qui est vt docens potestatem habeat, Christum autem excellentissimum fuisse doctorem & consequenter illi hunc docendi modum competere debuisse. At cur inquies, Christus non prædicauit gentibus, sed tantum Iudæis si optimus prædicandi modus illi conueniebat, hic siquidem modus est vt omnibus veritas proponatur. Respondeo conueniens valde fuisse prædicationem Christi tam per seipsum quam Apostolos suos à principio solis Iudæis exhiberi. Mathæi 15. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel*, primum, vt ostenderet per suũ aduentũ impleri promissiones diuinitus factas Iudęis, & non Gentibus. Deinde vt eius aduētus ostenderetur esse à Deo, à quo quæ sunt, ordinata sunt, ordo autem requirebat, vt Deo propinquioribus prius Christi doctrina proponeretur & per eos transiret ad Gentes: postea vt auferretur Iudæis calumniandi materia, ideo se eũ reiecisse, quod ad alios suos misisset: ideo dixit Apostolis Math. 10. *In viam gentium ne ieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Postremò, Christus per crucem meruit imperium omnium Gentium: propterea ante passionem noluit suam doctrinam Gentibus

D

prædicari, ideo Ioan. 12. dixit. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* granum mortificatum infidelitate Iudæorum, multiplicatum in fide populorum. Ex his ad quæsitum respondeo falsum esse optimum modum prædicandi, respectu Christi, fuisse etiam gentibus ante passionem suam legem Euangelicam vel per se vel per Apostolos suos prædicare, cuius responsionis veritas ex iam dictis clara est, sufficit enim quod Christus fuerit in lumen & salutē gentium post suam sanctissimam passionem, per suos discipulos quos misit ad gentes, Math. vlt. dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, &c.*



§. 3us.

DE VOCATIONE GENTIVM APOSTOLORVMQVE IN VARIIS MVNDI PLAGIS PRÆDICATIONE.

CVr ab initio Iudæis tantum non etiam gentibus cum Dominus tū Apostoli prædicarint §. superiori explicatum est. Superest hoc loco de gentium ad fidem conuersione aliquid dicendum. Et vero iisdē reseratum fuisse primò Euangelij ostium per Sanctum Petrum Apostolorum principem cui Dominus regni cœlorum claues tradiderat dubiū esse non potest, quemadmodum & eundē antea Samaritis Ecclesię ostiū reserasse dubium non est. Hoc enim tradit apertè Euan. S. Lucas vbi hist. totam capite 10 act. Apost. describens sic ait. *Ascendit Petrus in superiora vt oraret circa horam sextam & cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cœlo in terram in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, & facta est vox ad eum: surge Petre, occide, & manduca: ait autem Petrus, absit Domine quia nunquam manducaui omne commune & immundum. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris, hoc autem factum est per ter, & statim receptum est vas in cœlum. Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio quam vidisset. Ecce viri qui missi erant à Cornelio inquirentes domum Simonis, adstiterunt ad ianuam, & cum vocassent, interrogabant, si Simon qui cognominatur Petrus illic haberet hospitium. Petro autem cogitante de visione, dixit spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te, surge itaque & descende, & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos. Descendens autem Petrus ad viros, dixit, Ecce ego sum quem quæritis, quæ causa est propter quam venistis? qui dixerunt: Cornelius Centurio vir iustus, & timens Deum, & testimonium habē*

ab vniuersa gente Iudæorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersiri te in domum suam, & audire verba abs te. Introducens ergo eos recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis, & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum. Altera autem die introiuit Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, conuocatis cognatis suis & necessarijs amicis. Et factum est cum introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius, adorauit. Petrus vero eleuauit eum, dicens: surge, & ego ipse homo sum. Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos qui conuenerant, dixitque ad illos, Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo quam ob causam accersitis me. Et Cornelius ait, à nudius quarta die vsque ad hanc horam orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait, Corneli, exaudita est oratio tua & eleemosinæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. Mitte ergo in Ioppen, & accersi Simonem qui cognominatur Petrus, hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confestim ergo misi ad te, & tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino: aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filijs Israel, annuntians pacem per Iesum Christum, hic est omnium dominus. Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enim à Galilæa post baptismum quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute, qui pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus, nunquid aquam quis prohibere potest vt non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? & iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus. Hæc sacer textus de gentilium con-

uersione, quæ cum plana sint omnibusque perspicua illud tantum difficultatem habere videtur quidnam symbolicis illis figuris quod linteum quatuor submittebatur initijs, quodque tertio factum sit significetur. Per linteum igitur quod linea non corrumpitur & nitore splendet, Ecclesiam significari non habentem maculam neque rugam, Augustinus, Ambrosius, alijque Patres sunt interpretati Ter de cœlo submissum est, quia omnes gentes quæ pertinent ad quatuor partes orbis terræ qua disseminatur Ecclesia, quam significabant quatuor lineæ quibus vas illud conuertebatur, in nomine Trinitatis baptizantur. Per immundas denique & feras bestias designabantur gentes omnes Deum verum ignorantes, vt quæ turpibus ferisque imbutæ moribus, nec mansuescere nec pie recteque viuere nouerant. Atque hæc de gentium conuersione satis, de qua tamen qui plura volet adeat Illustrissimum Cardinalem Baronium. tom. 1. Annalium, Sanctum Ambrosium qui duos integros libros hac de re scripsit, Ioannem Lorinum aliosque qui Commentarios in act. Apostolorum ediderunt.

Sed quæres cum ex dictis constet per Sanctum Petrum gentibus reseratum fuisse Ecclesiæ ostium, quibus tandem Sanctus Petrus alijue Apostoli post suam dispersionem per varias mundi plagas prædicarint? Respondeo, Sanctum Petrum Italis prædicasse, ipsum enim anno secũdo Claudij imperatoris venisse Romam communis omnium sententia est, id enim Hieronymus, Eusebius, ac ceteri omnes qui de ea re historiam conscripserunt, expresse testantur verba Eusebij in chronico hæc sunt: *Anno secundo Claudij Petrus Apostolus cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans, viginti quinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.* Et Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Petro: *Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ & prædicationem dispersionis eorum qui de circuncisione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bythinia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis.* vide S. Ireneum lib. 3. cap. 1. Hippolytum apud Prudent. in Peristeph. Tertullianum de Præscript. S. Cyprianum de vnitate Ecclesiæ, Arnobium aduersus gentes, & in Psalm. 106. Lactantium lib. 4. cap. 21. Optatum contra Parmen. lib. 2. S. Ambrosiũ sermone in Natiuit. Apostol. & alibi. S. Augustinum serm. 7. in Natiuit. Apostol. & alijs locis. Seuerum hist. lib. 2. Prudentium in Peristeph. Philast. de hæres. cap. 30. Orosium lib. 7. cap. 6. Prosperum de præd. lib. cap. 13. Maximum Taurinensem sermone 1. & 5. in Natal.

Apostol. Petrum Chrysologum serm. in natal. Apostol. Chrysostom. homil. de Petro & Paulo. Cyrillum Alexandrinum Epist. ad Cœlestin. Theodoretum, P. Alexandrinũ, & alios; ac ne in re toto cœlo perspicua laboremus, omnes scriptores id ipsum testantur, adeo vt nec quiuis perfrictæ frontis hæreticus, vel schismaticus, eorum qui ante nostrum sæculum vixerint, ausus fuerit de eo vel leuiter quidem dubitationem mouere. Prædicauit ergo Romanis S. Petrus postquam Antiochenis prædicasset, prædicauit præterea Britannis eumque ex Scotia nostra secum eduxisse S. Mansuetum (quem Leuchorum vrbis primum Pontificem creauit) testantur sancti Mansueti acta, Franciscus de Rosier tom. 2. stemmatum Lotharingiæ, Arnoldus in theatro conuersionis gentium. Demochares in catalogo Episcoporum Tullensium, breuiarium Tullense, Hunterus libro de sanctis Scotiæ, & alij. S. Andreas qui sequitur ordine ad Scythas missus traditur ab Origene lib. 3. in Gen. & Eusebio lib. 3. cap. 1. In Greciam vero inde descendisse & in Epirum venisse testãtur Greg. Nazianzen. orat. in Arian. atque Chrysostomus homil. de duodecim Apostol. & Juniorũ Grecorum Nicephorus historiæ lib. 2. cap. 39. hæc de S. Andreæ peregrinatione. *Sorte* (inquit) *ea prouincia obtigit, vt ad gentes mitteretur, in Cappadociam scilicet, Galatiam & Bithyniam, quibus peragratis ad eam quoque accessit quæ Antropophagorum dicitur & ad Scytharum solitudines, ad vtrumque Pontum Euxinum oramque septentrionales; ad ipsum quoque Byzantiæ solum, deinceps Thraciam, Macedoniam, Thessaliam & Achaiam peragrauit, in quibus prouincijs omnibus longo tempore sermonibus diuinis prodigijsque mirificis Christum glorificans tandem à Preconsule Ægea in crucem est actus.* & lib. 8. cap. 6. *Thraciam, Macedoniam & Euxinũ prouincias sortitus Byzantij Christum prædicauit, & cum à Zeuzippo tyrannidem ibi tenente ad necem quæreretur, Argyropolim transijt, atque ibi bienniam agens conuentus, permultos ad Christi fidem perduxit: Cæterum sacra in eo loco fundata æde, Stachi Episcopo creato, Synopem conscendit.* hæc Nicephorus. Porrò quãuis Scotis nostris S. Andreas nunquam prædicauerit, ipsorum tamen totiusque Scotiæ Regni Apostolus meritò habetur magnaque religione ab ijsdem colitur. Et sanè multa contulisse Andræam Apostolum Scotis beneficia communis apud historicos nostros fama est. Quocirca Scotorum Reges S. Andræam Apostolum tutelarem idque à temporibus Achaij Regis Scotorum, & Hungi Pictorum agnouerunt, quibus hostes oppugnaturis, scribunt auctores, lucidam in cœlo apparuisse crucem illius instar in quam ipse Apostolus sublatus pro Christi nomine mortem oppetijt, victoriamque cæso Athelstano (nomen, pugnæ locus hac

nostra ætate retinet ab Anglorum cæso rege Athelstain dictus) consequutos, atque vt tantæ victoriæ Mnemosynon nulla vnquam vetustate deleretur, effigiē illam crucis in armis & insignibus efformatam contra hostes semper deinde gestauit Achaius rex, quod & Scotiæ Reges in rei gestę fidem etiamnū religiose obseruant: hinc originem traxisse traditur ordo equestris diui Andręæ Cardui titulo in Scotia nobilis cuius insigne seu colare ex carduis confectum præferunt Gentilitia Regum arma nummique hoc addito Elogio *Nemo me impunè lacessit*. Asperum quippe virgultum Carduus & aculeis armatum, & quod difficulter manibus attrectare possis sine doloris compunctione, quod frangas potius quam minimum flectas. Fuit autem huic militiæ baltheus aureus ex floribus Cardui, orbicellis aureis seu nodis rubescentibus annexi compositus, & infra præferens imaginem S. Andręæ martyrij crucem ante se gestantis. Insignia vero quæ dicto baltheo ornantur, Leonem rubeum, primum & antiquum Fergusij regis insigne, prætexta cęrula duplici textu rubeo contra-positis lilijs consita, circundata in flamine aureo ostentant: ictūque Caroli Magni fœdus cum Scotis & Achaio eorum rege quod in hunc vsque diem religiose perdurat, coniunctis duorum regum armis indicat. Addidit Carolus coronæ Scoticæ (quæ antiquitùs formæ erat valli militaris) circa, quatuor lilia aurea, quatuor cumsalutiferæ crucis aureis signis, paribus interuallis discretis, lilijs paulo eminentibus: vnde Scotica Gens christianæ religionis inuiolatæ, atque fidei obseruationibus dignosceretur. Institutionem huius ordinis nonnulli sed imperitè referunt ad tempora Caroli VII. Francorum regis quibus Scoticum fœdus ob egregiam desperatis Franciæ rebus nauatam operam, regumq; Franciæ veterem ad fidem in omne Scotorum nomen beneuolentiam factum ferunt, Scoticaque insignia Gallicis aucta volunt. Verum vt dixi imperitè & ex odio in Scotos non veritatis amore hoc ab ijsdem asseritur. Fuit & regibus Scotiæ sodalitium Equitum vulgo Sertum Rutæ nuncupatum cuius insigne vti & regijs armis circumuolutum visitur. Fuit torquis ex rutæ ramulis seu folijs innumeris cui inferius effigies Diui Andręæ cum cruce annexa erat, fabrefactus. Præterea in perpetuæ obseruantiæ tesseram erga Diuum Andręam Apostolum Scoti totius regni metropolim à diuo Andræa Sant-Androus nominatam voluere Kennetus quippe Rex, ait Boetius lib. 10. historiæ nostræ, pontificiam sedem Abernethi (fuit hæc vrbs Pictorum regia) transtulit Sant. Andręam & qui ibidem sacrum gerebant magistratum, maximi Scotorum Episcopi apellabantur &c. Cæterum subiungit idem *tanta reuerentia*

Iacobus Charronius Gallus in hist. sua vniuersali. pag. 796. Theuet⁹ Gallus lib. 16 Cosm. in descript. Scotiæ, Paulus Iou⁹ in descript. Scotiæ. Ioannes Leslæus Episcop⁹ Rossensis in histo. Scotica Thomas Depsterus in Mendicabulis repressi. Hibernorum. Ioannes Maiorin

inter homines tantaque vitæ innocentia facer Diui Andreæ Pontificatus ab institutione sua longa Episcopatuum serie ad annum vsque 1540. *est continuatus.* (sex enim supra triginta Antistites & eorum complures inter diuos & beatos relatos illic sedisse perhibent) *vt nusquam gentium veræ religionis cultus morum consentiente probitate magis effulserit.* hæc ille.

S. Ioannes Zebedæi filius, Iacobi frater migrauit in Asiam minorē nempe, easque prouincias in quibus Petrus vt vidimus, Euangēlium prædicauerat, & Ecclesias complures erexerat, prædicatione Euangelicę veritatis excoluit. Vnà vero cum Ioanne profectam esse sanctissimā Dei genitricem Mariam virginem & Ephesi apud eum habitasse Epistola Synodica sacrosancti Concilij Ephesini ad Clerum Constantinopolitanum data, non obscurè ab illo sancto Episcoporum cœtu significatur dum illic agitur de damnatione Nestorij, his verbis: *Quare & Nestorius impię hæreseos instaurator, in Ephesiorum ciuitate, quam Ioannes Theologus & sacra virgo Deipara Maria quandoque incoluerunt, constitutus à sanctorum Patrum & Episcoporum cœtu vltrò seipsum abalienans, malæque conscientię reatu impeditus, ad illum sese adiungere non audens; post trinam citationem, sacræ Synodi sententia diuinoque sanctorum Patrum iudicio condemnatus, omnique sacerdotali dignitate exutus est.* Magdalenam etiam vnà cum Lazaro Ephesi egisse tradiderunt aliqui sed falsò, vt videre est apud Baronium 1. tom. Annal. Ecclesiast. ad annum Christi 44. Cęterum Ioannem non semper in Asia permansisse, sed & alias orientis regiones Euangelium prædicando peragrasse, multa sunt testimonia. Ad Parthos enim ascendisse, titulus suæ ipsius 1. Epistolæ quæ olim ad Parthos inscripta legebatur, facilè monstrat. Sed adhuc vlteriores orientis partes penetrasse, & Basloras Christiana fide imbuisse, accepimus (inquit Baronius loco citato) certa ac fide digna relatione religiosissimorum Patrum Societatis Iesu, qui nostris temporibus ad Indos Euangelicæ prædicationis causa profecti, hæc ex eiusdem populi à maioribus accepta traditione didicerunt. hæc de Ioanne. De Iacobo nihil est quod dicamus, quippe qui ante profectionem Apostolorum ad gentes, ab Herode Agrippa necatus fuit. Philippus quintus ordine Asiam superiorem Euangelio traditur excoluisse, demū Hierapoli annos natus octoginta septem martyrium subijsse, quod & S. Ioannes Chrysostomus tradidit, homil. de 12. Apost. eundemque aliquam partem Scythiæ peragrasse, & vnà cum Bartholomæo aliquo temporis spatio Euangelium annuntiasse ferunt Nicephorus lib. 2. cap. 39. & Metaphrast. ad diem 15. Nouembris. Apud Isidorum de vita & obitu Sanct. legitur S. Philippum Gallos

historia Scotica, Gulielmus Barclayus in libro de regno & regali potestate. in Epist. dedicatoria ad Henricum 4. Galliæ Regē, alijq; autores cōmuniter testātur fœdus inter Achaium Scotorū Regem & Carolū Magnū initum fuisse.

etiam christiana fide imbuisse, sed Galatis loco Gallis restituendum esse rectè notauit Illustrissim' Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum. Thomas Apostolus in primis ad Parthos profectus est testibus Origene in Genes. lib. 3. & Eusebio lib. 3. cap. 1. Eundem Indos penetrasse, tradit S. Greg. Nazianzenus homil. ad Arian. in Æthiopiam quoque perrexisse testatur S. Chrisostomus homil. de 12. Apost. cum ait: *Thomas dealbat Æthiopas*. Thomæ adscribitur quod ait Theodoretus de verit. Euangel. lib. 9. Parthos, Persas, Medos, Brachmanos, Indos, aliasque nationes finitimas Christi Euangelium suscepisse, Ad Taprobanam quoque insulam venisse Nicephorus tradit lib. 2. cap. 40. Qui apud Indos reperti sunt Christiani in regione Narsingensium, firma certaque traditione affirmant Thomam Apostolum in illis regionibus Euangelium prædicasse, Ecclesias erexisse; ac cætera quæ ad Christianorum institutionem pertinent, consummasse. Id ipsum profiteri qui in Indiæ regione Chranganore dicta & alijs adiacentibus locis agunt, Osorius Syluensis Episcopus hist. lib. 3. testatur. Bartholomæus in maiorem Armeniam profectus Lycaonas, eius prouinciæ populos, veritatem Euangelicam docuit, & ad pietatem instituit, teste Chrysostomo homil. de 12. Apostol. Albanos insuper fide Christiana imbuisse tradit Sophronius apud Hieronym. de scriptoribus Ecclesiasticis, citerioremque Indiam penetrasse, Origenes in Genes. lib. 3. testatur. Certam fidem de his fecit Pantænus philosophus Christianus, qui peregrinatus ad Indos, memoriam de Bartholomæi prędicatione virentem adhuc reperit, quin & Mathæi Euangelium ab ipso antequam illuc proficisceretur descriptum, ibi inuentum ac acceptum secum detulit, cum Alexandriam redijt. Id Eusebius hist. lib. 5. cap. 10. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Pantæno affirmant. Mathæum ad Æthiopiam missum esse testatur Socrates lib. 1. cap 15. Origenes in Genes. lib. 3. Qui sequitur nonus ordine Iacobus Alphæi, frater Domini idemque iustus dictus, non legitur in externas profectus esse prouincias: sed cum Hierosolymorum creatus esset Episcopus, ne Iudæi, quorum causa munus illud susceperat, omnino derelicti haberentur, loco consistere nec sicut cæteri ad gentes in diuersas orbis partes abire permissus est. Tanta eum tamque conspicua sanctitate effulsisse tradunt, vtquamuis Iudæorum Magistratus in cæteros sæuirent Apostolos, ipsi tamen nullum negotium facescerent, sed honore potius prosequerentur. Id quidem non tantum Hegesippus apud Eusebium lib. 2. cap. 24. sed & Iosephus Iudæus testatur, dum Antiquitatum lib. 20. ait, tanta eum apud omnem populum

æstimatione claruisse, vt propter illatam ipsi necem, existimauerint Hierosolymam excisam & Iudaicum populum acerbissima omnium clade afflictatum esse. Simon Chananæus, qui & Zelotes reperitur dictus, quem & Iudam etiam nominatum esse Hieronymus in Epist. ad Galat. cap. 4. & contra Heluidium, testatur, in Mesopotamiã profectus, populis illis Euangelium annuntiauit; in Persidem etiam tandem abijsse tradunt Beda in Retrac. in act. Apostol. & in Martyrolog. Addunt alij ex Isidoro de vit. & obitu Sanct. cap. 82. & 83. Ægyptum, Africam, & Britanniam ex Nicephoro lib. 2. cap. 40. Dorotheo in Synopsi. Eisengrenio in conuersione Britannorum ad fidem.

Iudas vero, qui & Thaddæus est dictus, & ipse in Mesopotamia Euãgelium prędicasse dicitur teste Nicephoro hist. lib. 2. cap. 4. multaque egisse in Arabia & Idumæa, alijsque adiacentibus regionibus.

Matthias, qui in locum Iudæ est subrogatus in Æthiopiam, post Iudæam Euangelij causa profectus esse traditur, id quippe Sophronius apud Hieronymum de scriptoribus Ecclesiasticis, Nicephorus hist. lib. 2. cap. 40 & alij hos sequuti dixerunt. Sed de diuisione & profectione 12. Apostolorum ad prædicandum Euangelium Gentibus hactenus. Superest tantum hic aliquid de Pauli prædicatione dicendum.

Et quidem quibus Gentibus prædicauerit satis ferè per se patet ex ipsa scriptura sacra. Addam tantum ipsum apud Britannos nostros Christum prædicasse, quod Venantius Fortunatus Pictauiensis Episcopus (vt alios plurimos omittam) doctrina & sanctitate celebris de Paulo affirmat ipsius peregrinationes carmine enarrans.

Transijt Oceanum vel quà facit Insula portum
Quasque Britannus habet terras, quasque vltima Thule.


Vbi vides asserere Fortunatum, Paulum Apostolum non tantum in Britannia nostra Christum prædicasse sed & in vltimis eiusdem Britanniæ Insulis: Vixit porro Fortunatus anno 570.

LIBRI
PRIMI PARS
SECVNDA

CAPVT SECVNDVM.


§. 1us.

DE EXORTV HÆRESEON ET SCHISMATVM VBI ETIAM DE HÆRESIBVS NOSTRI TEMPORIS earumque propagatione per Galliam, Germaniam, Bohemiam, &c.



ACTENVS in prima huius libri parte de mundi hominisque Creatione, de lapsu primorum parentum pœnisque ijs propter idem peccatum inflictis, de Christi Incarnatione qui hominem per suam sanctissimam Passionem à captiuitate liberauit, de eiusdem prædicatione, de Gentium ad fidem vocatione, Apostolorumque apud eosdem in varijs mundi plagis prædicatione. Superest in secunda huius libri parte aliquid de hæresibus hæreticisque præsertim nostri temporis ac eorum in principes suos Rebellionibus, ignorantia, impudicitia, alijsq; similibus vitijs, dicendum. Et quidem hoc § de hæreseon exortu obiter hoc dico primam hæresim quæ Christi Ecclesiam Apostolorum tempore vexauit à Simone Mago inuentam fuisse eumque eiusdem auctorem fuisse communis est Auctorum sententia qui etiam tradunt S. Petrum Romam profectum ad eum expugnandum. Vide Hieronym. de scriptoribus Ecclesiasticis in Petro. Non defuerunt post hunc nequissimum hominem alij hæretici quales fuere Ariani, Ebionitæ, Nestoriani, Donatistæ, Pelagiani, & alij qui Ecclesiam Christi vexarent, quorum aliqui Asiam, aliqui Europam, alij Africam suis hæresibus & perniciosis ac prauis opinionibus infecerunt. Ex omnibus tamen pauci admodum fuerunt qui ita, ac nostri temporis hæretici, præsertim Caluinus & Lutherus, Ecclesiam Christi turbauerint, quorum primus sua hæresi Christianissimum Galliæ regnum miserè vexauit. Infecit præterea vnà cum

suo Beza per suos Scotiam nostram, vt inferius fusius explicabimus. Denique persuasit huius stigmatici perfugæ hæresis, Angliam, Daniam, Suediam, Poloniam, Germaniam, aliasque Septentrionales prouincias quarum miserum statum hodie deploramus. Lutherus vero ita Saxoniam reliquasque Germaniæ & Bohemiæ partes sua hæresi infecit vt ante paucos annos paucissimi Catholici principes in ijsdem inuenirentur. Quæ omnia qui fusius cupit legat nostri temporis historicos: nos enim ijs omissis in sequentibus agemus tantum de hæresis propagatione per Scotiæ nostræ & Angliæ regna.



§. 2.us

SPECIALIS NARRATIO DE PROPAGATIONE HÆRESIS IN ANGLIA.

DE Propagatione Hęresis in Anglia acturus non aliter illam describam quam compediose ex Nicolao Sandero in libro de Schismate Anglicano per Henricum VIII. inchoato.

Dum rebus Imperij Maximilianus Augustus, Hispanicis Ferdinandus & Elizabeta Catholici Reges, Anglicanis Henricus VII. pręessent præclarè cum orbe Christiano actum videbatur. Nihil enim Maximiliano Imperatore, seu bello, seu pace, illustrius, nihil Catholicis Principibus in vtroque genere fœlicius: nihil Henrico VII. aut fortius aut prudentius. Iam superstitio Mahometana, per Ismaëlis Sophi, ex Assum cassani filia nati, nouam interpretationem, quam occupati Regni Persici maiestas commendatiorem populo reddidit, in varias sectas abibat. Iam Saraceni post Bœticam octingentis ferè annis possessam tota Hispania exterminabantur. Iam nouus orbis Principibus Christianis ex infinita Dei misericordia patefactus, Christi Euangelio parere cœperat. Quæ omnia dum fœlici cursu progrederentur, anno ab Incarnatione Christi 1500. inter Henricum VII. Angliæ, itemque Ferdinandum & Elizabetam Hispaniæ reges, actum, annoque sequente transactum est, vt Arthurus maior natu filius Henrici VII. Catharinam Catholicorum Regum filiam, in vxorem acciperet. Nuptiæ Londini celebratæ sunt 18 Kalend. Decemb. Principes summa nocte ad thalamum solemni ritu deducti sunt. Cæterum Henricus VII. de medicorum consilio cauerat, vt grauis quædam matrona in eodem cum illis thalamo sociata, videret, ne carnę coniungerentur, eoquod Arthurus decimum quintum ætatis an-

num vixdum attingens, ex lento præterea morbo laboraret, cuius tabe post quintum mensem confectus, ex hac vita migrauit.

Mortuo iam Arthuro, cum Catholici Principes filiã suam repeterent, noua nuptiarum conditio ab Henrico VII. proposita, & post maturam deliberationem, à Regibus Catholicis accepta est, vt impetrata summi Pontificis legitima dispensatione, Catharina Henrico, Arthuri Principis fratri, duodecimum ætatis annum agenti desponderetur. Causa domi primum per vtriusque regni Theologos & Iurisconsultos, an fieri honestè posset, examinata, deinde, cum de iure constaret, per vtriusque Regis legatos relata est primum ad Alexandrum VI. deinde ad Pium III. Sed cum vterque prius vita, quam hoc negotio defunctus esset, demum Iulius Papa II. adhibitis in consilium doctissimis viris, ob vtriusque regni publicum bonum, iuris humani quod solum obstabat, vinculum, in hac quidem causa locum non habere declarauit, & nuptias contrahendi veniam fecit. Nam diuinum ius, quod sacris literis consignatum extat, adeò his nuptijs non obstare Theologi asserebant, vt siue status naturę spectetur Iudas Patriarcha iusserit secundo genitum suum Onan ad Thamarem primogeniti fratris absque liberis defuncti vxorẽ ingredi, vt semen fratri suo suscitaret: siue Mosaica lex consulatur, id ipsum fratri superstiti, etiam sub infamiæ pœna, pręceptum reperiatur: fieri autem non potuisse, vt Deus qui legem naturalem totius naturæ humanæ perpetuam comitem, imò ducem & regulam esse voluerit, eandem in vllo vnquam, nedum in ipso naturæ statu violari, non solum permitteret, sed etiam iuberet.

Hoc enim perinde videri, ac si naturam ab ipso ita conditam vt nũquam mutaretur, tamen ipse mutaret ac dissolueret, sibique ipsi ea ratione contradiceret, ac seipsum negaret. Quod cum à Deo alienissimum sit, nihil certius credendum quàm quod superstitis fratris nuptiæ cum alterius fratris absque liberis defuncti vxore contractæ, nullo modo legi æternæ aut naturali repugnent, sed tantum impositititię & Ecclesiasticę, cuius ex iusta causa relaxatio penes Pontificem Romanum sit. Nam turpitudinem vxoris fratris quam reuelari lex vetat, partim in hoc matrimonio reipsa nullam fuisse, quoniam Arthurus Catharinam vxorem nunquam cognouerat, partim si qua forsitan specie tenus extitisset, tum per mortem Arthuri iam dudum esse sublatam, tum præterea etiamsi post mortem eius adhuc perseuerare posset, non tantam esse, quin publico pacis bono satis abundeque cooperiatur & compensetur. Quæ omnia cum Theologi grauissimis tam scripturæ sacræ quam sanctorum

Patrum testimonijs corroborassent, nec per totam Ecclesiam vel vnus quispiam vir qui contradiceret, in vlla natione quæ sub cœlo erat, repertus esset, sponsalia, ob immaturam adhuc Henrici ætatem, inter illű & Catharinam ineuntur.

Dum autem nuptiarum tempus expectabatur Elizabetha Catharinæ mater in Hispania, itemque Henricus septimus in Anglia diem suum obierunt. At Henricus octauus, eximia corporis forma præditus, in qua etiam regiæ maiestatis augusta quædam species elucebat, iam decimum octauum ætatis annum ingressus, cum nec ipse iudicij expers haberetur, nec defuncti Patris imperium amplius timeret, quanquam semel dixisset se à nuptijs Catharinæ abstenturum, tamen re accuratius perpensa,& dispensatione Pontificis in omnium optimatum conspectu publicè recitata, nulla mortalium vel tantillum scrupuli opponente, de totius consilij sententia, Catharinam in vxorem, tertio Nonas Iunij palam accepit, ac die Ioannis Baptistæ proximè subsecuto, non minus vxori, quam sibi, regium diadema cum ingenti omnium lætitia imponendum curauit, apud sacrum S. Benedicti monasterium, quod Londino ad Solis occasum adiacet.

Genuit Henricus ex Catharina filios tres & duas filias, ex quibus maior natu filius (cui etiam Henrico nomen fuit) nono post natiuitatem mense è vita sublatus est. Cumque cęteri, etiam non diu postquam nati erant, vixissent; sola Maria, anno septimo Henrici octaui, apud Grenuicum duodecimo Kalendas Martias in lucem edita, vtrique parenti superstes mansit.

Fuit inter Henricum & Catharinam, tum aliqua ętatis, tum longè maior morum dissimilitudo. Superabat illa virum ętate, ad summum quinquennio: moribus verò, amplius quam mille annis. Catharina surgebat media nocte, vt nocturnis Religiosorum precibus interesset, mane hora quinta ornabat se quam citissimè, nihil sibi temporis, pręter hoc solum in quo vestiebatur, perire dictitans. Sub regio vestitu Diui Francisci habitu (ad cuius tertium ordinem sese ascripserat) vtebatur. Omnibus sextis Ferijs & Sabbatis ieiunabat, omnibus B. Mariæ vigilijs solo pane & aqua viuebat, quartis & sextis ferijs peccata Sacerdoti confitebatur, Dominicis etiam sumebat Eucharistiam: Officium B. Virginis quotidie recitabat, sex horis continuis mane in templo sacris officijs vacabat, à prandio autem Sanctorum vitas, ancillis etiam astantibus legebat, ad duas fere horas: inde templum repetens, ibi fere manebat vsque ad horam cœnæ, quam sumpsit longe parcissimè. Orabat semper

flexis genibus,absque puluinari, aut alia quapiam re inter ipsam & pauimentum interiecta. Quis iam miretur, si tam sancta fœmina,maiore quodam tribulationis igne probanda fuit, vt virtutum eius odor in totũ orbem Christianum facilius diffunderetur?

Henricus interim omni luxu diffluens, ex ipsius Reginæ ancillis nunc duas, interdum tres, concubinarum loco habebat,ex quarum vna cui nomen fuit Elizabethæ Bluntæ, genuit filium quem Rochmundiæ Ducem creauit. Admirabatur quidem vxoris sanctitatem, sed deteriora consilia & instituta sequebatur. Mariam filiam regio splendore educatam, constituit Britannorum seu Vuallorum Principem,qui populus & insulam primum occupauit, & ei nomen Britannię imposuit, & lingua propria, quam nemo fere Anglorum intelligit, adhuc vtitur, Germani autem exteros vocant Vuallos. Itaque cum Anglos Saxones ex Germania in Britanniam ad fines Britannorum tuendos euocati, tandem in ipsos Britannos arma conuertissent, eosque subiugassent, vt suum populum ab alieno distinguerent, Britannos vocarunt Vuallos, hoc est, non Germanos, sed prę Germanis, exteros & alienos. Huius autem prouincię administratio & prefectura ei tantum Regis proli conceditur, cui proximum regnandi ius ex hæreditaria lege debetur. Quod etiam Cęsar apud Romanos, quodque Delphinus apud Gallos, hoc idem est apud Anglos Vuallię Princeps.

In Vualliam ergo quę ad occidentalem Insulæ oram sub quatuor Episcoporum Diocesibus longè latèque distenditur, Maria cum illustri senatu & splendida familia delegatur, vt eam regionem suo iure moderetur ac gubernet. Mariæ nuptias vicini omnes Reges ac principes magnis studijs ambiebant. In primis Iacobus quintus Scotiæ Rex, deinde Carolus Cæsar, totius Belgij possessionem se illi confestim traditurum asserens. Tum autem, Galliæ Rex Franciscus, filijs suis duobus, hinc Delphino inde Aurelianensi Duci, eandem in vxorem petijt. Quorum teneram ætatem cum Henricus non probaret: Rex Franciscus se ipsum obtulit Mariam ducturum,nec Henricus abnuit,si tamen, Carolus Clementem Papam,quem tunc captiuum obtinebat,liberum ac immunem quamprimum non dimitteret. Alioqui enim & Mariam Gallo dare,& Carolo bellum indicere cogitabat. Ac filio quidem primogenito Regis Galliarum Maria tandem certis conditionibus despondebatur, quæ sponsalia cum apud Grenuicũ in Anglia, octauo Idus Octobris solenni ritu fuissent dedicata, Eliensis Episcopus in Gallias traijciens, præclarã de ea re orationem apud Franciscum Regem Galliarum habuit. Hinc

facile apparet quam constans apud omnes Principes Christianos fides ac sententia semper fuerit, de Catharinæ legitimis cum Henrico nuptijs, cum earum nuptiarum prolem, quæ non alia conditione, quam si legitima est regnandi ius in Anglia consequi debet, tanto studio in coniugẽ expetierint. Iam ad Henricum reuertatur oratio.

Cum ea Catharinæ grauitas & moderatio, eaque Henrici leuitas & libido esset, vt nihil magis repugnans & contrarium facile reperiri posset, atque ideo hominem petulantem & luxuriosum tam venerandæ matronæ prorsus tęderet, nec ea res latere Palatinos diu posset, Thomas Volsæus homo præter cæteros ambitiosus & audax, cuius etiam opera erant Regis quam Reginæ operibus similiora, omnes occasiones captabat, quibus & Regi placeret, & Reginam læderet, & suum negotium proueheret. Hic homo, non humili tantum loco sed & vili natus, cum in aulam irrepsisset, Regique à sacello factus esset, tandem Richardi Vintoniensis Episcopi opera Regijs Eleemosynis pręficitur, mox Tornaco apud Morinos in potestatem Henrici redacto, Tornacensis Episcopatus vectigalia ex Regis donatione capit, paulo post, fit & ipse Episcopus, primum Lincolniensis, deinde Dunelmensis, tum autem Vintoniensis, ac simul etiam Archiepiscopus Eboracensis, (nam Vintoniensẽ & Eboracensẽ duos locupletissimos Episcopatus simul possedit) demum fit totius regni Cancellarius, addo etiam Cardinalis, & ad vniuersum Anglię regnum de latere legatus. Quid quod tum Francisci Galliarum regis, tum Caroli Cęsaris annuis præterea pensionibus & muneribus augebatur, vt omittam locupletissimas Abbatias in quas vbique terrarum inuolauit: quodque omnium caput erat, ipse Rex Angliæ totus erat in Volsæi potestate, omnia pro illius arbitratu distribuens atque administrans. Et tanquam hæc omnia parum essent, primam totius Ecclesiæ sedem occupare, ac vnitatis Sacerdotalis fastigium conscẽdere, Satanæ spiritu actus nitebatur. Quod cum Carolus Imperator persentisceret, hominis ingenio ad suam rem abusurus, Volsæum tanta obseruantia colere cœpit, vt & crebras ad eum litteras nec alterius quam Cæsarea manu perscriptas, daret, suscriberetque in hæc verba: Filius vester & cognatus Carolus. Quin etiam spem maximam dedit, si Volsæus efficeret, vt Henricus Angliæ Rex perpetuum fœdus cum Cæsare colẽret, Regemque Francię bello simul petendum decerneret, se ex altera parte effecturum, vt Volsęus mortuo Leone decimo fieret summus Pontifex. Implet Volsęus conditionem quam cupidè: sed cum Carolus tantum ab eo quod obtulerat præstando abfuisset, vt potius magna cum

sua laude Adrianum sextum ei loco præficiendum curaret, Volsæus adhuc dissimulandum ratus, mortem etiam Adriani expectat. Porrò cum ne tunc quidem rationem sui à Carolo haberi animaduerteret, quin imo post Franciscum Regem Galliarum in bello Ticinensi captum, Cæsar & raro ad Volsæum, & non nisi aliena manu scriberet, nec aliud quam nudum Caroli nomen suscriptionis loco apponeret, tunc Volsęus apertè furere Carolo summis viribus aduersari, ad hostes Caroli transire & Christianissimo Regi se totum cœpit addicere.

Hac ergo ira inflammatus cum & Henricum Regem alieniore animo à Catharina, & ambitionem suam sanctissimæ fœminæ grauem ac molestam esse intelligeret, Ioannem Longlandum Lincolniensem Episcopum, qui Henrico Regi erat à confessionibus, ad se vocat, ei narrat, quantæ sibi curæ sit æterna regis salus. Nam nec sileri posse quod tanti sit momenti, nec alteri prius aperiri debere, quam ei viro qui omnia secreta Regis optimè nouerat. Quid multis? Demum ait, matrimonium Regis cum Catharina parum sibi firmum videri, & cur id sentiat, multas obtendit rationes. Longlandus hominem sincerè loqui arbitratus, nec ei ausus contradicere, sciens etiam hanc rem ingratam Regi accidere non posse, id tantum respondit, par esse, vt Rex tantæ rei, non ab alio prius, quam ab ipso Volsæo admoneatur. Hoc in se Volsæus recipit: quem simul ac Rex in eum sermonem venisse audiuit, *Caue* (inquit) *ne rem semel iudicatam iterum in controuersiam voces.* Triduo autem post Longlandus à Volsæo ad Regem ductus, id saltem petit, vt sua maiestas rem cognosci & examinari permittat. Cum Rex non abnueret, Volsæus intulit spectatæ formæ ac nobilitatis fœminam in Gallia esse, Margaritam Christianissimi Regis sororem, quæ Duci Alinsoniæ aliquando nupta fuerat, hanc regio thalamo in primis conuenire. De hoc (ait Rex) agemus postea, nunc silentium ante omnia necessarium est, ne res immaturè patefacta, honorem nostrum aliquo pacto læsisse videatur. Cum ergo silentium singuli promisissent, Rex in hanc de suo repudio quęstionem totus incumbens, cum certis Theologis ea scripturæ sacræ loca
Leuit. 18 *Deut. 25* quæ ad rem facere videbantur, maximè quæ in Leuitico & Deuteronomio scribuntur, studiosissimè perlegit diligenterque etiam Iulij secundi literas discussit, quę ipsius cum Catharina matrimonium confirmabant. Vbi autem in hoc genere quæstionis examinando, integrum fere annũ clam insumpsisset, nec quod eum iuuare posset quicquam reperisset, visum est illi & cæteris quos in consilium adhibuerat, nihil amplius in ea re tentandum esse, atque ita sanè euenisset, nisi quod partim Volsæus

illum quiescere non patiebatur, partim animus Regis Catharinæ pertæsus, Annę Bolenæ potiundæ cupidus, & vtramque ob causam diuortij auidus, minimo quolibet momento, in nouam semper spem atque opinionem inclinabat.

Accidit eo tempore vt ex Francia legati adessent, qui Mariā Vualliæ principem Duci Aurelianensi nuptum dari peterent. In ijs erat Episcopus Tarbiensis. Rex igitur Henricus Volsæo auctor fuit vt Volsæus, non quidem Regis nomine, sed tanquam partis Gallicanæ fidelissimus amicus huic Episcopo controuersiam de Regis matrimonio insinuaret, diceretque si forte illud dissolui posset, spem certam esse Regis Galliarum sororem Margaritam in coniugem assumpturum, fecit Volsæus quod imperatum est, addiditque, talem esse hanc causam quæ ab Anglo quopiam tentari primum & proponi non deberet: quem enim subditum posse inuidiam tantam sustinere, vt Regis sui matrimonium accuset? æquum esse vt ipse Tarbiensis, tanquam & sui Regis causam agens, & commune vtriusque Regni bonum prouehere cupiens, hoc onus in se susciperet. Visa est Tarbiensi honesta oratio. Re igitur cum suis Collegis communicata, in senatu Regis Angliæ, ipso Rege præsente, dixit, non minus inter Anglos quam Gallos constare, nihil vtrique Regno magis expetendum quam pacem, hancque ob causam hactenus de nuptijs inter Aurelianensem Ducem & Vualliæ principem actum esse, sed aliam subesse viam huic negotio expediendo longè opportuniorem, si eam sibi liceat proponere. Et cur (inquit) non liceat, cum non solum apud Christianos verum etiam apud optimos & prudentissimos viros agatur, qui omnia priuata publico bono postponenda iudicant? Addit deinde multa de Regis Henrici cum Catharina matrimonio, illud inualidum probans quod fratris vxor prius fuisset, quam ipsum habere iuxta Euangelium non liceret, exterasque nationes de his nuptijs liberius quam Angli, loquentes, vehementer dolere regiam adolescentiam ab aliorum quibus fidebat consilijs in hanc fraudem esse inductam. Nunc autem Serenitatem ipsius modum longe optimum habere, quo se ab his nuptijs quamprimum exueret, & Christianissimi Regis sorore in locum Catharinæ assumpta, pacē inter hæc nobilissima regna firmam atque adeò perpetuam stabiliret.

Henricus hanc rem velut nouam, & inauditam admirari se atque etiam ægrè ferre simulans, tamen cum ad honorem salutemque ipsius æternam spectaret amplius deliberandum censuit, Tarbiensis vero vt rei tam lętę insperatum nuntium Christianissimo Regi apportaret, in

F

Galliam aduolauit.

Populus autem Anglicanus vbi hoc audiuiſſet, ſtatim & Galliarum Legatos maledictis, & Regis propoſitum omni vituperatione inſectatus eſt. Nemo enim dubitabat quin de Regis conſilio, hæc res excogitata & propoſita fuiſſet.

Hoc ipſo tempore Burbonius Princeps (quanquam ſua morte eam perfidiam luerat) vrbem Romam occupaſſe, diripuiſſe, incendiſſe, ſacra omnia prophanaſſe, ipſumque Pontificem Clementem ſeptimum obſidere, imo & captiuum tenere dicebatur. Volſæus, hac accepta occaſione, Regem Henricum ad auxilium Pontifici ferendum ſtimulat: Nec aliter poſſe illum facere, quam vt defenſorem fidei ſeſe exhibeat, cum nuper eum titulum (ob librum contra Lutheri hæreſes conſcriptum) ſibi & poſteris ſuis à ſede Apoſtolica donatum accepiſſet. Quid quod hac vna re Papam ſibi deuinceret? quem ob eam rem in cauſa diuortij ſui non modo propitium iudicem, verum etiam diligentem patronum habiturus eſſet, imò & Franciæ Regem, ac præſertim liberos eius perpetuo ſibi demeriturus, quos in Cæſaris poteſtate conſtitutos hac ratione in libertatem aſſerere poſſet.

His verbis Rex adductus eſt, vt Cardinalem in Gallias cum octoginta aureorum millibus & Collegis duobus mitteret, ac præter mandata generalia quę tribus legatis ex æquo dabantur, ſolus Volſæus mandata quędam occulta ſeorſim accepit, de Catharinæ diuortio procurãdo, de matrimonio cum Alinſoniæ Duciſſa contrahendo, & de filijs Chriſtianiſſimi Regis ex Cæſaris manu eruendis. Ibat Volſæus regia pompa lætus & triumphans, cum ecce dum Caleti agit, nouas ab Henrico literas accepit, vt ne vllum de nouo matrimonio cum Regis Galliarum ſorore ineundo verbum faceret, ſed tantum de cęteris articulis. Iam enim Rex omnino ſtatuerat, ſi Catharinam reijcere poſſet Annam Bolenam in locum eius aſſumere. Indignari Volſæus, qui diuortium Catharinæ non ob aliud magis vrſerat, quam vt Regem Chriſtianiſſimum per nouas illas nuptias totum ſibi obſtringeret, atque obligaret. Non ignorabat quidem Volſæus Henricum miſerè amare Annam Bolenam, atque adeo deperire: ſed illam putabat concubinæ tantum, non etiam vxoris loco futuram, non ſecus ac eiuſdem Annæ primum mater, deinde & ſoror concubinarum loco iamdiu Regi fuerant, abſque vlla ſpe vxoris regiæ dignitatem conſequendi. Erat Anna Bolena, vxoris Thomæ Boleni, equitis aurati, filia: vxoris dico. Nam ipſius Thomæ Boleni filia eſſe non poterat, propterea quod illo in Francia legatum agente, & bi-

annium ibi commorante, Anna Bolena interim domi concepta est, & nata. Cum enim Rex Henricus Thomæ Boleni vxorem adamaret, vt ea liberius frueretur, virum sub specie honoris, in Franciam ablegauit. Interim Anna Bolena domi concipitur,& nascitur. Thomas autem Bolenus post biennium è Francia rediens,cum vxorem suam peperisse filiā vidisset, vlciscendi huius adulterij cupidus, vxorem apud Archiepiscopi Cantuariensis delegatos iudices in ius vocatam,repudiare in animo habuit, vxor huius rei certiorem reddit Henricum Regem. Is Marchionē Dorcestrię ad Thomam Bolenum mittit cum jis mandatis,vt abstineret à lite, condonaret vxori, eamque iterum in gratiam reciperet. Bolenus quanquam à Regis sibi ira timendum videret, tamen prius mandatis eius nō paruit, quam ab vxore audijsset ipsam à Rege sollicitatam fuisse, nec Annam Bolenam alterius quam Regis Henrici filiam esse, proinde in genua procumbens, rogabat virum,vt sibi parceret, de cætero se fidelem ei coniugem futuram: quod ipsum cum Marchio Dorcestriæ,alijq; viri primarij, tam suo, quam Regis nomine peterent, Thomas vxori conciliatus,Annam Bolenam filiæ loco educat. Iam prius Thomas Bolenus aliam filiam ex coniuge sua genuerat, cui nomen Mariæ imponebatur. In hanc Rex dum ad matrem ibat, oculos coniecerat, eandem post Thomæ Boleni reditum, in aulam suam, imò & in adulterinum thalamum traduxerat. Cum autē Henrici Regis domus ex perditissimo genere hominum constaret, cuiusmodi erant aleatores, adulteri, lenones, assentatores, periuri, blasphemi, rapaces,atq; adeò Hæretici: inter hos insignis quidam nepos extitit Franciscus Brianus eques auratus, ex gente & stirpe Bolenorum. Ab illo Rex quodam tempore quæsiuit, quale peccatum videretur, matrem primum, deinde filiam cognoscere, cui Brianus, Omninò (inquit) tale, ô Rex, quale gallinam primum,deinde pullum eius gallinaceum comedere. Quod verbum cum Rex magno risu accepisset, ad Brianum dixisse fertur, næ tu meritò meus es inferni vicarius,Brianus enim iam prius ob impietatem notissimam vocabatur, Inferni vicarius, post hoc autem, & regius inferni vicarius, Rex igitur cum matrem prius & postea filiam Mariam Bolenam pro concubina tenuisset, demum ad alteram quoque filiam Annam Bolenam animum adijcere cœpit.

Fuit Anna Bolena proceriore corporis statura, capillo nigro, facie oblonga, colore subflauo,quasi istericię morbo laboraret, cui dens vnus in superiore gingiuo paululum prominebat,in dextera manu sextus agnoscebatur digitus, sub mēto etiam succrescebat turgidum nescio quid,

cuius deformitatis tegendę causa, tam ipsa, quam ad illius imitationem, reliquæ regiæ ancillæ colli & pectoris superiora quę ante nuda gestabát operire cœperunt. Reliqua corporis proportio pulchrior videbatur, maxima venustas in labijs, in facetijs, in saltandi, & fidibus ludendi peritia, denique in vestitu, quem, quotidie & nouum excogitauit, & elegantissimum gessit, omnium aulicorum in ea re exemplar & speculum. Quod vero ad mentis imaginem attinebat, plena fuit superbiæ, ambitionis, inuidiæ, luxuriæ. Cum quindecim esset annorum, ab eo qui Thomæ Boleno à poculis, atque etiam ab altero, qui eidem à sacello fuit, sese deflorari passa, mox in Gallias mittitur, vbi regio sumptu, non longè à Briero apud nobilem quendam virum educata, paulo post ad Palatium Regis Galliarum se contulit. Ibi tam impudicè vixit, vt vulgo à Gallis appellaretur Hacnea, seu equa Anglicana. Cum autem & in Regis Galliarum familiaritaté ascita esset, cœpta est vocari mula regia. Hæresi etiam Lutheranæ addicta erat, vt ne religio à vita discreparet, nec tamen à solennibus missarum Catholico ritu peractis abstinebat, quia Regis consuetudo, & ambitionis institutæ ratio id ab illa extorquebat. In Angliam vero cum reuertisset, atque in familiam regiam cooptata esset, facile didicit, & quam tæderet Regem antiquæ vxoris, & quid Volsæus moliretur, & quantopere Henricus tum ipsam deperiret, tum alias concubinas subinde mutaret. Nam præter exempla externa tum matrem suam prius, tum deinde sororem viderat ex illa præcipua Regis gratia excidisse. Quid ergo & ipsi paulo post sperandū, nisi ab initio sibi ipsa consuleret? Quod consilij cū cepisset, quãto magis Rex eius consuetudinem expetijt, tanto vehementius preces regias illa repulit, sanctè dictans, nemini se virginitatis florem præter quam viro suo dedicaturam. Colloqui, colludere, simul etiam cum Rege saltare, nunquá à sua modestia alienum iudicauit, tantum à concubitu abhorrere se finxit. Quibus artibus ita Regem inescabat, vt iam ei magis magisque fixum & constitutum esset, repudiata Catharina, tam sanctam virginem in vxorem accipere. Is rumor cum in Galliam perlatus fuisset, passim dictitabant Regem Angliæ ducturum esse mulam Regis Galliarum.

Agebat etiam tunc in Gallijs Thomas Bolenus, qui pater Annæ putabatur, eo missus à Rege vnà cum nobilissimo Equite Antonio Bruno, ad certa Regis negotia expedienda. Is ergo vbi audisset Henricum perditè amare Annam Bolenam, atque adeo velle eam in regni consortem assumere, inconsulto Rege, præter legatorum morem, citato cursu in Angliam venit, id Regi suggesturus, quod nisi tempore aperiret,

poſtea per alios reuelatum ipſi Boleno periculum creare poſſet. Occurrit autem Boleno Henricus Noreſius,qui HenricoRegi erat à cubiculis, hunc Bolenus rogat vt inopinatum eius aduentum apud Regem excuſet, ſimulque ſecretam ei audientiam impetret. Introductus ad Regem Bolenus, rem ab initio repetit,dum ipſe in Francia olim degeret,natam vxori ſuæ Annam Bolenam: ac ſe quidem voluiſſe vxorem ea de cauſa repudiare, niſi & Rex interceſſiſſet, & vxor apertè faſſa eſſet Annam Bolenam eſſe filiam Regis. Tace, ô ſtolide (inquit Rex) centum alij ex æquo tuam vxorem compreſſerunt: cuiuſcunque illorum ſit filia, certè quidem erit vxor mea. Tu ad legationem tuam reuertere, nec verbum cuiquam de hac re feceris. Hęc ſubridensRex cum dixiſſet,è loco diſceſſit Thoma Boleno adhuc in genua prouoluto.

Vt autem minus homines mirarentur, quæ cauſa tam ſubiti aduẽtus Thomæ Boleni extitiſſet, diſſeminatus eſt ſermo, eum ad Regem attuliſſe depictam Duciſſę Alinſoniæ imaginem. Poſtquam vero ThomasBolenus animaduertit Regem omnino decreuiſſe Annam Bolenam matrimonio ſibi copulare, tam ipſe, quam vxor ipſius omnem curam, laborem, cogitationem, in Anna Bolena inſtituenda poſuerunt, vt, ne quo errore à tanta ſpe deciderent.

Volſæum iam ex Gallijs reuerſum Rex monet, vt cauſam repudij, quantum poteſt apud Pontificem prouehat, tardius vero agentem, durius aliquantò excipit. Iam cauſa diuortij per omnium ora ferebatur. Iam omnes qui non niſi ex nouis rebus creſcere ſe poſſe animaduertebant, cum ad ſummos honores aditum ſibi per huius diuortij ſpeciem fieri viderent, id omni ratione prouehebant. Contra verò, quos ſolus amor veritatis ad fidem confitendam impulit, illi quidem Reginæ iam planè ab hominibus deſertæ, æquiſſimam cauſam tuebantur: libri paſſim conſcribuntur, alij pro Catharinæ matrimonio, alij contra illud. Qui autem Catharinæ matrimonium oppugnabant, eorum liber Henrico oblatus, cum apud Cardinalem Volſæum præſentibus multis Epiſcopis lectus eſſet, nihil aut pro veritate clarius, aut in Regem durius dicere plerique Epiſcoporum auſi ſunt, quam, ex ijs quæ illic in mediũ proferebantur, iuſtè poſſe Regem de matrimonio ſuo cum Catharina iamdiu inito, ſcrupulum aliquem concipere.

Dum Rex ita eſſet affectus erga Annam Bolenam & Catharinę repudium, ſtatuit tam de ſua quam Volſæi ſententia Stephanum Gardinerum Iuriſ-conſultiſſimum virum ad Papam vnà cum Fräciſco Briano mittendum. Hi vt gratiores Pontifici Clementi eſſent, in itinere cum

Venetis, Henrici Regis nomine egerunt, vt Rauennam redderent Sedi Apostolicæ, quod tamen Veneti facere tunc recusarunt. Inde ad vrbem vbi Papa erat, accedentes, postquam de libertate ei reddita gratulati essent, hæc duo capita proposuerunt, prius, vt sua Sanctitas ad fœdus illud recens quod inter Anglum & Gallum percutiebatur, se ipsam adiungere dignaretur: posterius vt matrimonium Henrici cum Catharina fœmina quidem optima & nobilissima, sed tamen quondam germani fratris sui coniuge, præter legem naturæ (vt aiebant) contractum, auctoritate sua irritum declararet, nam in ea re obreptum Iulio secundo fuisse, cui contra ius diuinum dispensandi nullam fuisse potestatem. Qui scrupulus quanquam domi Episcoporum Angliæ iudicio ab animo Regis eximi potuisset, tamen vt ne qua suspicio Cæsari oboriretur, tanquā in solius Regis gratiam Episcopi Anglicani hoc fecissent, maluisse Regem hanc causam ad summum totius Ecclesiæ tribunal referre. Posse vero suam Sanctitatem huic morbo facillimam adhibere medicinam, propterea quod ea sit Catharinæ sanctitas, tale austerioris vitę studium vt postquam mutuo consensu diuortium fuerit interpositum, illa non difficulter sit in monasterium aliquod sese abditura. Iudices vero huius negotij quos dari posse meliores, quam lectissimos Cardinales Campegium & Volsæum, quorum alter in Anglia degens, causam optimè perspectam habeat, alter sub Leone x. in Angliam cum potestate Legati missus, res Anglorum non penitus ignoret? Papa vbi gratias & Regi & ipsis egisset, & cur in Gallicum fœdus intrandum sibi non putaret, rationem reddidisset, quod ad causam diuortij attinebat, eos cum certis Cardinalibus & Theologis de ea re agere voluit, professus, si hoc quod Rex petebat, legitimè fieri posse constaret, se non modo id ipsum libenter facturum, sed etiam seriò sibi gratulaturum, quod occasio esset oblata tanto principi gratias referendi, qui, & libro doctissimo pro septem Ecclesiæ sacramentis conscripto, de tota Ecclesia optimè esset meritus, & præterea Sedem Apostolicam nuper propugnasset, maximeque omnium, suam ipsius personam ex manibus hostium ereptam & vindicatā perpetuo sibi deuinxisset.

Cardinales & Theologi rationibus atque argumentis Legatorum perspectis vno consensu responderunt, matrimonium Henrici cum Catharina ratum & firmum esse, nec vllo diuino iure prohiberi. Nam quicquid in Leuitico, de turpitudine vxoris fratris non reuelanda, legatur, id necessariò ita interpretandum, vt, ne repugnet ei legi quæ postea in Deuteronomio præcipit superstiti fratri, vt fratris absq; liberis defuncti

Leuit 18
Deut 25.

vxorem ducat. Aut enim has leges pulchrè consentire, & posteriorem nihil aliud quam prioris exceptionem quandam esse, aut si contrariæ essent, non priorem posteriori, sed posteriorem quæ in Deuteronomio extat, derogasse priori quæ in Leuitico traditur. Quod vero verbum Ioannis Baptistæ laudassent quod dixit ad Herodem: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, Ioannem tunc egisse de tali Herodis fratre, qui & viueret, & Itureę ac Traconitidis Tetrarcham ageret, & filium ex se genuisset: cum Arthurus Henrici frater nec iam viueret, nec prolem ex se reliquisset: in causa igitur tam perspicua iudices dandos non esse, maximè in Anglia, vbi omnia in potestate Regis futura sint, & præsertim tales, qui ob multa beneficia de Regis Henrici manibus accepta, maiorem in modum ei sint obstricti.

Cum hoc responsum Doctori Stephano significatum esset, ad Papam reuersus dixit, primum alijs Theologis in vrbe aliud videri, deinde si matrimonium Henrici iure diuino interdictum non fuisset, tamen Regem ostensurum, ipsius Iulij dispensationem minimè fuisse Canonicam aut legitimam: illud se maximè omnium mirari, quod iudices qui priuatis non negarentur, tanto & tam bene merito Regi dandos non esse dicatur. Benignius responsum se à sua Sanctitate expectare. Faciam (inquit Pontifex) Regis causa quicquid mihi facere licebit, Cæterum agitur iam non de causa humani iuris, verum de matrimonio fidelium, quod cum sit sacramentum à Christo institutum, nihil in eo nobis innouare licet: & agitur de matrimonio dissoluendo quod à Deo coniunctum homo non separat: & agitur de tali matrimonio dissoluendo, quod auctoritate decessoris mei contractum, viginti annorum cohabitatione munitum, etiam prolis fructu sit corroboratum. Quid? nonne agitur etiam de honore tam Catharinæ principis quam Caroli Cęsaris? Et quis præstabit ne hoc diuortium magni alicuius belli causam præbeat? Mei autem officij est, videre, ne quid turbarum, quibus obstare queam, in Ecclesia Dei oriatur. Clemens vbi hæc dixisset, iterum Regis causam alijs Cardinalibus & Theologis cognoscendam commisit. Ibi quanquam nonnulli dicerent æquius hanc litem Romæ, vbi omnibus ex æquo ius dicebatur, quam in Anglia, vbi Regis arbitratu omnia fierent, decidendam esse: tamen alij, negotia Ecclesiastica Politicis rationibus interpolantes, multis verbis questi sunt de hæresibus nuper in Germania obortis, deque cæterorum Principum in propugnanda fide, nimia tepiditate. Quare cum Henrico fidei Catholicæ acerrimo defensore clementius agendum, præsertim cum dicatur, ipsam Reginam in

monasterium ingredi paratam esse: & sanè illud videri durissimum, vt, ne iudices quidem ij dentur, quos tantus Rex petit, cum potius, dum lis apud eos agitatur, sperandum sit Regis animum, si qua in re nunc sit deprauatior, ad officium paulatim reuocatum iri, saltem quid obstare, quominus periculum fiat? semper enim Papæ integrum fore vt causam ad se reuocet.

Hęc autem posterior sententia valuit apud Clementem partim gratiæ Henrici nimium dantem, partim nihil omnino suspicatum, quod falsa essent illa omnia quæ de Catharinæ vel assensu, vel monastica vita obtenderentur. Dati sunt ergo iudices Laurentius Campegius, & Thomas Volsæus Præsbyteri & Episcopi Cardinales. Regina vero licet de his qui ad vrbem mittebantur legatis, certior facta non esset, tamen simul ac tale quid suspectũ habere cœpit, tum à Põtifice per literas petijt ne qua legatio in Angliam de hoc diuortio cognitura mitteretur (nam hoc nihil esse aliud quam Regem in sua causa iudicem facere) tum Imperatorem tam de Volsæi suggestione, quam de Regis instituto certiorem fecit, summis precibus contendens, ne materterã suam desereret, cui omnes istę inimicitię ob solius Cæsaris odium sustinendæ sint. Questus est apud Pontificem Cæsaris legatus tam de nuncijs à Rege Angliæ in vrbem, inscia Regina, cuius tamen causa hæc præcipue erat, clanculum missis, quam de iudicibus à Pontifice datis, antequam adhuc quid Serenissima Regina pro se allatura esset, audiuisset. Quæ scandala tunc oritura, cum Cæsar materteræ suæ causam contra iniurias Henrici propugnauerit? Quem statum rerum in ipso Angliæ regno expectandum, quando pessimi quique regiam libidinem fouentes, omnibus honorum gradibus præficientur, soli autem boni & fideles viri, ob solius Dei timorem causam Reginæ propugnantes, omni honoris gradu deturbati fuerint?

Pontifex cum intellexisset suggestionem Regis falsam fuisse, quatuor nuncios celerrimo cursu diuersis itineribus ad Campegium misit, per literas ei mandans, primum vt in itinere quam tardissimè progrediatur, deinde cum in Angliam venerit, omnem operam ad Regem cum Regina conciliandum interponat. Sin hoc obtineri non poterit, saltem ne vllam pro diuortio sententiam absque nouo & expresso ipsius Pontificis mandato ferat. Hoc (inquit) summum & maximum sit mandatum. Alijs vero literis Viterbio datis, planè significat, si de sua tantum persona ageretur, se omnia pericula in Regis Henrici gratiam subiturum: sed nunc illius voluntati absque iniustitia, & publico scandalo satisfieri non

tis fieri non posse.

Campegius Nonis Octobris Londinum ingressus, & à Volsæo ad Regem deductus, omnia studia & officia, Pontificis, Cardinalium, Cleri, ac populi Romani nomine, Henrico Regi tanquam liberatori vrbis detulit. Cui, Regis nomine, cum Foxius respondisset, Rex & duo Cardinales remotis arbitris, de suis rebus multum & diu collocuti sunt. Aduentus Campegij fuit vniuersis regni ordinibus longè ingratissimus, quod passim dicerent eum accessisse, vt Regem à sanctissima vxore sua distrangeret. Præcipuè autem, Regina in luctu & lachrimis nocte dieq; egit. Quam cum per occultos nuncios consolari Campegius niteretur, eandemque, vt religionem aliquam sponte susciperet, vitæ saltem tuendæ causa, hortatus esset, illa intrepidè respondit, sibi constitutum esse, matrimonium suum quod Ecclesia Romana legitimum semel iudicasset, constantissimè tueri, nec illum recipere iudicem, qui per aperta mendacia potius à Rege extortus quam à Pontifice missus fuisset. His verbis intellectis Campegius ad Pontificem scribit, tum quid animi Reginæ sit, tum quantopere instet Rex vt causa absoluatur, itemque, collegam suum Volsæum, qui prior sit in ordine iudicum scriptus, totum ad matrimonium separandum esse intentum: quare Sanctitatem suam debere primo quoque tempore, quid ei faciendum censeat, præscribere. Dissimulante autem Pontifice, nec aliud quam dilationes quærente, ad sex ferè menses, hoc est, à Nonis Octobris, vsque ad quintum Kalendas Iunij, à causę cognitione cessatum est. Rex autem videns populum indignari quod potiundæ meretriculæ causa vxorẽ tam illustrẽ repudiare conaretur: sexto Idus Nouẽbris Principes ac plebem conuocans, iuratò affirmat, se non alicuius fœminæ amore captum, sed solo conscientiæ scrupulo adductum, vt hanc litem intenderet. Nam quid sua coniuge sanctius? quid nobilius esse, nec sibi aliud in ea displicere, quam quod fratris sui vxor prius fuisset. Qui eum iurantem audiebant, impudentiã viri satis admirari non poterant. Tot enim stupra & adulteria quæ passim committebat, facile clamabant, eum non tam religiosè pium esse, vt scrupulis conscientiæ suæ multum torqueretur. y

Campegius Regi suasit, vt hanc causam non inimica litigatione decidi, sed mutua gratia componi pateretur. Cum Regi consilium placuisset, de illius voluntate accedunt Cardinales ad Reginam, acturi cum illa, vt aliquem religionis habitum susciperet. Sed vix iam præfati erant se à Pontifice missos vt cognoscerent vtrum ipsius cum Rege matrimonium esset validum nec ne, cum illa orationem ipsorum inter-

pellans. Rem (inquit) actam agitis, & actam non solum in Senatu duorum Regum prudentissimorum, sed & in Romano consistorio, itemq; à Papa Iulio transactam, viginti annorum cohabitatione firmatã, fructu prolis stabilitam, orbis Christiani gratulatione & iudicio corroboratam. Sed hanc ærumnam meam tibi vni (Volsæ) acceptam fero, quam tu odio tanto prosequeris, vel quod ego ambitionem tuam & libidinem æquo animo ferre nunquam potuerim, vel quod Cæsar nepos meus tibi Papatum deferendum non curauerit. Cum vero illam & nimio dolore commotam, & mox in lachrymas resolutam conspicerent, ab vlteriore colloquio tunc sibi temperandum putarunt, cætera per nuncios consecturi.

Henricum, festa natalitia, ludis, epulis, & spectaculis ad quæ Cardinales inuitabantur, splendidè transigentem, & Annam Bolenam, toto populo aspectante, in maximis delicijs habentem, Volsæus admonuit, vt saltem honoris sui memor, interim dum lis ageretur, illam pateretur apud patrem suum educari. Vix tandem concessit Rex, vt saltem per solemnes Quadragesimę dies à conspectu suo abesset. Quibus transactis Rex Thomam Bolenum quem iam Baronem & Dominum Rupe-fortis creauerat, iubet Annam secreto ad comitatum suum reducere: simulq; rex ipse literas amoris plenas ad eam scribens, humanissimè ad se inuitat. Cæterum illa negat se ad illum, qui eam semel tam indignè ablegauit, redituram, nec vllo modo mater potuit filię persuadere vt ad regem se conferret. Sed cum Thomas Bolenus, Principis indignationem mortis nuncium esse dictitans, monuisset eam, vt nisi & se ipsam, & domum Bolenorum vniuersam perdere in animo haberet, quamprimũ accederet: Veniam (inquit Anna) sed vbi semel hominem intra vngues meos conclusero, eum vt meritus est, tractabo. Tunc rex vt iratam placaret, multò magnificentius quam vnquam ante, nulla sui nominis aut honoris habita ratione excipit.

In causa vero diuortij sui, cùm animaduerteret omnes Theologos & Iuris Pontificij Professores in eo conuenisse, quod absque Iulij Pontificis venia, qui leges Ecclesiasticas relaxabat, matrimonium Henrici cum Catharina nullo modo ratum fuisset: omnes neruos in Iulij dispensatione infirmanda intendit. Stephano igitur Gardinero & Francisco Briano qui Romæ agebant, mandatum est ante omnia, ne vlli pecuniæ parcerent, sed ingentia munera ijs Cardinalibus & Theologis, quorum opera illis vsui esse posset, vltrò offerrent. Rex vero per Legatos à Pontifice petijt primum, vt Iulij Papæ dispensationem pronunti-

aret adulterinam, & ipso iure nullam: deinde vt potestatem faceret, quo Maria Henrici & Catharinæ filia cum Duce Richmundiæ eiusdem Henrici filio notho, successionis regiæ stabiliendæ causa, matrimonio coniungerentur. Illud vero tertium non Legatorum ore sed sua manu conscriptum & consignatum Rex adiunxit, vt quanquam ipse Henricus Mariam Bolenam cognouisset, ex eoque legibus Ecclesię prohiberetur Annam Bolenam eiusdem Mariæ sororem vterinam in coniugem assumere: tamen sua Sanctitas, quæ leges Ecclesiasticas moderatur & relaxat, gratiam ei huius rei auctoritate Apostolica faceret: quod ita conscriptum & petitum fuisse, non Caietanus modo insinuat, verum etiam Cardinalis Polus constanter affirmat, additque, Henricum ita demum hoc vltimum impetrasse, si ante constitisset Iulium Pontificem non habuisse ius, priore illa in causa (hoc est in nuptijs fratris) dispensandi. Hæc Polus. De primo autem postulato ea ratio inibatur, vt Legati Regis peterent Iulij decretum, in quo matrimonium Catharinæ cum Henrico ratum habuerat, circunduci & abrogari. Quæ res vt ritè atque ordine tractari posset Clemens, dixit se acturum cum Imperatore, vt authenticum illud Iulij decretum quod apud Cæsarem extabat, aut in vrbem Romam, aut certè in Angliam ad Legatos suos transmitteretur. Instabant Legati Regis, vt nisi Carolus intra duos menses proximè secuturos decretum Iulij exhiberet, sua Sanctitas illud pronuntiaret irritum ac nullum. De qua petitione cum Cardinales de Monte, & quatuor Coronatorum, Episcopus Simoneta, & Theologi quidam, ex mandato Pontificis cognouissent: visa est omnibus iniquissima, tam ob temporis præscripti breuitatem, quam ob inusitatum edicti modum. Itaque Pontifex interloquutus est, se hac de re ad Cæsarem scripturum, à quo non putabat se plus minis & summo iure, quam solo æquitatis nomine obtenturum: Contra verò Legati dicebant, nihil sibi curæ esse vt breue Apostolicum exhiberetur, nisi ad constitutum diem id fieret.

Cum autem hæc res magnam Pontifici molestiam afferret, per literas cum Legato suo Campegio expostulat, quod eiusmodi mandata Romam perferri passus sit, quæ in Anglia præcidi oportuisset, nec spem vllam de rebus eiusmodi, quę concedi nunquam possent, à Pontifice impetrandis fieri. In earum literarum extremo questus est (qui Papæ fuerat à secretis) Ioannes Baptista Sanga, Legatos Regis præ orationis vehementia, magnum malum Sedi Apostolicę minitatos, nisi Rex voti sui compos fieret. Quasi vero, ait, sua Sanctitas ab officio recedere debuerit, etiamsi totum orbem lucratura esset, aut quasi minarum istiusmodi

executio non primum illis ipsis qui minantur, plurimum detrimenti sit allatura: si rex videlicet ob explendam libidinem suam, vt domi, suæ vxori, sic foris, Sedi Apostolicæ, hoc est, radici & matrici Ecclesię Christianæ, libellum repudij daturus esset, atque hinc quidem certissimo constat Legatos eo vsque regis animum exploratum habuisse, vt potius fidem vnà cum vxore abijcere vellet, quam Annæ amplexibus priuari.

Quapropter cum Henricus ex legatorum suorum literis intellexisset Papam nihil eorum quæ peteret, absque conditionibus adiunctis concessisse: timeret vero ne inter Christianos Principes generalis quædam pax (qua de re Cameraci tunc disceptabatur) componeretur, qua fieret, vt Papa illi minus deberet, & Imperator maiorem potentiam acquireret, & Galliarum rex, filijs receptis, Henrici ope minus indigeret, atque ita vndique desertus nec veterem vxorem repudiare, nec Annam ducere, saluis rebus suis posset: re prius cum Volsæo & aduocatis communicata, Campegium renitentem, seque ob decretum Iulij nondum coram exhibitum, iustissimè excusantem, quin & à Pontifice absque nouis mandatis, de causa illa vlterius cognoscere prohibitum: tamen minis, blanditijs, muneribus, importunitate eo adegit, vt cum de vita etiam sua, nisi regis voluntati satisfaceret, in dubium veniret, tandem vnà cum Volsæo, Londini quinto Kalendas Iunias, in Cœnaculo Fratrum ordinis D. Dominici, tribunal conscenderet. Mandatis igitur Papę ante omnia recitatis, nominatim euocant primum regem Henricum cuius vice duo procuratores aderant, deinde reginam, quæ ipsa in medium prodiens, cum protestata esset, se in illos tanquam iudices suos non assentire, ad Papam prouocauit. Sed cum appellationem Legati non admitterent, nisi regina scripto quodam Apostolico doceret, mandata ipsorum esse reuocata, proximo die quo in iudicio consessum est, regina iterum affuit; ac tum quidem, proposita solemni exceptione, rationes cur ad Pontificem prouocaret has expressit. Primum, quod locus iudicij parum æquus videretur, nam se in Hispanijs natam, ibi esse peregrinam: Henricum qui huius litis auctor sit, eundem esse totius Angliæ regem. Deinde personas iudicum non solum regi deuinctas, verum & subiectas esse, Volsæum, ob Vintoniensem & Eboracensem Episcopatus, ac multas Abbatias; Campegium, ob Sarisburiensis Ecclesiæ ex dono regis adeptum Episcopatum. Postremò sanctissimè iurat, se non nisi timore iustissimo adduci, vt horum iudicio hoc in loco & hac in causa stare recuset. Quanquam vero iudices in regis gratiam nollent appellationem Catharinæ recipere, tamen cum sententiam re-

pudij non ferrent, nihil quod Regi gratum esset facere videbantur. Itaque Henricus ipse in iudicio se ipsum sistens palam dixit non odio Reginæ. sed scrupulo conscientiæ & doctissimorum hominum iudicijs se impulsum, vt quanquam domi haberet Cardinalem Eboracensem de latere legatum, cui soli potestas, ad litem hanc decidendam delegari potuisset, tamen declinandæ inuidiæ causa,. hos iudices à Pontifice Romano summo Ecclesiæ capite, impetraret, quorum sententiæ,quæcunque illa futura esset, se acquieturum contestabatur.

Postquam Rex perorauerat, Regina vrgebat, vt appellatio quam interposuisset, iudicibus probaretur. Illis negantibus, cum ad læuam subsedisset, de loco suo surgens, Regem qui ad dexteram sub Conopæo considebat, adiuit, genibusque flexis ab illo supplex precata est, vt quoniam in suo regno ageret, ipsa vero peregrina esset, liberam ei potestatem faceret Romæ, apud communem omnium Christianorum Patrem atque etiam iudicem ipsi Regi probatũ, litem istam persequendi. Assurgens Rex & benignissimis oculis eam intuitus, hanc se illi potestatem facere dixit: populo interim qui vultum vtriusque coniugis, & gestum spectabat, minimè sibi à lachrimis temperante. Discedit ergo Regina ex loco iudicij: cui cum statim esset nuntiatum, ipsam à Rege & iudicibus reuocari. Parebo, (inquit) marito meo non item iudicibus. Sed cum à Procuratoribus suis admoneretur, si verba interpositæ appellationis, sua in iudicium reuersione oppugnaret, eam rem detrimentum causæ ipsius allaturam: hac proposita Regis nuncio excusatione, ad Baynardi arcem, vnde illuc venerat, reuersa: toti consilio suo dixit: Hodie primũ, ne causæ meæ nocerem Domino meo Regi non parui: sed cum proximè eum videro, flexis genibus, hanc culpam deprecabor. O coniugem meliore marito dignam! nisi quod, hoc persecutionis genere, Deo visum erat immarcessibilem gloriæ coronam Catharinæ præparare.

Henricus vero qui tantum ne inurbanus videretur, ad temporis momentum precibus Reginæ assenserat, è vestigio legatos ad sententiã ferendam Iulijque Papæ decretum abrogandum omnibus modis promebat. Exemplum igitur Pontificiæ dispensationis cum in iudicio exhibitum esset, Regis Procuratores ex multis capitibus contendebant, id satis firmum ad statuendas Henrici & Catharinæ nuptias non fuisse.

Primum, quod in eo Iulij decreto, de nuptijs quidem, non item de sponsalibus contrahendis, mentio haberetur: cum tamen & Principes sponsalia primum contraxerint, & in causa quæ à Iure Canonico aliena fuerit, extensio nulla sit admittenda.

Deinde quod impubes Henrici ætas commemorata in decreto non fuisset, cum is non nisi duodecim annorum tunc esset.

Tum autem, quod Henricus iam factus pubes, protestatus esset, se nolle Catharinam ducere.

Præterea, quod cum hæ nuptiæ ob pacis bonum inter Ferdinandū atque Elizabetham Hispaniæ, & Henricum septimum Angliæ, reges, retinendum, permitterentur: eaque dispensationis Pontificiæ finalis causa fuerit, tamen nec impubes Henricus octauus, de bono pacis cogitasset: nec Elizabetha & Henricus septimus tunc vixissent, cum nuptię celebrabantur.

Quid quod Catharinæ & impuberis Henrici nomine, preces Pontifici offerebantur, cum tamen istorum Principum nulla intercessissent mandata, quorum vi parentes eorum, hoc pro illis iure agerent. Falsā vero narrationem totum id quod petitur vitiare.

Postremò, istæ nuptiæ duplici obstaculo impedirentur, vno affininitatis, quod ex carnali copula Catharinæ & Arthuri oriebatur: altero iustitiæ publicæ honestatis, quod ex solo earum nuptiarum contractu, etiamsi nulla copula subsecuta esset, promanauit, in Iulij autem decreto solum affinitatis impedimentum relaxaretur, de impedimento autem iustitiæ publicæ honestatis ablato, nulla fieret mentio: hinc aiebāt effici vt hoc posterius impedimentum non ablatum, has Henrici & Catharinæ nuptias faceret illegitimas, & ipso iure nullas. Hæc illi.

Quanquam autem Regina nihil sibi negotij volebat cum illis Iudicibus esse: tamen Procuratores ipsius, vt ne iure aut ęquitate destituti putarentur, omnibus aduersariorum argumentis quamprimum responderunt. Dicebant igitur, sublato semel per Iulij Papæ auctoritatem, Ecclesiasticæ legis impedimento: affectum quoque omnem ex illo profectum, eadem opera sublatum fuisse; vt iam ipsis Principibus ex æquo licuerit, tam sponsalia, quam matrimonium, velut iure communi contrahere. Vbi enim quicquam ob grauem aliquam causam permittitur, omnia sine quibus ad illud perueniri non potest, simul permissa intelliguntur, ne alioqui nihil ageretur. Impuberem vero Henricum, non potuisse adhuc aliud quam sponsalia inire. Quid quod post matrimonium, Pontificis venia ritè contractum, stultè dubitari asserebant, vtrum licuerit Principibus sponsalia contrahere, nec ne? Cum enim Sponsalia quæ matrimonium subsecuturum spondent, nec ad matrimonij constitutionem necessariò requirantur: & tamen semel adhibita, eidem non aduersentur, sed maximè omnium subseruiant, partim concesso matri-

monio, etiam sponsalia intelliguntur concessa, & ideo valebant: partim etiamsi non valuissent, nocere tamen subsecuto postea solemni matrimonio nunquam possent, cum & hoc sine illis per se constet, & quod superuacaneè adijcitur, nunquam id, quod suo iure subsistit, vitiare debeat. Neque hanc causam à Iure Canonico alienam fuisse, quin potius adeo plausibilem, vt si Canonis auctor de illa cogitasset, omnem operam daturus fuisset, vt tanto bono publico, nuptiæ inter fratrem superstitem & defuncti vxorem inirentur: & tamen, in qualibet odiosa causa, permisso matrimonio, sponsalia, quod nihil aliud sint, quam inchoatum quoddam matrimonium, non intelligerentur prohibita.

Ad rem vero non attinuisse, vt impuberis Henrici ætas describeretur, propterea quod ea sola cuiusque rei aut personæ qualitas necessariò exprimenda esset, quæ iuri obsisteret, & cuius mentionem fieri manifesta iuris ratio postularet. Ea fuit in hac causa, non impuberis ętas, quā ad effectum à natura pendentem supplere Pontifex non poterat, sed affinitatis conditio, quæ nuptijs obstabat, & in diplomate expressa fuit.

Adde his, quod in causa matrimonij, in quo nihil aliud ad pubertatem necessarium est, quam vt coire cum fœmina quis possit, certum non est illum esse impuberem, qui sit duodecim annorum. Hieronymus enim ait, Salomonem & Achaz, ætatis vndecimo ac duodecimo anno, filios genuisse. Imò etiam inter priuatos prætermissa duodecim annorum ætas, decretum Papæ non vitiasset, quia tam exigua & leuis qualitas expressa, nunquam Pontificem à maiore aliquo bono prouehendo, retardasset, quantò minus putandum, quod inter potentissimos Principes, Papa, qui pacis conseruatorem se prædicat, tam ingens bonum publicæ pacis plurium regnorum, ob hoc solum impediturus esset, quod Henricus non nisi duodecim annorum haberetur? Principibus enim quod Deus ipse Legibus humanis videtur soluisse, maiora quędam meritò à Pontificibus indulgeri solent.

Protestationem verò iam puberis Henrici, de qua Catharinam nūquam certiorem reddidit, nihil omnino Catharinę obfuisse: quanquam cum nuptiæ solemnes postea subsecutę, priorem protestationem quamlibet solemnem, irritam reddidissent, per quam ridiculè nunc, post nuptias contractas, obtendi, quod Henricus semel dixisset, se nolle Catharinam ducere: dixit, at duxit tamen. Potius facto publico, quam verbo priuato credendum esse, præsertim, cum factum hoc, & posterius fuerit, & in sacramentum Christi transierit, & tot annorum cohabitatione, & nobilissimo prolis pignore, stabilitum fuerit, & confirmatum?

Nam quod putarent impuberem adhuc Henricum de bono pacis minimè cogitasse, cur eum, qui ob duodecim annorum ætatem pubertati proximus, & doli capax erat, quin imo qui grauium etiam criminum reus esse poterat, solius virtutis, & sancti desiderij capacem negarent? Potuit, commisso etiam homicidio, mereri æternam mortem, & non potuit optare bonum publicum, aut ea quæ ad æternam vitam spectant? Hanc absurdam & irreligiosam opinionem boni mores condemnant, sanctæ Leges reijciunt, pij iudices non admittunt, etiamsi quis illam se testibus atque instrumentis probaturum affirmaret.

Præterea, si Filius bonum pacis non optauit, at Pater in cuius potestate erat, id pro illo & ad illius vtilitatem fecit, sicut & pro illo credidit, cum adhuc infanti sacramentum fidei conferendum curaret. Nec in his nuptijs permittendis, Pontifex priuatas Elizabethæ Hispaniarum Reginæ, atque Henrici septimi personas, sed publica officia, & regiam conditionem spectauit, quæ vnà cum illis non est mortua, sed ad hæredes eorum Henricum octauum & Catharinam vnà cum regnandi iure in Anglia pertransiuit. Nam bonum pacis non certarum personarum, sed populi totius bonum est. Populus autem & ciuitas non moritur. Plus dicimus: satis est, quod Henricus & Elizabetha impetrati priuilegij tempore vixerunt, cum illa quæ ex gratia conceduntur, statim atque sunt concessa, vim suam & perfectionem ex sola concedentis voluntate consequantur. Vt interim nec illud omittamus, Catholicum Regem Ferdinandum, contracti matrimonij huius tempore, adhuc superstitem fuisse.

Quod vero filij parentibus non mandauerint, vt hanc illis coniugij veniam impetrarent: nihil referre. Quanquam enim Pontifex eum qui preces alterius nomine affert, nisi de mandato docuerit, repellere, si vult, potest, tamen si non repulerit, verum id quod petitur in causa plausibili & gratiosa concesserit; valet quod agitur, nec amplius quæretur, à quo sunt preces porrectæ, sed tantum an rescriptum sit impetratum? quod multò magis in parentibus locum habet, cum pro filijs aliquid impetrant. Ipsa enim naturæ lex docet, parentes filijs thesaurizare debere, maximeque omnium in Regibus hoc eodem iure ac more vtimur, qui multa suis liberis priuilegia per suos legatos impetrare solent. Nec fuisse falsam narrationem quæ his verbis concepta est, *Oblatæ nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, &c.* pro parte enim Henrici octaui & Catharinæ preces verè offerebantur, sicut narratio ipsa refert, cum ad eorum vtilitatem id totum quod petebatur, constet relatum esse.

relatum esse. Nec vnquam videri posse parentes, quibus ipse Deus filios commendauit, filiorum mandato in ijs quæ ad rem eorum spectant caruisse, cum ipsa filiorum ratio & natura perpetuo quodam gemitu & clamore, parentibus mandet, vt ipsis omni qua possunt ratione, consulant. *Qui enim suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Veniamus iam ad vltimum caput, in quo vim maximam aduersarij sitam esse arbitrantur. In precibus Pontifici oblatis hæc verba continebantur. *Dudum inter Dominam Catharinam & Principem Arthurum Henrici fratrem, matrimonium per verba de præsenti fuisse contractum*: nonne his verbis satis expresse proponitur iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, quod ex solo nuptiarum contractu oriebatur; In ijsdem vero precibus mox sequitur. *Illud matrimonium carnali copula forsitan fuisse consummatum.* Nonne hinc etiam affinitatis impedimentum elicitur, si fortè carnalis copula intercessisset? Propterea enim adiectum est illud forsitan, vt in omnem euentum matrimonio consuleretur, etiamsi carnalis copula, quæ reuera non intercessit, casu quopiam intercessisset. Cum ergo Papa ea re narrata intellexerit, duas ad summum res obstitisse, quominus Catharina Henrico nuberet, vnam, quod ea fœmina prius Arthuro Henrici fratri nupta fuisset: alteram, quod ab eodem Arthuro forsitan fuisset cognita: idemque Pontifex tota re intellecta, non modo affinitatis in toto genere, sed huius ipsius affinitatis impedimentum (quod inter Henricum & Catharinam ex nuptijs Catharinæ cum Arthuro prius contractis, & copula forsitan subsecuta consummatis interuenerat) auctoritate sua sustulerit, nonne eo ipso iustitiæ etiam publicę honestatis impedimentum, multò magis sustulit? Nam si Henrico Regi permittitur, vt fratris vxorem etiamsi carnali copula fuisset cognita, tamen ducat: nonne multò magis eam ducere permittitur, si nupta solum & non etiam cognita fuit? Hactenus Reginæ Procuratores.

Postquam verò carnalis copulæ mentio facta semel esset, Regis Procuratores nonnullas leues coniecturas in medium proferebant, quibus docere conabantur carnalem copulam inter Arthurum & Catharinam vere & absque forsitan intercessisse, verbi gratia quod nuper ex Ephebis ambo excessissent, quod ab epulis & delicijs ad thorum coniugalem summa nocte deducti essent, quod mutuò inter se amarent, quod legitimis nuptijs coniuncti essent: deinde quod Arthurus manè postridie potum flagitaret, idque (vt aiebant) quoniam diceret se illa nocte in calida Hispaniarum regione peregrinatum fuisse.

At Reginæ Aduocati has leuissimas coniecturas multis & firmissimis argumentis confutabant. Primum, quod Henricus septimus curauerat, vt matrona grauissima in eodem cum sponso thalamo adesset, quę ob Arthuri morbum & infirmam valetudinem carne coniungi prohiberet. Denique quod serenissima Regina, quæ omnium optimè rem nouerat, apud notarium quendam publicum, cui nomen erat Ioanni Tolcarno, præsentibus multis Episcopis ac alijs testibus, iurato asseruisset, se pòst obitum Arthuri Principis, mansisse virginem, tum etiam quod cum D. Catharina palam in iudicio præsenti Henrico Regi dixisset ipsum scire, quod is eam virginem cognouisset: Rex nunquam id negasset, atque ideò dum in re tanti præiudicij tacuisset, ei quod opponebatur assentiri præsumendus esset. Et hæc quidem illi dicebant, sed nos aliud insigne testimonium adiungamus ex eo libro Cardinalis Poli, quem Regi Henrico adhuc viuenti scripsit & inscripsit, in quo ait, ipsum Henricum octauum, nihil tunc minus quam de repudio cogitantem, Carolo quinto Imperatori vltrò fassum esse, quod Catharinam adhuc virginem cognouisset. Hæc Polus.

Rursus cum Regis Aduocati literas Adriani Cardinalis qui Pontificis quæstor in Anglia quondam fuerat, recitassent, in quibus dixerat se ex Papa Iulio audisse, cum diceret, sibi non videri quod in matrimonio Henrici & Catharinæ dispensationem posset interponere.

Ex altera parte Procuratores Reginę in medium protulerunt ipsius Iulij Papæ literas ad Henricum septimum, de hoc sermone ad eiusdem Henrici rogatum conscriptas, in quibus hæc verba erant: De dispensatione matrimoniali nunquam negauimus, nec suspicionem præbuimus, quominus eam facere vellemus, vt aliqui minus verè dixerunt, sed respondimus nos expectare in illa concedenda tempus magis accomodatũ, vt consultius & maturius fieret, cum huius sanctæ Sedis & vtriusque partis honore.

Erant autem serenissimæ Reginæ Aduocati totius Angliæ viri optimi & doctissimi. Primum Guillelmus Varamus Cantuariensis Archiepiscopus, deinde quinque Reuerendissimi Episcopi, Cuthbertus Tonstallus tunc Londinensis, posteà verò Dunelmensis: Nicolaus Vestus Elyensis, Ioannes Clericus Bathonensis, Ioannes Fisherus Roffensis, Henricus Standicius Asaphensis, quibus Episcopis adiungebantur alij Theologi quatuor, Abelus, Fetherstonus, Pouellus, & Ridlayus.

His ergo rebus quę ad Iuris Ecclesiastici controuersias pertinebant ita constitutis: Ioannes Fisherus Roffensis Episcopus, non Anglicani

tantum regni sed & orbis Christiani lumen, exemplar sanctitatis, populi sal, Ecclesiæ doctor, in medium prodijt, & librum pro defensione matrimonij Regis & Catharinæ doctissimè scriptum, Legatis exhibuit, grauissima oratione illos admonens ne in Scirpo-nodum quærerent, neue aut scripturarum manifestam veritatem, aut leges Ecclesiasticas iam satis in hac causa perspectas euerti permitterent: quin imò iterum atq; iterum cogitarent, quanta mala ex hoc diuortio secutura viderentur, videlicet Henrici Regis & Caroli Cæsaris odia, Principum qui eorum partibus adhærerent factiones, bella non tantum externa, sed & ciuilia, quodque omniū est grauissimum, dissensiones in causa fidei, Schismata, hæreses, & sectæ infinitæ. Ego (inquit) pro eo ac in ista re laboris & industriæ plurimum collocaui, affirmare ausim, idque non solum hoc in libro testimonijs & scripturarum, & sanctorum Patrum clarè docui, sed etiam mei sanguinis profusione testificari paratus sum nullam esse in terris potestatem, quæ hoc matrimonium à Deo ipso coniunctum dissoluere possit aut disiungere. Hoc vbi Ioannes Roffensis fama doctrinę illustris, sanctitate vitæ conspicuus, Episcopali dignitate honorandus, ipsaque canitie venerabilis palam dixisset, quatuor vtriusque legis doctores librum à se conscriptum obtulerunt, in quo matrimonium Henrici & Catharinæ secundum leges Ecclesiasticas rite contractum esse planum faciebant. Mox tres libri, singuli à singulis Episcopis compositi, coram exhibiti sunt, quorum auctores fuerunt Clericus Barthonensis Episcopus, Cuthbertus Tonstallus Londinensis, (qui tunc legatione pro Rege vnà cum Thoma Moro Cameraci fungebatur) & Vestus Elyensis. Hos Episcopos secuti sunt quatuor Theologi, Abelus, Pouellus, Fetherstonus, & Rydlayus, qui affirmabant se Dei & veritatis amore adductos, nihil aliud pro matrimonio Catharinæ scripsisse, quam quod secundum scientiam ipsis datam sciebant Euangelio & Scripturis sacris consentaneum esse, id quod liquido appareret, si libros ipsorum, (sicuti eos non dubitabant facturos) legere dignarentur. Ridlayus autem vir Catholicus & pius, atque ab omni assentatione alienissimus, palam questus est de Legatorum iniquitate, quod iusiurandum calumnię, solis Reginæ Procuratoribus & Aduocatis detulissent, nihil eos aut dicturos aut scripturos, aut in hoc genere facturos, quod non & diuinis & Ecclesiasticis legibus consentaneum esset. Quod si (inquit) Regis Procuratores & Aduocati eadem iusiurandi religione constricti fuissent, iam causa esset acta, nec vel aduersarij veritatem à nobis stare negassent. Imò se quamlibet pœnam subituros, nisi qui regias partes tuebantur, ad

Reginam statim transirent, si hoc illis iusiurandum imponeretur. Tacuerunt omnes qui erant ex parte Regis, ac verbum Rydlayi silentio suo confirmare visi sunt.

Volsæus libertatem dicendi, qua vsus est Rydlayus indignissimè tulit. Tam is verò, quam Cardinalis Campegius quemadmodum in causa progrederentur, non videbant: adeò cuncta iam erant clara & contestata pro D. Catharinæ matrimonio. Rex tamen more suo vrgebat, vt ad sententiam secundùm se ferendam festinarent. Campegius vero cum nullam excusationem suam Regi probatam esse animaduerteret, nec tamen contra tam claras probationes, contra certissimam Papæ voluntatem, contra iustissimam Reginæ appellationem auderet secundum Regem pronuntiare, tandem audacter libereque dixit, multis se annis in rebus agendis versatum, multis annis vnum ex duodecim Iudicibus qui causas in Rota Romana cognoscunt, extitisse, nec vnquam in causa etiam mediocri, (nędum tanta & tam graui) tantam festinationem adhibitam fuisse, quin moris esse, vt cum ad locum sententiæ deuentum fuerit, triginta toti dies ad testimoniorum auctoritates & momenta examinanda vacui concedantur. Nunc autem vix totidem præterijsse, à quo primum die, causa Regis palam publiceque inchoata sit. Et qualis causa? quanti ponderis & momenti? quantæ offensionis & scandali? nisi forte sacramenti legitimi subita diruptio, matrimonij per viginti annos corroborati repentina dissolutio, prolis generosæ atq; adeo Regis miseranda illegitimatio, potentissimi Monarchi irritata maiestas, Christiani populi diuulsa concordia, auctoritatis Pontificiæ contempta dispensatio, parui cuipiam ponderis aut leuis momenti esse videatur. Sibi quidem constitutum esse in re tam graui lento potius & securo, quam præpropero & præcipiti gradu incedere.

Hæc vbi Campegius dixisset, subito mutatos omnium vultus vidisses: alij eius libera oratione delectabantur, alij contra qui ex rebus nouis crescere optabant vehementer dolebant, alij cum tacitè apud se lætarentur, tamen ore tenus dolorem simulabant, ex quibus erat Volsæus Cardinalis, qui licet idem quod Campegius sentire putaretur, nihil tamen perinde vrgebat ac sententiæ ferendæ accelerationem.

Rex cum videret Campegium à re iudicanda tam alienum, vt nouas dilationes quotidie interponeret, iudiciumque præter omnium spē pœne ad finem mensis Iulij extraxisset, ac tum quidem Romani moris esse diceret, vt à iudicijs exercendis vsque ad mensem Octobris abstineretur. Brandonum & Hauardum Duces, hunc Norfolcię, illum Suffolcię

ad Legatos misit, qui magno Principum virorum comitatu deducti, cum tertio Kalendas Augusti ad iudices pro tribunali sedentes venissent, tam Regis quam suo nomine ab eis magnopere contendebant, ne conscientiam Regis diutius implicatam tenerent, sed tandem aliquando rem totam deciderent, ac definirent. Hic autem Volsæus licet priore loco sedisset, conticuit. Magno enim timore concutiebatur. Campegius verò per eam fidem, qua Deo atque Ecclesiæ Romanæ obstrictus erat, contestabatur, moris esse Romanæ curiæ cuius ipse membrum esset, vt à fine mensis Iulij vsque ad quartum Nonas Octobris nullum exerceretur iudicium: Sin contra factum fuisset, quicquid in eo genere tentaretur nullius roboris omnino futurum. Quod si Rex illum diem pro sua patientia expectaret, nihil se dubitare, quin omnia ex eius voto successura essent. Instare iterum Duces, vt eo ipso die, aut ad summum postridie sententia ferretur. Iterum Campegius cum respondisset, nullo modo id sibi facere licere, Carolus Brandonus Suffolciæ Dux mensam quæ proponebatur magno ictu concutiens, per sacram (inquit) Missam, nemo vnquam Legatorum aut Cardinalium quicquam boni ad Angliã apportauit. quod ille quidem vel œstro quopiam percitus, vel fœdissimo adulandi Regi studio ductus, dixit: Quam seuere autem Deus horum Ducum superbiam ac adulationem per eundem Regem & filios suos, maximeque per prolem eam, quæ ex eo quod ipsi tantopere expetebant nouo coniugio orta est, vltus sit: ea mala testantur, quæ ipsis ipsorumque familijs postea acciderunt.

Duces ex iudicio discedentes, vt ipsi omnibus iracundiæ flammis vrebantur, sic & Regem à libidine sua iam diu ambustum, nouis etiam furoris & insaniæ facibus incenderunt. Papa interim iustissimam Reginæ appellationem ratam habens, palam Volsæo & Campegio interdixit, ne amplius huic negotio se immiscerent: causam vero totam Paulo Capisuccho sacri Palatij Apostolici causarum auditori & Decano cognoscendam, ipsique Pontifici demum referendam & explicandam commisit, quem iussit tam Regi quam Reginæ diem certum præscribere, quo causam apud ipsum per legitimos Procuratores dicerent. Quę Pontificis constitutio, non Romæ tantum, sed etiam Brugis & Tornaci ac in alijs vicinis Flandriæ Ecclesijs promulgata, imò & in Angliam ad serenissimam Reginam transmissa est, vt per eius operam Regi & Legatis patefieret.

Regina illustrem Senatorem & tam ingenio ac doctrina quam pietate celebrem Thomam Morum ad Regem legauit, qui diceret Papam

Legatorum mandata sustulisse, ipsumque Regem & Reginam ad causam in Rota ipsius per Procuratores suos dicendam euocasse, id se Regi significare, vt sciret, vtrum hanc rem ipsi per viatorem aut eiusmodi publicum præconem nunciari vellet nec ne, rex quanquam ingenti dolore afficiebatur, tamen cum nihil aliud satis deliberatum haberet, cætera dissimulans, Thomæ Moro respondit, iamdudum constare sibi de his rebus, nolle autem, vt suę personę fiat denunciatio, non recusare tamen quominus Legatis de more obnuncietur. Locum verò iudicij, tanquam vtrique parti communem, vehementer sibi placere, daturumque se operam, vt causa Romę decidatur: hęc quidem Rex dicebat, sperabat vero se per nouos nuncios apud Papam breui effecturum, vt Legatorum mandata renouarentur, atque ea de causa, minus iniquo animo id quod agebatur tunc tulit. Hinc factum est, vt plures ex reginę Procuratoribus ex regijs vero vnus, vnà cum duobus notarijs ad Legatos qui duodecim à Londino lapide simul rusticabantur sese conferrent, & hanc rem totam Legatis exponerent: quo tempore is quem Rex miserat palam testatus est hanc regis voluntatem esse, vt in Anglia iam deinceps nihil in hac causa fieret, Romæ autem omnia expedirentur. Paruerunt Legati Pontificis decreto, iamque in spem venerant Regem quoque saniora capturum consilia, cum ecce, Campegius per literas Pontificis ad vrbem omni cum festinatione reuocatur. Tunc primum rex omni spe rei ex animi sententia conficiendæ excidens, supra quam dici potest, excanduit, omnemque culpam in Volsęum huius diuortij primum auctorem merito conferens, se male illi velle non obscuris indicijs declarauit. Quod cum multi ex principibus viris (qui Volsęo Cardinali omnia pro eo ac ipse voluit administranti iam diu inuidebant) intellexissent, collatis consiliis, multa criminum capita in illum collegerunt, eaque suis Chirographis obsignata regi tradiderunt. Rex eam rem sibi iucundam esse testatus, tantisper tamen dissimulauit, donec Campegius è regno discessisset, quod ad septimum Idus Septembris accidit. Cuius etiam discedentis sarcinas excuti iussit, non alia magis de causa, quam vt exploraret si quid forte literarum Volsęi deprehendere potuisset, nullas autem deprehendit. At Volsęus, qui nihil eorum quę contra ipsum intentabantur, sciebat, ad regé iam propè S. Albanum in villa quadam agentem accedens, multa cum illo ac senatu eius, de iudicio quod Romæ suscipiendum erat, contulit. Stephanus autem Gardinerus qui regi erat à secretis, cum tunc ibidem adesset, seque videret in suspicionem vocari, tanquam regi huius diuortii auctor fuisset, palam

Volſęum rogauit, vt veritatis conteſtandę cauſa, dignaretur coram Rege ac ſenatu ipſius planum facere, qui fuiſſent huius diuortii primi auctores. Nunquam (inquit Volſęus) negabo me ſolum fuiſſe. Cuius rei adeo me non pœnitet, vt ſi ea iam ante inchoata non eſſet, nunc primũ inchoandam iudicarem. Quod quidem poſterius Volſęi verbum aurib⁹ regiis datum eſſe, nemo ignorabat. Licet enim prima diuortij cauſa verè fuerat, tamen cum videret Regem ad Annam Bolenam animum adijcere, pœnituit hominem ſui conſilij à quo nunc reſilire integrum ei non fuit, qui gloriam hominum magis quam Dei dilexerat. Rex autem eo tempore ſiluit. At cum Volſęus poſt Campegij diſceſſum ad regium comitatum reuerſus, ad colloquium illius non admitteretur, tunc demũ ſenſit infenſum ſibi eſſe regem. Nec ita multo poſt iuſſu Regis à Thoma Duce Norfolciæ apprehenſus, cogitur ſe abdicarę primum Cancellariæ magiſtratu, (quem ſtatim Rex inſigni viro Thomæ Moro contulit) Deinde Vintonięſi Epiſcopatu, (quem Stephanus Gardinerus ex dono regis accepit). Tum autem Palatio Eboracenſi quod rex ipſe inſtructũ vt erat, ornatumque inuaſit, denique pœnè omnibus bonis exutus, primum relegatur in villam Aſherienſem, mox in Eboracenſem Eccleſiam cui præerat dimittitur.

Quis iam non putaſſet Regem ab improbo illo incœpto ſuo deſinere voluiſſe? Nunc autem obſtupeſcite Cœli ſuper hoc. Ob quod peccatum Henricus Volſęum tam ſeuerè punit, in eodem ipſe pertinaciſſimè progreditur. Propter quod inexcuſabilis es ô rex. In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas. Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt.

Rex ergo partim certos viros ad Papam Clementem mittit, qui cauſam diuortij ſui Romæ ſuſtineant (inter quos erat Thomas Cranmerus qui poſtea factus eſt Cantuarienſis Antiſtes) partim per totum Galliæ regnum Theologos & Iuriſ-conſultos conquerit, qui matrimonium ipſius cum Catharina conſtare non poſſe, obſignatis tabulis affirment: vt ſi fortè ſummus Pontifex (quod iam planè apparebat) ſententiam contra Henricum ferret, tamen fucata quędam Academicæ auctoritatis ſpecies ad tenebras hominum oculis offundendas non deeſſet. Inſuper & Reginaldo Polo viro planè eximio, & cum quo in toto Angliæ regno nullus conferendus inueniebatur rex Archiepiſcopalem prærogatiuam Cantuarienſis Eccleſiæ obtulit, ſi tamen diſertis verbis ante ſponderet, ſe diuortium Regis omni ſtudio prouecturum, Quam turpem conditionem adiectam vbi Polus audiuit, meritò recuſauit in

pestilentiæ cathedra sedere. Hoc vbi Thomas Bolenus qui putabatur Annæ Bolenæ pater, accepisset, Regi suasit vt Cranmerum qui ipsi à sacello erat Archiepiscopum crearet ea conditione, vt etiamsi Romanus Pontifex secundum Regis & Catharinæ matrimonium sententiam ferret, ille tamen ex aduerso pronuntiaret Catharinam necessario esse repudiendam. Dum autem ista fierent Henricus Rex, inaudita tyrannide litem vniuerso Clero intendendam curauit, qua ob Legatorum Pontificis Romani, externam (vt tunc cœptum est dici) potestatem contra placitum Regis agnitam & propugnatam Clericorum totius regni bona in commissum cecidisse, fiscoque Regis obnoxia esse pronunciabantur. Cuius iniquissimi oneris terrore Clerus omnis depressus, atque ad terram vsque deiectus (nam omnibus omnino bonis ac fortunis, quin & libertate omni priuandus, & perpetuis carceribus iam tunc addicendus erat) cum quid vltrà speraret, non haberet, victas manus dedit, herbam porrexit, conculcari se tanquam infatuatum salem permisit. Indicto igitur cosessu publico, pœnè omnes omnium ordinum Clerici vna voce Regi supplicarunt, vt cum aureorum ad quadringenta millia ei obtulissent, reliquam eis pœnam remittere & condonare dignaretur, idque pro summa illa potestate, quam in regno suo, eum solum tam in Clerũ
Anno quam in reliquum populum habere, iam primum fatebantur. Ex qua
Domini dicendi formula, primam occasionem sumptam aiunt, vt Rex supre-
1531. mum caput Ecclesiæ Anglicanæ se ipsum habere ac nominare inciperet.

Interim Rex Annam Bolenam ipsis Kalendis Septembribus Penbruchi Marchionissam constituit, ne parum nobilem personam duxisse videretur. Ad decimum vero & octauum diem Kalendas Decembris proximè insequentis, Rex longioris moræ impatiens, (quanquam omnia necdum ritè dispofita essent,) omninò constituit cum Anna Bolena occultas nuptias contrahere: nuptias quidem, quod alias illa sui corporis potestatem Regi facere nollet: occultas vero, quod nondum à Catharina per aliquam vllius omnino iudicis sententiam separatus esset. Rolandus ergo tunc Præsbiter (quem postea Rex in Episcopum Lichefeldiensem cooptauit) accersitur, ac rem diuinam Catholico & Romano ritu facere iubetur. Ei Rex narrat, sententiam Romæ iam tandem secundum se pronuntiatam esse, factamque sibi esse potestatem nouam vxorem ducendi. Rolandus Reges non solere mentiri arbitratus, primum siluit, mox religione tactus, spero (inquit) Maiestatem tuam habere diploma Pontificium. Annuente Rege, vertit se ad altare: cum
ecce, adhuc

ecce, adhuc dubius & timens ne quid illicitum committeret, omninò (inquit) Sacri Canones postulant, nostraque valde interest, vt litteræ Pontificis palam legantur & promulgentur. Tum rex, habere quidem se litteras affirmat, sed reclusas esse in secretiori loco, nec ab alio præterquam à se afferri posse: parum autem decere, vt eo tempore (nec enim adhuc illuxerat) solus prodiret. Acquiescit Rolandus, atque ita cõpletis cerimonijs, Henrico secundam vxorem tradit, prima non solùm adhuc viuente, sed etiam per nullam omnino auctoritatem in vllo hactenus iudicio Ecclesiastico vel specie tenus interpositam, repudiata.

Impedimentum verò, cuius obtentu Henricus Catharinam repudiabat, tum in illam non omnino, tum in Annam Bolenam certissimo cadere, idem ipse Henricus exploratè sciebat. Nam eo statu rerum posito, qui tunc erat, certum est, non nisi duplex impedimentum interuenire potuisse, cur Henricus Catharinam non duceret. Alterum esse poterat affinitatis, si Arthurus Henrici frater, Catharinam cognouisset: alterum fuit, iustitię publicæ honestatis impedimentum. Illud non interuenisse Rex Henricus probè sciebat. Nam Carolo Cæsari fassus est, se Catharinam adhuc virginem cognouisse, idque ipsum & Catharina sanctè semper iurabat, & res ipsa verum fuisse contestata est, cum & Henricus septimus grauem matronam in eodem lecto apposuerit, vt ne Arthurus Catharinam cognosceret; & tanta fuerit in recente adhuc Arthuri pubertate eiusdem infirmitas & valetudo, vt etiãsi maximè conatus esset Catharinam cognoscere, tamen vna caro facti non fuissent. Vbi autem carnalis copula non interuenit, affinitas nulla contrahitur. Et quanquam contracta fuisset; tamen per auctoritatem clauium regni cœlorum, id impedimentum ob maius publicæ pacis bonum ritè atque ordine sublatum extitisset. Quanquam enim Henricus malè asseruit Pontificem non potuisse id impedimenti auferre, tamen cum Lex Mosaica quæ mortem & damnationem ministrauit, quæque euacuata est, non solum dispensandi, sed etiam præcipiendi facultatem habuerit, vt superstes frater, sui fratris absque liberis defuncti vxorem duceret; Quantò magis fatendum est, quod claues Ecclesiæ Christi, quę spiritum & iustitiam administrant, quæque non euacuantur per aliud aliquod testamentum, sed manent vsque ad consummationem sæculi, potestate firma & stabili non carent permittendi Christiano, vt ob publicum Ecclesiæ bonum fratris sui defuncti vxorem ducat? Impedimentum igitur affinitatis nec vllum inter Henricum & Catharinam fuit, & quanquam aliquod extitisset, per claues Petri rectè sublatum erat.

Iam verò iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, quod solum restat, cum (vt inter omnes constitit) non diuini aut naturalis, sed tantum Ecclesiastici iuris fuerit, ne Henricus quidem aut Aduocati eius negabant potestatem clauium Petri satis virium ad illud auferendum habuisse. Cum igitur nec affinitas vlla fuerit,& impedimentum iustitiæ publicæ honestatis,per Iulij Pontificis diploma idoneè ablatum constaret, nihil iam obstabat, quominus Catharinam rex Henricus & ducere posset, & retinere deberet. Nam si quis ipsum Dei præceptum obstare dicat, quod fratris vxorem duci prohibet, quanquam expedita sit responsio, idem ius diuinum nominatim illam exceptionem addidisse, *Præterquam si frater absque liberis defunctus esset,* (vt in nostra causa contingit) tamen illud etiam permitti non debet, quod verba diuini iuris in eodem ipso loco, talem rationem & præmittunt, & vbique adiungunt, quæ totam Henrici causam labefactat. Sic enim legimus: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius*: & post pauca: *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est.* Vxor enim fratris non ob aliud prohibetur duci, quam quod per copulam carnalem affinis alteri fratri iam prius facta sit. Quæ enim fit vna caro cum fratre meo, ex ea re tam propinqua sanguinis mihi fit, quam frater meus est, qui mihi proximus sanguinis est, in primo nuptiarum gradu. Quanquam igitur concederemus & Deum eo in loco nō tantum de illicito coitu, sed etiam propriè de nuptijs agere (quod multis secus videtur) & per vxorem fratris, non solum viuentis fratris (vt quibusdam ex Sanctis Patribus visum est, verum etiam defuncti fratris vxorem intelligi, & præterea legem illam non ceremonialem esse, sed iuris naturalis conclusiones quasdam explicare: tamen cum ratio legis non semel expressa fuerit, semperque sanguinis proximitatem vrgeat, quæ vel per cognationem vel per carnalem copulam (vnde pariter affinitas) acquiritur: nulla verò aut cognatio,aut affinitas inter Henricum & Catharinam contracta fuerit, quia frater Henrici eam non cognouit, vtique efficitur, vt diuinum ius non prohibeat Catharinam Henrico nubere.

At contra certissimum est inter Henricum & Annam Bolenam verum affinitatis impedimentum interuenisse, idque ipsum regem non ignorasse,eo quod Papæ Clementi septimo per literas suas confessus sit se Mariam Bolenam Annæ sororem cognouisse. Ex qua carnali copula Henricus toti familiæ Bolenorum factus est affinis seu proximus sanguinis. Nam vt Paulus ait, Qui adhæret meretrici, vnum corpus cum

ea efficitur. Cum igitur Maria Bolena fuerit proxima sanguinis Annæ in primo gradu, nempe vterina eius soror, Henricus qui fuit vnum corpus cum Maria, factus est etiam proximus sanguinis in primo gradu fratribus & sororibus Mariæ, nimirum, Annæ Bolenæ. Quid ergo est, quod is qui tantas turbas excitauit, vt à Catharina tanquam ab affine sua, cum vere affinis esset, disiungeretur, nunc non timet ad affinem suam accedere? Et qui negabat Pontificis claues posse facere vt Catharinam retineret, nunc, sine vllarum clauium auctoritate, imò, contra illarum auctoritatem, Annam affinem suam ducit? Frustrà ô Rex contra stimulum calcitrasti. Deus hypocrisim tuam detexit, & adulterinũ cor tuum toti mundo reuelauit.

Quid verò quod idem Rex Henricus etiam matrem Annæ Bolenæ prius cognouerat, vt ante explicuimus? Ex qua sanè copula tale affinitatis genus inter Henricum & Annam intercessit, qualis est consanguinitas inter parentes & liberos. At pater filiam suam ducere in æternum prohibetur, quia inter ascendentes & descendentes nullæ vnquam nuptiæ permittuntur, propterea quod in nuptijs est summa æqualitas & paritas (vnde Æua ex latere Adami sumpta est) cum interim liberi parentes honorare debeant, seque illis tanto inferiores agnoscere, vt nunquam sint referendo: & ideo nec illis quidem exæquari possint. Itaque Henricus Annam Bolenam, eius mulieris quam semel cognouerat filiã, ducere, res longè difficilioris dispensationis fuit, propterea quod ipsum affinitatis genus, ipsam nuptiarum essentiam propius attingere videtur, quàm vt in eo dispensari quodam modo deceat: maximè si concubitus matris sit mulieris manifestus. Quare cum Henricus contra naturæ quodammodo legem post matrem Annæ Bolenæ cognitam, ausus sit filiam in vxorem suam assumere, quam impudenter obtendit, se non ausum esse Catharinam retinere, ne in Deum peccaret? Quam impudenter etiam prætexuit, se credidisse, quod Pontifex authoritatem non habuit Catharinæ nuptias permittendi.

Sed adhuc pergamus. Constat ex ijs quæ diximus, non obscura indicia ipsi Henrico reuelata esse, quod Anna Bolena esset ipsiusmet Henrici filia, & tamen eam duxit? Is videlicet, qui timuit sui fratris absque liberis defuncti vxorem à fratre suo minimè cognitam, retinere. Incredibilis quidem audacia, inaudita hypocrisis, non ferenda libido, Sed tamen vnius hominis propria fuit audacia, hypocrisis propria, &. libido propria.

Sed iam pergamus in eo quod instituimus. Pontifex Romanus

damnaretur, si cuius in libro vel solum nomen Papæ non deletum extaret. Per Calendaria, per Indices, per scripta Patrum, per totum ius Canonicum, per scholasticos Doctores Papę vocabulum lituris vndique obducebatur. Imo in fronte operum D. Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Leonis, ac aliorum Ecclesiæ luminum, singuli scribere coacti sunt, si quid in eis operibus inesset, quod Pontificis Romani primatum tueretur aut confirmaret, se illi verbo, sententiæ, rationi, iam nunc renuntiare, nec tanti criminis reus vnquam esse vellet. Episcopi plerique, & alij Antistites, quorum erat principijs tanti mali obsistere, paululum tempori cedendum putabant, donec aut Rex mentem mutaret, aut Princeps aliquis Catholicus religioni Christianę opem ferret. sed frustra sanè oculos in hominem quempiam coniectos habebant, cum in Deum & proximum ipsi tam grauiter peccassent. Non defuerunt tamen Reliquiæ Sanctæ quæ genua curuare ante Baal prorsus recusarent. Plurimi enim sanctissimi viri, qui quod prophanum Henrici primatum quem in Ecclesiam sibi arrogabat, nollent agnoscere, martyrij palmam assecuti sunt. Inter hos fuere, Ioannes Roffensis &
Anno Domini 1534. Thomas Morus totius Angliæ duo splendidissima lumina. Sequente mense Octobris anni sequentis, Henricus tanquam summum caput Ecclesiæ, voluit sacra monasteria visitare, eo fine vt ea euertendi, quorum
Anno Domini 1535. bonis inhiabat, occasionem captaret. Itaque pridie Nonas Februarij criminibus religiosorum partim detectis, partim confictis, obtinuit in publicis regni comitijs vt minora quæque monasteria, libidini suæ deperentur. Octauo Idus Ianuarij eodem anno serenissima Catharina Henrici vera vxor ex hac vita ad villam Cimbalton decessit, & in Burgo Sancti. Petri sepulta est. De lecto autem in quo decubuit Regi Henrico scripsit in hanc sententiam. *Mi Domine Rex Henrice, appropinquante iam mortis meæ hora, charitas qua te prosequor, facit vt admoneam te salutis animæ tuæ, quam cunctis huius mundi rebus anteferre debes, ego tibi condono, precórque vt condonet tibi Deus, commendo tibi filiam nostram communem, ancillas tres & ministros omnes, vt illæ nuptui commodè tradantur: His autem præter id quod iam debetur, etiam vnius anni stipendium integrum velut cumulus accedat*: Acceptis Catharinæ literis, Rex temperare sibi à lachrymis non potuit. Cæterum Anna Bolena Catharinæ funebrem diem, non atri sed flaui coloris vestibus induta celebrauit. Verum, qui iustus est Deus, illam punire diu non distulit, nam deprehensam in adulterio cum fratre suo Georgio Boleno alijsque homuncionibus ab ipso Thoma Boleno, qui pater ipsius putabatur, inter iudices ex iussu Regis considente, incestus

& adulterij condemnari curat Henricus, & decimo quarto Kalendas Iunias capite plecti, cum non totis quinque mensibus post Catharinæ mortem titulo Reginæ potita esset. Postridie veró quam Annę ceruices amputatæ sunt, Rex Ianam Seimeram in vxorem accepit, quam prius, etiam viuente Anna, & adamauerat, & ipsi prætulerat: vt non minus mira quam iusta sint iudicia Dei, reddentis vnicuique secundum opera sua. Sicut enim Anna Catharinam supplantauerat, sic & Iana supplantauit Annam. Sexto autem Idus Octobris natus est Henrico ex Iana Seimera filius quem vocauit Edouardum; sed cum mater ægrè pareret, Rex interrogatus cui magis consultum vellet, vtrum vxori an filio? respondit filio, quod alias vxores perfacile reperturus esset. Iana igitur ex dolore partus paulo post mortua, Vindisoriæ sepulta est.

Post mortem Ianæ, Anna Guilielmi Cleuiæ Ducis soror, ex pacto cum certis Germaniæ Principibus antea inito, nupsit Henrico. Putabant Principes omnia satis tuto loco fore, si Rex eam ducturum se promisisset: non addiderant vero vt etiam retenturum sponderet, duxit ergo, quin imo seduxit, cum per comitiorum interpositam auctoritatem pœnè statim illam repudiauerit, Catharina Hauarda in locum eius subrogata, quam cum nondum biennio toto vxorem habuisset, adulterij conuictam, cum Mœchis suis Thoma Culpepero & Francisco Dirrhamo neci dedit. Quo facto Catharinam Parram viduam, Baroni Latimero prius nuptam in sextam vxorem accepit, hoc solo beatam quod Rex prius è vita sublatus est, quam ex aula ipsam (id quod in animo habuisse dicitur) sustulisset. Mortuus est igitur belluinus hic homo Henricus postquam regnasset annis triginta septem, mensibus nouem, diebus sex, quorum ferè viginti annos in pace Catholica, quatuor sequentes in maxima lite & fluctuatione, quatuordecim postremos in aperto schismate transegisset. Ex pulcherrima corporis constitutione per ventris insatiabilem curam & expletionem eo deformitatis excreuerat, vt vix per ostia ingredi, nullas autem scalas posset conscendere, sed in cathedra constitutus machinis quibusdam in superiora ædium attraheretur, imò nihil sanguinis toto corpore iam reliquum fuisse, verum omnia in pinguedinem exuberasse dicebatur. De instante mortis articulo admonitus pateram vini albi poposcit, atque ad vnum ex suis conuersus, omnia (inquit) perdidimus.

Anno Domini 1539.

Mortuo Henrico, Edouardus Henrici ex Iana Seimera filius nonũ ætatis annum agens, Rex Anglię & Hiberniæ pronuntiatur, summumque Ecclesiæ Anglicanæ & Hibernicæ in terris caput, proximè secundũ

Christum ipsum, denuntiatur. Post Regis noui promulgationem, Christi Saluatoris, Deiparæ virginis, Apostolorum & Prophetarum omnes omnino imagines tam pictas quam fabrefactas partim deleuit, partim combussit, Edouardus Seimerus, Edouardi pueri Regis auunculus, tunc Hertfoldiæ comes, paulo post factus Samerceti Dux. Nec his malis contentus vnà cum alijs Caluinistis, tremendum corporis & sanguinis Domini sacrificium, quod à Catechumenorum prima, & fideliū sequente dimissione Missarum nomen iam olim acceperat in publicis comitijs abrogauit. Inde in alias hæreses itum: tandem Edouardus pridie Nonas Iulij anni 1553. ex hac vita migrat, eo ipso mensis die, quo Pater eius Thomam Morum integritatis & iustitiæ caput, capite feriendum ante aliquot annos curauerat.

Post Edouardi mortem Maria Catholica Princeps Catharinæ Austriacæ filia Regina promulgatur, hæc post in vrbem & arcem Londinensem ingressum, Edmundum Londinensem, Stephanum Vintoniensem, Cuthbertum Dunelmensem, aliosque omnes Catholicos, qui ob fidem vincti asseruabantur, libertati & honori pristino restituit, prophani primatus Ecclesiastici titulum respuit; Apostolicæ Sedi quam Patris Fratrisque sui tempore etiam cum periculo vitæ constanter semper coluit, antiquum ius & honorem reddi voluit, Philippo Imperatoris Caroli quinti filio, cum ob alias grauissimas causas, tum maximè vt potentissimi optimique Principis adiumento regnum ad fidem & obedientiam Ecclesiæ restitueret, nupsit: In religione autem Catholica per omnes ditiones suas restituenda quanta sit vsa pietate, prudentia & constantia, ex eo clarum redditur, quod impias contra Catholicam fidē Edouardi fratris sui nomine latas leges ordinum consensu abrogauerit, exercitium religionis hæreticæ prorsus sustulerit, magistros sectarum abegerit, antiquum orandi & sacrificandi morem per totam Angliam & Hiberniam restituerit, Angliamque vniuersam Sedi Apostolicæ reconciliauerit. Nam hæc omnia Catholicissima hæc Regina in primis comitijs effecit. Sed grauiora erant Henrici scelera & sacrilegia, maiorque iniquitas gentis huius, quam vt diu hac salute frueretur, aut tam leuiter expiarentur. Nam ecce tibi lectissima Regina cum quinquennio & quatuor mensibus regnasset, hanc vitam æterna commutauit, in hoc primum infœlix, quod cum Henrici octaui fuisset filia ob idē ipsum nullam sobolem ex se relinquere posset: Deus enim Henrici impietatem & Schisma tam seuerè punitum voluit vt quāquam tres liberos reliquerit superstites Edouardum, Mariam & Elizabetham, nullus

eorum prolem

eorum prolem suscipere atque educare posset. Secundò, multò etiam sua opinione infœlicior, quod Elizabetham istam, non modo ęmulam sua m illicita & ter damnata copula prognatam, sed de fide quoque, quantumcunque tum dissimulauerit, sibi semper suspectam, & quam reipublicæ ac religioni pestem futuram summè semper metuerat, successorē relinquere coacta fuerit.

Mortua ergo Maria, rerum potita est Elizabetha, Henrici octaui ex super inducta Anna Bolena, priore adhuc superstite, sed repudiata vxore Catharina, altera filia. Quæ licet sorore regnante se Catholicæ fidei in omnibus cultricem præbuerit, tamen verita (hunc enim illi metum iniecerant subdoli quidam hæretici, quos in consilium asciuerat) ne de quo nata est matrimonio summi Pontificis Ecclesiæque iudicio antea damnato, de natalibus etiam suis, iureque regnandi ex sacris Canonibus aliqua oriretur dubitatio, Ecclesiasticis legibus subesse detrectauit, & de mutanda religionis Ecclesiasticique regiminis forma primo quoque tempore cogitauit. Paulò igitur post consilio Gulielmi Cecilij, versatilis ingenij, consilij ac conscientiæ viri, conuocatis ordinibus ad Parlamentum (vt vocant) voluit communi decreto, vocari, suprema Ecclesiæ regnorum suorum, etiam in causis spiritualibus, gubernatrix, omnesque exceptis proceribus laicis, vt id solemni iuramento profiterentur adegit. Hac igitur sibi arrepta potestate, simulque abrogata sedis Apostolicæ auctoritate, sibi, vt in eis quæ sunt ad Deum summæ ministræ applicat omnium spiritualium prouentum, perpetuas decimas & primitias, id est, primi anni cuiusque beneficij adepti integros fructus, omnesque religiosorum possessiones, ante sacris vsibus à sorore restitutas, sibi repetit: Vicarios & Commissarios in spiritualibus constituit, sigillum ad causas Ecclesiasticas peculiarè cudit. Postremò de fidei & religionis formula immutanda pro suo suorumque arbitratu decernit: laicorumque solum suffragijs (omnibus ad vnum Episcopis, qui primi sententias in illis comitijs dicunt, & certè soli in causis fidei dicere deberent, reclamantibus, ac toto tum Londini in Synodum Cantuariensis prouincię Clero coacto, refragante.) Tremendum sacrificium cum reliquo omni sanctissimo ritu precandi, & sacramenta administrandi, abolet: & noua sacra, cerimonias, precesque in lingua vulgari ad normam Lutheranorum aliorumque hæreticorum præscribit. Hoc modo paulatim hæresim in Angliam introduxit flagitiosa hæc mulier in qua ad hæc nostra tempora eandem perseuerare magno nostro dolore, videmus. Atque hæc de hæresis per Angliam propagatione dicta sufficiant.



§. 3us.

SPECIALIS NARRATIO DE PROPAGATIONE EIVSDEM HÆRESIS IN SCOTIA.

EXPLICATA propagatione hæreseos in Anglia, Reliquum est vt hoc §. quomodo eadem hæresis Scotiam nostram infecerit describamus.

Ac principium quidem huius mali, à vicina Anglorum gente in nostram dimanasse Scotiam eo tempore constat quo Henricus octauus excusso salutari Ecclesiæ iugo, se caput Ecclesiæ Anglicanæ dici atque haberi voluit. Tum enim nihil non ab eo factum fuit, vt in eandem defectionis maculam Iacobum Quintum Scotorum Regem pertraheret. Erat fortè tum temporis florente ætate adolescens Iacobus rex & Henrici insuper ex sorore nepos, vnde vel quod ad præcauenda pericula incautior, vel quod ad quiduis temerè aggrediendum audacior per ętatem adhuc esset, mox in sententiam suam descensurum eum sperauerat. Ea spe per frequentem nuntium eum ad colloquium blande inuitat, nihil se in votis magis habere dictitans, quam vt nepotem suum regni itidem sui hęredem post se relinqueret: quò sic tandem longis sublatis dissidijs vtrumque regnum vnius potestati subiectum, in vnius reipublicæ corpus coalesceret. Communis regio, communis lingua, communis denique viuendi mos & consuetudo, rem alioqui satis probabilem magis insuper omnibus & expectatam & expetitam fecerunt. Nec iam dubitabat quisquam, quin Scotus conditionem eam, quę aucta dignitate regia tam conspicuam vtilitatem continebat, obuijs vlnis arriperet. Verum ea erat Regis nostri in Deum, & sanctam eius Ecclesiam, pia reuerentia vt omnem conditionem quantumuis speciosam constanter aspernaretur, quæ cum auitæ religionis damno, vel minimo, coniuncta foret. Itaque per Ecclesiasticos viros (inter quos Iacobus Betonius facile principatum tenuit) admonitus non aliò magnificas istas pollicitationes tendere, quam vt per accessionis speciem accipiendæ, religionis Christianę per tot Christianorum Regum, & Pontificum prudentem administrationem fœliciter propagatæ, iacturam, primus ipse faceret.: sanis illorum monitis pie obaudiens, animum deinceps ne talibus caperetur illectamentis cohibuit: ratus id quod futurum erat, Scotorum regnum

ab omni hæreseos suspicione ad eum vsque diem intactum, veluti concepta flamma protinus exarsurum, simul atque populus vnus cum altero, purus cum impuro, sociaretur. Cuius periculi magnitudinem serio secum reputans, persuadensque sibi, nullam esse tantam potentiæ & dominationis accessionem, quę amissæ religionis damnum vel vlla ex parte pensare posset: non tantum colloquio dictum diem irritum esse iussit, sed præcisa omni vlterioris sermonis spe, adeo imparem populorum in religione dissentientium societatem, displicere sibi ostendit, vt libros quos ipsius inescandi causa ad ipsum Henricus forte miserat, tantum quod hæreseos pěste infectos esse suspicaretur igni cremandos sua ipsius manu iniecerit. Cuius rei nuntio accepto Henricus non tantum blanditijs nullum locum relinqui, sed dona sua quæuis, contemptim à Iacobo abijci moleste ferens, mox ab illecebris ad iram, & à muneribus offerendis ad minas intentandas sese conuertit, sed vbi nihilo magis ea ratione consilia sua promoueri senserat: rursus ex insidijs (vt dicemus) id perficere tentat, quod viribus se facere potuisse meritò desperabat. Totum hoc quod de Iacobo Rege diximus ex literis eiusdem ad Paulum tertium Pontificem maximum (quas hic lectori subijcio) luculenter constat.

IACOBVS QVINTVS REX SCOTORVM PAVLO III. PONTIFICI MAXIMO.

TANTA semper fuit (Beatissime Pater) orthodoxa fides Regum meorum maiorum atque per eos tanta totius populi Scotici erga Romanam Sedem obseruantia, vt hactenus cum quauis altera gente possit contendere. Veruntamen his proximis viginti annis maximè fuimus sollicitati à vicina Germania, inde enim ex aduerso Scotiæ breuissimus est tractus ac amplissimi sinus, in intimam Scotiam prorumpentes, per quos simul cum mercibus solet illa impura Nouatorum doctrina nostratibus importari; huc accedit quod ante biennium vicinus quidam præpotens Rex nobis sanguine coniunctissimus (Hic fuit Henricus octauus rex Angliæ vti vidimus) *conatus est nos allicere ad defectionem à Romana Sede, multis magnisque propositis commodis: Verum nos illi respondimus, verę religionis causam more maiorum semper fore apud nos potiorem, quam vllam humanam necessitudinem, & nos malle totius regni iacturam facere quam Romanā deserere religionē tanti apud Reges maiores nostros habitā, vt eandem etiam suo sanguine confirmarint aliqui: sed aliud irrepsit argumentum quod*

Hi fuere Constāt. 2. Indulphus, & Malcolmus, 3

harum instituimus literarum, &c. Has literas Iacobi quinti habes inter literas aliquot Regum Scotiæ ad Pontificem maximum cæterosque Principes Christianos à Reuerendiss. Episcopo Rossensi Ioanne Leslæo piæ memoriæ in vnum collectas. Ex his autem literis clarum satis est vehementer incubuisse Henricum Regem vt Iacobo Regi à Romana Sede defectionem suaderet, quod cum facere non posset ex insidijs id perficere tentat. Clam igitur immissis in Scotiam libris atque in vulgus disseminatis, qui sub purioris cuiusdam Euangelij specioso prætextu, Ecclesiasticorum virorum vitam & mores odiose traducerent, hoc saltē consecutus est, vt apud quosdam, paruæ licet auctoritatis, & minoris iudicij viros, Ecclesiastica omnis potestas contemptui haberetur. A quibus veneno propinato sic infectis, vel quod quorundam Ecclesiasticorū vita offensione non caruit, vel quod homines sic comparati sunt, vt aliena magis notare vitia, quam eadem ipsi vitare velint, mox in alios malum, ea arte transfusum fuit, vt plerisque, quæ de Ecclesiasticis viris per calumniam dicebantur, eadem vera omnia esse haud dubie putarentur. Hinc ex nimia ista quotidiana conuitia audiendi cupiditate, credendi facilitas, ex facilitate peruersa persuasio, ex persuasione contemptus, inuidia & odium sequuta sunt: fere enim fit, vt quos propter vitam opinione sua improbam, damnet vulgus, eorumdem rebus fœlicioribus inuideat, totumque illorum hominum ordinem ob id maximè sublatū esse cupiat: quod quicquid istis discesserit id sibi accessurum esse existimet. Ex hoc hominum genere, alij in Magnatum ædes, alij in ipsius Principis aulam, temporis progressu irrepserunt, quorum latente odio ea subinde consilia excogitata sunt, per quæ in imminendis Ecclesiasticis immunitatibus, & iniquis super Ecclesiam imponendis exactionibus, Regni primores, & Ecclesiastici viri, alteri de alteris peius sentire, & à se inuicem paulatim disiungi cœperunt. Accessit & alterum ad infirmandam Ecclesiasticam dignitatem incitamentum, non minus potēs quod ab eorumdem illorum artificum clandestinis artibus fraudulēter excogitatum, regni deinde Proceres, ad Ecclesiæ & totius reipub. perniciem maximam, auidissimè arripuerunt. Nam cum Ecclesiasticis prius muneribus ij tantum defungerentur, qui per electionem legitimam creati, doctrina & moribus ad sustinendam impositam prouinciam idonei optimorum iudicio videbantur: non tantum in filios impuberes, eosque spurios, opulentissima quæque beneficia conferri: sed & eorum institutioni minus rectè de religione sentientes Pedagogi, præfici cœperunt: sic vt omni Ecclesiastici regiminis cura abiecta, in tantum quis-

que spectaret, quo se suosque beneficijs Ecclesiasticis ditaret. Et hoc quidem confusionis postea sequutæ rudimentum, à Regis Catholici & religionis Catholicæ conseruandę, cum primis studiosi Consiliarijs profectum, & occulta hęreticorum Ecclesię subuersionem molientium machinatione introductum extitit. Nunc quod huic tali principio incrementum accesserit, & à quibus auctoribus datum fuerit, pari breuitate ostendam.

Qui post Iacobum quintum è viuis sublatum regni gubernacula tenuerunt, huic malo in dies inualescenti, accessionem magnam dedisse deprehenduntur: dum sinistra quadam ęmulatione, quod à priore in impios patrię & Ecclesię hostes salubriter constitutum supplicium fuerat, alter irritum esse iuberet. In hoc imprudentię vitium lapsus Gubernator Hamyltonius, quos rex paulo ante proditionis damnatos, exulare fecerat, quamprimum reuocat. Nec contentus prioris criminis impunitatem concessisse, hoc insuper erroris grauissimi caput super addidit quod se totum illorum consilijs regendum permiserit, quos in Anglia hęreseos venenum hausisse, & eiusdem mali per Scotiam disseminandi studiosissimos fuisse constiterat: quo factum est, vt quam minimum abfuerit, quin abrogata Ecclesiastica potestate, Anglorum hęresim, id est Lutheranam (Caluinistarum enim nouus iste Deus fabricatus nondum fuit) vel tunc secum inuexissent. Certe ea fuisse tunc temporis illorum hominum consilia, vel inde manifestum fuit, quod damnatam illam Lutheri hæresim, & libris & voce viua, in summum Ecclesiæ contemptum publicari, & per publicam auctoritatem defendi curauerint, vt si ea paulo diutius durassent consilia, iampridem de Ecclesia Scoticana actum fuisset, sed nutantem tunc Ecclesię statum alterius Betonij Cardinalis in superioris locum succedentis, prudentia summa erexit, confirmauitque, non tantum sub obedientia retento gubernatore, sed ijs omnibus à publica administratione exclusis, qui Schismatis auctores quoquo modo faciendi haberentur: adeo vt Ecclesię apud Scotos fere iam oppressæ non tantum vindex & assertor fortissimus, sed repugnator diligentissimus verissimè dici possit. Ea quippe viri auctoritas & in rebus agendis dexteritas fuit, quæ impias hominum factiosorum machinationes præuidere, frangere, ac dissipare facillimè potuerit. Neque hoc adeo ipsos Schismaticos latuit, Irritum omnem conatum fore, quem pastore isto saluo, ad gregem disturbandum allaturi essent. Quæ causa præcipua fuit, cur facta conspiratione ex insidijs hominem ocyus sustulerint: sic futurum rati, vt eo sublato, vniuersa deinceps ex sententia

Iam verò iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, quod solum restat, cum (vt inter omnes constitit) non diuini aut naturalis, sed tantum Ecclesiastici iuris fuerit, ne Henricus quidem aut Aduocati eius negabant potestatem clauium Petri satis virium ad illud auferendum habuisse. Cum igitur nec affinitas vlla fuerit, & impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, per Iulij Pontificis diploma idoneè ablatum constaret, nihil iam obstabat, quominus Catharinam Rex Henricus & ducere posset, & retinere deberet. Nam si quis ipsum Dei præceptum obstare dicat, quod fratris vxorem duci prohibet, quanquam expedita sit responsio, idem ius diuinum nominatim illam exceptionem addidisse, *Præterquam si frater absque liberis defunctus esset,* (vt in nostra causa contingit) tamen illud etiam permitti non debet, quod verba diuini iuris in eodem ipso loco, talem rationem & præmittunt, & vbique adiungunt, quæ totam Henrici causam labefactat. Sic enim legimus: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius*: & post pauca: *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est.* Vxor enim fratris non ob aliud prohibetur duci, quam quod per copulam carnalem affinis alteri fratri iam prius facta sit. Quæ enim fit vna caro cum fratre meo, ex ea re tam propinqua sanguinis mihi fit, quam frater meus est, qui mihi proximus sanguinis est, in primo nuptiarum gradu. Quanquam igitur concederemus & Deum eo in loco nō tantum de illicito coitu, sed etiam propriè de nuptijs agere (quod multis secus videtur) & per vxorem fratris, non solum viuentis fratris (vt quibusdam ex Sanctis Patribus visum est, verum etiam defuncti fratris vxorem intelligi, & præterea legem illam non ceremonialem esse, sed iuris naturalis conclusiones quasdam explicare: tamen cum ratio legis non semel expressa fuerit, semperque sanguinis proximitatem vrgeat, quæ vel per cognationem vel per carnalem copulam (vnde paritur affinitas) acquiritur: nulla verò aut cognatio, aut affinitas inter Henricum & Catharinam contracta fuerit, quia frater Henrici eam non cognouit, vtique efficitur, vt diuinum ius non prohibeat Catharinam Henrico nubere.

At contra certissimum est inter Henricum & Annam Bolenam verum affinitatis impedimentum interuenisse, idque ipsum Regem non ignorasse, eo quod Papæ Clementi septimo per literas suas confessus sit se Mariam Bolenam Annæ sororem cognouisse. Ex qua carnali copula Henricus toti familiæ Bolenorum factus est affinis seu proximus sanguinis. Nam vt Paulus ait, Qui adhæret meretrici, vnum corpus cum

ea efficitur. Cum igitur Maria Bolena fuerit proxima sanguinis Annæ in primo gradu, nempe vterina eius soror, Henricus qui fuit vnum corpus cum Maria, factus est etiam proximus sanguinis in primo gradu fratribus & sororibus Mariæ, nimirum, Annæ Bolenæ. Quid ergo est, quod is qui tantas turbas excitauit, vt à Catharina tanquam ab affine sua, cum vere affinis esset, disiungeretur, nunc non timet ad affinem suam accedere? Et qui negabat Pontificis claues posse facere vt Catharinam retineret, nunc, sine vllarum clauium auctoritate, imò, contra illarum auctoritatem, Annam affinem suam ducit? Frustrà ô Rex contra stimulum calcitrasti. Deus hypocrisim tuam detexit, & adulterinũ cor tuum toti mundo reuelauit.

Quid verò quod idem Rex Henricus etiam matrem Annæ Bolenæ prius cognouerat, vt ante explicuimus? Ex qua sanè copula tale affinitatis genus inter Henricum & Annam intercessit, qualis est consanguinitas inter parentes & liberos. At pater filiam suam ducere in ęternum prohibetur, quia inter ascendentes & descendentes nullæ vnquam nuptiæ permittuntur, propterea quod in nuptijs est summa æqualitas & paritas (vnde Æua ex latere Adami sumpta est) cum interim liberi parentes honorare debeant, seque illis tanto inferiores agnoscere, vt nunquam sint referendo: & ideo nec illis quidem exæquari possint. Itaque Henricus Annam Bolenam, eius mulieris quam semel cognouerat filiã, ducere, res longè difficilioris dispensationis fuit, propterea quod ipsum affinitatis genus, ipsam nuptiarum essentiam propius attingere videtur, quàm vt in eo dispensari quodam modo deceat: maximè si concubitus matris sit multis manifestus. Quare cum Henricus contra naturæ quodammodo legem post matrem Annæ Bolenæ cognitam, ausus sit filiam in vxorem suam assumere, quam impudenter obtendit, se non ausum esse Catharinam retinere, ne in Deum peccaret? Quam impudenter etiam prætexuit, se credidisse, quod Pontifex authoritatem non habuit Catharinæ nuptias permittendi.

Sed adhuc pergamus. Constat ex ijs quæ diximus, non obscura indicia ipsi Henrico reuelata esse, quod Anna Bolena esset ipsiusmet Henrici filia, & tamen eam duxit? Is videlicet, qui timuit sui fratris absque liberis defuncti vxorem à fratre suo minimè cognitam, retinere. Incredibilis quidem audacia, inaudita hypocrisis, non ferenda libido, Sed tamen vnius hominis propria fuit audacia, hypocrisis propria, & libido propria.

Sed iam pergamus in eo quod instituimus. Pontifex Romanus

causa Henrici & Catharinæ, accuratissimè cognita, illos à Deo legitimè coniunctos fuisse, nec ab homine separari posse pronuntiauit. Cuius sententiæ hæc est formula.



CLEMENS PAPA VII.

CVM pendente lite coram nobis dilecto filio Capisuccho Capellano nostro, ac sacri Palatij Apostolici causarum auditori, & Decano, à nobis in Consistorio Reuerendiss. commissa inter charissimos in Christo filios nostros Catharinam & Henricum octauum Angliæ Reges, de & super validitate matrimonij inter eos contracti. Præfatus Henricus dictam Catharinam ejecerit, & de facto cum quadam Anna matrimonium contraxerit, contra mandata & decreta tam inhibitionis quam in literis in forma breuis etiam de consilio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium emanatis contentos & contenta, temerè & de facto attemptando. Idcirco nos de illius potestatis quam Christus Rex Regum nobis licet immeritis in persona beati Petri concessit plenitudine, in throno iustitiæ pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram sententiam, quam ex nostro mero officio, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consistorialiter coram nobis congregatorum consilio ferimus, eiectionem & spoliationem dictæ Catharinæ Reginæ à quasi possessione iuris coniugalis, & reginalis dignitatis, in qua, tempore huiusmodi motæ litis erat & matrimonium inter prædictum Henricum Regem & Annam prædictam contractum, cum prædicta omnia notoria & manifesta sint, prout ita esse declaramus, nulla, iniusta & attemptata fuisse & esse, ac nullitatis, iniustitiæ, attemptatorumque vitio subiacuisse & subiacere, prolemque susceptam seu suscipiendam illegitimam fuisse & esse, præfatamque Catharinam Reginam ad suum pristinum statum & quasi possessionem iuris coniugalis & reginalis dignitatis restitui ac reponi debere dictumque Regem dictam Annam à cohabitatione sua & quasi possessione iuris coniugalis & reginalis eijcere & amouere debere in his scriptis pronuntiamus, decreuimus & declaramus, restituimus & reponimus, eijcimus & amouemus: eademque nostra sententia, & ex consilio & mero officio nostro prædicto, præfatum Henricum Regem maioris excommunicationis & alias censuras & pœnas in dictis literis contentas ob earum non paritionem & contemptum damnabiliter incurrisse ac incidisse ac ab omnibus Christi fidelibus euitandum fuisse & esse, declaramus & mandamus. Et nihilominus volentes cum eodem Henrico Rege nomine Pij patris benignè & clementer agere, censurarum prædictarum declarationem vsque

& per totum mensem Septembris proximè futurum, ad hoc, vt sententia & mandatis nostris prædictis commodius parere possit, suspendimus. Et si infra dictum tempus parere distulerit, ac dictam Catharinam in pristinum statum quo tempore litis motæ erat, non restituerit, præfatamque Annam à sua cohabitatione & quasi possessione iuris coniugalis & reginalis non abiecerit, & dicta attempta cum effectu non purgauerit, ex nunc, prout ex tunc præsenti declarationi locum esse volumus & decernimus.

ITA PRONVNTIAMVS.

Henricus istam sententiam non aliter quam si facta ipsi fuisset iniuria, interpretatus, doloris sui vlciscendi causa curauit, vt iusiurandum quod Clerus Anglicanus Pontifici Romano hactenus præstiterat, in publicis regni comitijs irritum redderetur, seque ipsum (vt quondam Iulianus Apostata) Pontificem maximum creans, nouam iusiurandi præscripsit formulam, in qua Clerus & populus ipsum Ecclesiæ Anglicanæ atque Hibernicæ summum in terris proximè sub Christo caput, iuratò confiteretur. Ac isto quidem modo Henricus tam se quam suos diuisit ac separauit ab Ecclesiæ Romanæ societate & communione.

His ita constitutis iubet Henricus Cranmerum Cantuariensem Antistitem inter se & Catharinam diuortij sententiam pronuntiare: parat se Cranmerus ad sententiam diuortij ferendam, & tandem in Pago Dumstablensi audacter sententiam pro diuortio pronuntiat. Quibus confectis Annam pridie Idus Aprilis (qui dies sepulto Domino sacer eo anno fuit) post solemnem nuptiarum pompam, publicè deductam, & postridie Kalendas Iunij proximè sequentis regio diademate coronatam Reginam nominari voluit, quæ septimo Idus Septembris eiusdem anni filiam Elizabetham Henrico peperit, quinto vtique mense, post solemnem nuptiarum celebrationem: necesse vt fuerit eam prius cognitam ab Henrico esse, quam res diuulgaretur. Henricus vt grauiorem adhuc vindictam de Pontifice Romano sumeret, in mense Nouembri comitijs publicis indictis, omnem deinceps in Anglos & Hibernos iurisdictioné ac potestatem Pontifici Romano ademit quam si quis deinceps ei detulisset, perduellionis reus fieret: quin imo ipsum Papæ vocabulum persecutus edixit, vt de cætero nullus Pontificum Romanorum vocaretur Papa, sed tantum Episcopus Romanus. Anglicanæ vero Ecclesiæ summum caput solus Rex haberetur, cuius etiam præcipuè esset auctoritate plenissima, errores, hæreses, abusus omnes in Anglicana Ecclesia emendare. Quam legem Rex tanta sæuitia executioni mandauit vt capitis *Anno Domini 1534.*

damnaretur, si cuius in libro vel solum nomen Papæ non deletum extaret. Per Calendaria, per Indices, per scripta Patrum, per totum ius Canonicum, per scholasticos Doctores Papę vocabulum lituris vndique obducebatur. Imo in fronte operum D. Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Leonis, ac aliorum Ecclesiæ luminum, singuli scribere coacti sunt, si quid in eis operibus inesset, quod Pontificis Romani primatum tueretur aut confirmaret, se illi verbo, sententiæ, rationi, iam nunc renuntiare, nec tanti criminis reus vnquam esse vellet. Episcopi plerique, & alij Antistites, quorum erat principijs tanti mali obsistere, paululum tempori cedendum putabant, donec aut Rex mentem mutaret, aut Princeps aliquis Catholicus religioni Christianę opem ferret. sed frustra sanè oculos in hominem quempiam coniectos habebant, cum in Deum & proximum ipsi tam grauiter peccassent. Non defuerunt tamen Reliquiæ Sanctæ quæ genua curuare ante Baal prorsus recusarent. Plurimi enim sanctissimi viri, qui quod prophanum Henrici primatum quem in Ecclesiam sibi arrogabat, nollent agnoscere, martyrij palmam assecuti sunt. Inter hos fuere, Ioannes Roffensis & Thomas Morus totius Angliæ duo splendidissima lumina. Sequente mense Octobris anni sequentis, Henricus tanquam summum caput Ecclesiæ, voluit sacra monasteria visitare, eo fine vt ea euertendi, quorum bonis inhiabat, occasionem captaret. Itaque pridie Nonas Februarij criminibus religiosorum partim detectis, partim confictis, obtinuit in publicis regni comitijs vt minora quæque monasteria, libidini suæ deperentur. Octauo Idus Ianuarij eodem anno serenissima Catharina Henrici vera vxor ex hac vita ad villam Cimbalton decessit, & in Burgo Sancti. Petri sepulta est. De lecto autem in quo decubuit Regi Henrico scripsit in hanc sententiam. *Mi Domine Rex Henrice, appropinquante iam mortis meæ hora, charitas qua te prosequor, facit vt admoneam te salutis animæ tuæ, quam cunctis huius mundi rebus anteferre debes, ego tibi condono, precorque vt condonet tibi Deus, commendo tibi filiam nostram communem, ancillas tres & ministros omnes, vt illæ nuptui commodè tradantur: His autem præter id quod iam debetur, etiam vnius anni stipendium integrum velut cumulus accedat*: Acceptis Catharinæ literis, Rex temperare sibi à lachrymis non potuit. Cæterum Anna Bolena Catharinæ funebrem diem, non atri sed flaui coloris vestibus induta celebrauit. Verum, qui iustus est Deus, illam punire diu non distulit, nam deprehensam in adulterio cum fratre suo Georgio Boleno alijsque homuncionibus ab ipso Thoma Boleno, qui pater ipsius putabatur, inter iudices ex iussu Regis considente, incestus

Anno Domini 1534.

Anno Domini 1535.

& adulterij condemnari curat Henricus, & decimo quarto Kalendas Iunias capite plecti, cum non totis quinque mensibus post Catharinæ mortem titulo reginæ potita esset. Postridie veró quam Annę ceruices amputatæ fuut, Rex Ianam Seimeram in vxorem accepit, quam prius, etiam viuente Anna, & adamauerat, & ipsi prætulerat: vt non minus mira quam iusta fuit iudicia Dei, reddentis vnicuique secundum opera sua. Sicut enim Anna Catharinam supplantauerat, sic & Iana supplantauit Annam. Sexto autem Idus Octobris natus est Henrico ex Iana Seimera filius quem vocauit Edouardum, sed cum mater ægrè pareret, Rex interrogatus cui magis consultum vellet, vtrum vxori an filio? respondit filio, quod alias vxores perfacile reperturus esset. Iana igitur ex dolore partus paulo post mortua, Vindisoriæ sepulta est.

Post mortem Ianæ, Anna Guilielmi Cleuiæ Ducis soror, ex pacto cum certis Germaniæ Principibus antea inito, nupsit Henrico. Putabant Principes omnia satis tuto loco fore, si rex eam ducturum se promisisset: non addiderant vero vt etiam retenturum sponderet, duxit ergo, quin imo seduxit, cum per comitiorum interpositam auctoritatem pœne statim illam repudiauerit, Catharina Hauarda in locum eius subrogata, quam cum nondum biennio toto vxorem habuisset, adulterij conuictam, cum Mœchis suis Thoma Culpepero & Francisco Dirrhamo neci dedit. Quo facto Catharinam Parram viduam, Baroni Latimero prius nuptam in sextam vxorem accepit, hoc solo beatam quod Rex prius è vita sublatus est, quam ex aula ipsam (id quod in animo habuisse dicitur) sustulisset. Mortuus est igitur belluinus hic homo Henricus postquam regnasset annis triginta septem, mensibus nouem, diebus sex, quorum ferè viginti annos in pace Catholica, quatuor sequentes in maxima lite & fluctuatione, quatuordecim postremos in aperto schismate transegisset. Ex pulcherrima corporis constitutione per ventris insatiabilem curam & expletionem eo deformitatis excreuerat, vt vix per ostia ingredi, nullas autem scalas posset conscendere, sed in cathedra constitutus machinis quibusdam in superiora ædium attraheretur, imò nihil sanguinis toto corpore iam reliquum fuisse, verum omnia in pinguedinem exuberasse dicebatur. De instante mortis articulo admonitus pateram vini albi poposcit, atque ad vnum ex suis conuersus, omnia (inquit) perdidimus.

Anno Domini 1539.

Mortuo Henrico, Edouardus Henrici ex Iana Seimera filius nonũ ætatis annum agens, Rex Anglię & Hiberniæ pronuntiatur, summumque Ecclesiæ Anglicanæ & Hibernicæ in terris caput, proximè secundũ

Christum ipsum, denuntiatur. Post Regis noui promulgationem, Christi Saluatoris, Deiparæ virginis, Apostolorum & Prophetarum omnes omnino imagines tam pictas quam fabrefactas partim deleuit, partim combussit, Edouardus Seimerus, Edouardi pueri Regis auunculus, tunc Hertfoldiæ comes, paulo post factus Samerceti Dux. Nec his malis contentus vnà cum alijs Caluinistis, tremendum corporis & sanguinis Domini sacrificium, quod à Catechumenorum prima, & fideliū sequente dimissione Missarum nomen iam olim acceperat in publicis comitijs abrogauit. Inde in alias hæreses itum; tandem Edouardus pridie Nonas Iulij anni 1553. ex hac vita migrat, eo ipso mensis die, quo Pater eius Thomam Morum integritatis & iustitiæ caput, capite feriendum ante aliquot annos curauerat.

Post Edouardi mortem Maria Catholica Princeps Catharinæ Austriacæ filia Regina promulgatur, hæc post in vrbem & arcem Londinensem ingressum, Edmundum Londinensem, Stephanum Vintoniensem, Cuthbertum Dunelmensem, aliosque omnes Catholicos, qui ob fidem vincti asseruabantur, libertati & honori pristino restituit, prophani primatus Ecclesiastici titulum respuit; Apostolicæ Sedi quam Patris Fratrisque sui tempore etiam cum periculo vitæ constanter semper coluit, antiquum ius & honorem reddi voluit, Philippo Imperatoris Caroli quinti filio, cum ob alias grauissimas causas, tum maximè vt potentissimi optimique Principis adiumento regnum ad fidem & obedientiam Ecclesiæ restitueret, nupsit: In religione autem Catholica per omnes ditiones suas restituenda quanta sit vsa pietate, prudentia & constantia, ex eo clarum redditur, quod impias contra Catholicam fidē Edouardi fratris sui nomine latas leges ordinum consensu abrogauerit, exercitium religionis hæreticæ prorsus sustulerit, magistros sectarum abegerit, antiquum orandi & sacrificandi morem per totam Angliam & Hiberniam restituerit, Angliamque vniuersam Sedi Apostolicæ reconciliauerit. Nam hæc omnia Catholicissima hæc Regina in primis comitijs effecit. Sed grauiora erant Henrici scelera & sacrilegia, maiorque iniquitas gentis huius, quam vt diu hac salute frueretur, aut tam leuiter expiarentur. Nam ecce tibi lectissima Regina cum quinquennio & quatuor mensibus regnasset, hanc vitam æterna commutauit, in hoc primum infœlix, quod cum Henrici octaui fuisset filia ob ide ipsum nullam sobolem ex se relinquere posset: Deus enim Henrici impietatem & Schisma tam seuerè punitum voluit vt quāquam tres liberos reliquerit superstites Edouardum, Mariam & Elizabetham, nullus

eorum prolem

eorum prolem suscipere atque educare posset. Secundò, multò etiam sua opinione infœlicior, quod Elizabetham istam, non modo æmulam suam illicita & ter damnata copula prognatam, sed de fide quoque, quantumcunque tum dissimulauerit, sibi semper suspectam, & quam reipublicæ ac religioni pestem futuram summè semper metuerat, successorê relinquere coacta fuerit.

Mortua ergo Maria, rerum potita est Elizabetha, Henrici octaui ex superinducta Anna Bolena, priore adhuc superstite, sed repudiata vxore Catharina, altera filia. Quæ licet sorore regnante se Catholicæ fidei in omnibus cultricem præbuerit, tamen verita (hunc enim illi metum iniecerant subdoli quidam hæretici, quos in consilium asciuerat) ne de quo nata est matrimonio summi Pontificis Ecclesiæque iudicio antea damnato, de natalibus etiam suis, iureque regnandi ex sacris Canonibus aliqua oriretur dubitatio, Ecclesiasticis legibus subesse detrectauit, & de mutanda religionis Ecclesiasticique regiminis forma primo quoque tempore cogitauit. Paulo igitur post consilio Gulielmi Cecilij, versatilis ingenij, consilij ac conscientiæ viri, conuocatis ordinibus ad Parlamentum (vt vocant) voluit communi decreto, vocari, suprema Ecclesiæ regnorum suorum, etiam in causis spiritualibus, gubernatrix, omnesque exceptis proceribus laicis, vt id solemni iuramento profiterentur adegit. Hac igitur sibi arrepta potestate, simulque abrogata sedis Apostolicæ auctoritate, sibi, vt in eis quæ sunt ad Deum summæ ministræ applicat omnium spiritualium prouentum, perpetuas decimas & primitias, id est, primi anni cuiusque beneficij adepti integros fructus, omnesque religiosorum possessiones, ante sacris vsibus à sorore restitutas, sibi repetit: Vicarios & Commissarios in spiritualibus constituit, sigillum ad causas Ecclesiasticas peculiarè cudit. Postremò de fidei & religionis formula immutanda pro suo suorumque arbitratu decernit: laicorumque solum suffragijs (omnibus ad vnum Episcopis, qui primi sententias in illis comitijs dicunt, & certè soli in causis fidei dicere deberent, reclamantibus, ac toto tum Londini in Synodum Cantuariensis prouinciæ Clero coacto, refragante.) Tremendum sacrificium cum reliquo omni sanctissimo ritu precandi, & sacramenta administrandi, abolet: & noua sacra, cerimonias, precesque in lingua vulgari ad normam Lutheranorum aliorumque hæreticorum præscribit. Hoc modo paulatim hæresim in Angliam introduxit flagitiosa hæc mulier in qua ad hæc nostra tempora eandem perseuerare magno nostro dolore, videmus. Atque hæc de hæresis per Angliam propagatione dicta sufficiant.



§. 3us.

SPECIALIS NARRATIO DE PROPAGATIONE EIVSDEM HÆRESIS IN SCOTIA.

EXPLICATA propagatione hæreseos in Anglia, Reliquum est vt hoc §. quomodo eadem hæresis Scotiam nostram infecerit describamus.

Ac principium quidem huius mali, à vicina Anglorum gente in nostram dimanasse Scotiam eo tempore constat quo Henricus octauus excusso salutari Ecclesiæ iugo, se caput Ecclesiæ Anglicanæ dici atque haberi voluit. Tum enim nihil non ab eo factum fuit, vt in eandem defectionis maculam Iacobum Quintum Scotorum Regem pertraheret. Erat fortè tum temporis florente ætate adolescens Iacobus rex & Henrici insuper ex sorore nepos, vnde vel quod ad præcauenda pericula incautior, vel quod ad quiduis temerè aggrediendum audacior per ętatem adhuc esset, mox in sententiam suam descensurum eum sperauerat. Ea spe per frequentem nuntium eum ad colloquium blande inuitat, nihil se in votis magis habere dictitans, quam vt nepotem suum regni itidem sui hęredem post se relinqueret: quò sic tandem longis sublatis dissidijs vtrumque regnum vnius potestati subiectum, in vnius reipublicæ corpus coalesceret. Communis regio, communis lingua, communis denique viuendi mos & consuetudo, rem alioqui satis probabilem magis insuper omnibus & expectatam & expetitam fecerunt. Nec iam dubitabat quisquam, quin Scotus conditionem eam, quę aucta dignitate regia tam conspicuam vtilitatem continebat, obuijs vlnis arriperet. Verum ea erat Regis nostri in Deum, & sanctam eius Ecclesiam, pia reuerentia vt omnem conditionem quantumuis speciosam constanter aspernaretur, quæ cum auitæ religionis damno, vel minimo, coniuncta foret. Itaque per Ecclesiasticos viros (inter quos Iacobus Betonius facile principatum tenuit) admonitus non aliò magnificas istas pollicitationes tendere, quam vt per accessionis speciem accipiendæ, religionis Christianę per tot Christianorum Regum, & Pontificum prudentem administrationem fœliciter propagatæ, iacturam, primus ipse faceret.: sanis illorum monitis pie ob audiens, animum deinceps ne talibus caperetur illectamentis cohibuit: ratus id quod futurum erat, Scotorum regnum

ab omni hæreseos suspicione ad eum vsque diem intactum, veluti concepta flamma protinus exarsurum, simul atque populus vnus cum altero, purus cum impuro, sociaretur. Cuius periculi magnitudinem serio secum reputans, persuadensque sibi, nullam esse tantam potentiæ & dominationis accessionem, quę amissæ religionis damnum vel vlla ex parte pensare posset: non tantum colloquio dictum diem irritum esse iussit, sed præcisa omni vlterioris sermonis spe, adeo imparem populorum in religione dissentientium societatem, displicere sibi ostendit, vt libros quos ipsius inescandi causa ad ipsum Henricus forte miserat, tantum quod hæreseos peste infectos esse suspicaretur igni cremandos sua ipsius manu iniecerit. Cuius rei nuntio accepto Henricus non tantum blanditijs nullum locum relinqui, sed dona sua quæuis, contemptim à Iacobo abijci molestè ferens, mox ab illecebris ad iram, & à muneribus offerendis ad minas intentandas sese conuertit, sed vbi nihilo magis ea ratione consilia sua promoueri senserat: rursus ex insidijs (vt dicemus) id perficere tentat, quod viribus se facere potuisse meritò desperabat. Totum hoc quod de Iacobo Rege diximus ex literis eiusdem ad Paulum tertium Pontificem maximum (quas hic lectori subijcio) luculenter constat.

IACOBVS QVINTVS REX SCOTORVM PAVLO III. PONTIFICI MAXIMO.

TANTA semper fuit (Beatissime Pater) orthodoxa fides Regum meorum maiorum atque per eos tanta totius populi Scotici erga Romanam Sedem obseruantia, vt hactenus cum quauis altera gente possit contendere. Veruntamen his proximis viginti annis maximè fuimus sollicitati à vicina Germania, inde enim ex aduerso Scotiæ breuissimus est tractus ac amplissimi sinus, in intimam Scotiam prorumpentes, per quos simul cum mercibus solet illa impura Nouatorum doctrina nostratibus importari; huc accedit quod ante biennium vicinus quidam præpotens Rex nobis sanguine coniunctissimus (Hic fuit Henricus octauus rex Angliæ vti vidimus) *conatus est nos allicere ad defectionem à Romana Sede, multis magnisque propositis commodis: Verum nos illi respondimus, verę religionis causam more maiorum semper fore apud nos potiorem, quam vllam humanam necessitudinem, & nos malle totius regni iacturam facere quam Romanã deserere religionẽ tanti apud Reges maiores nostros habitã, vt eandem etiam suo sanguine confirmarint aliqui: sed aliud irrepsit argumentum quod*

Hi fuere Constãt. 2. Indulphus, & Malcolmus, 3

harum instituimus literarum, &c. Has literas Iacobi quinti habes inter literas aliquot Regum Scotiæ ad Pontificem maximum cæterosque Principes Christianos à Reuerendiss. Episcopo Rossensi Ioanne Leslæo piæ memoriæ in vnum collectas. Ex his autem literis clarum satis est vehementer incubuisse Henricum Regem vt Iacobo Regi à Romana Sede defectionem suaderet, quod cum facere non posset ex insidijs id perficere tentat. Clam igitur immissis in Scotiam libris atque in vulgus disseminatis, qui sub purioris cuiusdam Euangelij specioso prætextu, Ecclesiasticorum virorum vitam & mores odiose traducerent, hoc saltē consecutus est, vt apud quosdam, paruæ licet auctoritatis, & minoris iudicij viros, Ecclesiastica omnis potestas contemptui haberetur. A quibus veneno propinato sic infectis, vel quod quorundam Ecclesiasticorū vita offensione non caruit, vel quod homines sic comparati sunt, vt aliena magis notare vitia, quam eadem ipsi vitare velint, mox in alios malum, ea arte transfusum fuit, vt plerisque, quæ de Ecclesiasticis viris per calumniam dicebantur, eadem vera omnia esse haud dubie putarentur. Hinc ex nimia ista quotidiana conuitia audiendi cupiditate, credendi facilitas, ex facilitate peruersa persuasio, ex persuasione contemptus, inuidia & odium sequuta sunt: fere enim fit, vt quos propter vitam opinione sua improbam, damnet vulgus, eorumdem rebus fœlicioribus inuideat, totumque illorum hominum ordinem ob id maximè sublatū esse cupiat: quod quicquid istis discesserit id sibi accessurum esse existimet. Ex hoc hominum genere, alij in Magnatum ædes, alij in ipsius Principis aulam, temporis progressu irrepserunt, quorum latente odio ea subinde consilia excogitata sunt, per quæ in imminendis Ecclesiasticis immunitatibus, & iniquis super Ecclesiam imponendis exactionibus, Regni primores, & Ecclesiastici viri, alteri de alteris peius sentire, & à se inuicem paulatim disiungi cœperunt. Accessit & alterum ad infirmandam Ecclesiasticam dignitatem incitamentum, non minus potēs quod ab eorumdem illorum artificum clandestinis artibus fraudulēter excogitatum, regni deinde Proceres, ad Ecclesiæ & totius reipub. perniciem maximam, auidissimè arripuerunt. Nam cum Ecclesiasticis prius muneribus ij tantum defungerentur, qui per electionem legitimam creati, doctrina & moribus ad sustinendam impositam prouinciam idonei optimorum iudicio videbantur: non tantum in filios impuberes, eosque spurios, opulentissima quæque beneficia conferri: sed & eorum institutioni minus rectè de religione sentientes Pedagogi, præfici cœperunt: sic vt omni Ecclesiastici regiminis cura abiecta, in tantum quis-


que spectaret, quo se suosque beneficijs Ecclesiasticis ditaret. Et hoc quidem confusionis postea sequutæ rudimentum, à Regis Catholici & religionis Catholicæ conseruandę, cum primis studiosi Consiliarijs profectum, & occulta hęreticorum Ecclesię subuersionem molientium machinatione introductum extitit. Nunc quod huic tali principio incrementum accesserit, & à quibus auctoribus datum fuerit, pari breuitate ostendam.

Qui post Iacobum quintum è viuis sublatum regni gubernacula tenuerunt, huic malo in dies inualescenti, accessionem magnam dedisse deprehenduntur: dum sinistra quadam ęmulatione, quod à priore in impios patrię & Ecclesię hostes salubriter constitutum supplicium fuerat, alter irritum esse iuberet. In hoc imprudentię vitium lapsus Gubernator Hamyltonius, quos ex paulo ante proditionis damnatos, exulare fecerat, quamprimum reuocat. Nec contentus prioris criminis impunitatem concessisse, hoc insuper erroris grauissimi caput super addidit quod se totum illorum consilijs regendum permiserit, quos in Anglia hęreseos venenum hausisse, & eiusdem mali per Scotiam dissemi-nandi studiosissimos fuisse constiterat: quo factum est, vt quam minimum abfuerit, quin abrogata Ecclesiastica potestate, Anglorum hęresim, id est Lutheranam (Caluinistarum enim nouus iste Deus fabricatus nondum fuit) vel tunc secum inuexissent. Certe ea fuisse tunc temporis illorum hominum consilia, vel inde manifestum fuit, quod damnatam illam Lutheri hæresim, & libris & voce viua, in summum Ecclesiæ contemptum publicari, & per publicam auctoritatem defendi curauerint, vt si ea paulo diutius durassent consilia, iampridem de Ecclesia Scoticana actum fuisset, sed nutantem tunc Ecclesię statum alterius Betonij Cardinalis in superioris locum succedentis, prudentia summa erexit, confirmauitque, non tantum sub obedientia retento gubernatore, sed ijs omnibus à publica administratione exclusis, qui Schismatis auctores quoquo modo faciendi haberentur: adeo vt Ecclesię apud Scotos fere iam oppressæ non tantum vindex & assertor fortissimus, sed repugnator diligentissimus verissimè dici possit. Ea quippe viri auctoritas & in rebus agendis dexteritas fuit, quæ impias hominum factiosorum machinationes præuidere, frangere, ac dissipare facillimè potuerit. Neque hoc adeo ipsos Schismaticos latuit, irritum omnem conatum fore, quem pastore isto saluo, ad gregem disturbandum allaturi essent. Quæ causa præcipua fuit, cur facta conspiratione ex insidijs hominem ocyus sustulerint: sic futurum rati, vt eo sublato, vniuersa deinceps ex sententia

ipsis succederent. Et sane, quæ Anglorum per occasionem regis, prius & tum Cardinalis sublati, dominationem simul, & religionem prauam in Scotia propagare volentium, vires tunc fuerant, facile votis potiti fuissent, ni Ioannes Hamyltonius, in defuncti locum suffectus, rebus Scoticis iterum in summum discrimen adductis, mature subuenisset. Illius enim vigilantia factum est, vt accitis ex Gallia auxilijs, & regni finibus facinorosi pellerentur, & represso Anglorum Scotiam passim tunc & vbique inuadentium impetu, Scoti omnes in officio continerentur. Ea rerum facies eo vsque permansit, donec rege Gallorum auctore & suasore, Hamyltonius regni gubernacula per multos iam annos fœliciter recta, in reginam matrem fœminam omnium prudentissimá transtulit. Tunc autem hæreseos malum: quod in Scotia si non penitus extinctum, saltem repressum ad eum vsque diem iacuit, vires denuo capere cepit. Regina namque mater quamuis pietate, prudentia, & erga Catholicam fidem studio nulli secunda fuit, sub principium tamé sui regiminis siue Regis Gallorum auctoritate adducta, siue sinistra cótra Hamyltonium æmulatione inducta, grauissimum in eo errorem admisit, quod patriæ hostes, & impia Pastoris sui cæde infames, reduces primum in patriam fecerit, tum in regiam suam familiam admiserit, postremo summæ rerum administrationi præfecerit. Hoc vulnus in patriæ simul & Ecclesiæ libertatem illatum eo grauius, & ad eandem penitus subuertendam efficacius extitit, quod Ecclesiasticorum nemo, eidem curando admittebatur. Eorum namque alij & ij quidem ordine & dignitate primi, sinistra quadam, & aduersa suspicione laborantes, ne id pietatis officium patriæ præstarent, inique prohibebantur. Alij vero quod inferiores loco & auctoritate essent, aut nullam de rebus tantis sententiam suam proferebant, aut si quá habebant inualidam eam esse sentientes eidem remissius insistebant. Ita factum est, vt Ecclesiæ hostibus ad hunc modum publica auctoritate tectis, sub ciuilis cuiusdam administrationis prætextu, Ecclesiasticę potestatis fulcra omnia conuellere impune liceret: dum sub talibus hæreticæ prauitatis patronis, & hæreseos conuicti pœnas meritas effugiebant: & alij illorum exemplo audaciores facti, eandem facilius (veluti omni superioris potestatis metu liberati) amplexarentur.

Durauit tamen in his malis Ecclesiasticę disciplinæ forma, si non castigandis impijs idonea, at bonis tamen omnibus, vt cunque ferenda. Neque aliter quam cum multi in corpore humores insunt, non simul atque ab ijsdem infestari cœperit, protinus concidit: sed viribus naturę

stæ insitis contra eosdem aliquandiu decertans, ægrè licet & cum dolore subsistit: ita Ecclesia Scoticana contra insurgentes iamque & numero & audacia inualescentes improbos, legum & ordinationum antiquarum firmitate subnixa, si non in pristino nitore, saltem in facie non prorsus aspernāda permansit: perdurauitque eo vsque donec rebus omnibus ad insurrectionem cōpositis consilia sua & copias explicare, atque aperta vi ædes sacras inuadere, Ecclesiasticos viros disturbare coniurati cœperunt. Quo tempore nimis vtique sero, nihil non fecit (quod in se quidem esset) optima & religiosissima Princeps, quo Catholica fides integra apud Scotos seruari posset. Sed hoc totum ea tempestate nec quicquam fuit, non tantum quia quibus maximè sua credebat consilia ij iam ex aduersa parte conspirationis excitandæ artifices facti, eadem studiose peruertebant, sed etiam quia populo fere vniuerso ad defectionem inclinante eo vsque res processerat, vt contra furorem ratio, contra audaciam virtus, contra denique sceleratam populi in Deum & principem insurgentis perfidiam, pietas frustra certatura videretur. Inde eius Ecclesiæ, quæ à primo susceptæ per Scotos fidei Christianæ tempore, ad eum vsque diem fœlicissimè obtinuit, forma profligata & in eius locum Caluiniana hæresis, non religio, sed religionis confusio inuecta protinus fuit. Multa præcipuaque deformationis capita tum in disciplina & moribus, tum in doctrina, tum etiam in patriæ vastitate, & fœdissimis ruinis ex sequenti §. clara erunt, omnia autem repetere nihil attinet.



CAPVT SECVNDVM.

§. 1us

DE REBELLIONIBVS HÆRETICORVM IN SVOS PRINCIPES, PRÆSERTIM IN SCOTIA CONTRA Serenissimam Reginam Mariam, inclitam Ecclesiæ Martyrem.

SVMMAM omnis religionis positam esse in eius qui colitur imitatione, certum est: vnde homini Christiano nihil prius aut antiquius esse debet, quam Christi Saluatoris nostri vestigijs insistere, seque totum ad eius imitationem effingere, nam cum præpotentis Dei filius non ideo tantum nostram sibi naturam copulauit, vt in ea

Cœlestem Patrem, à cuius religione nostrę dissidebant voluntates, mortalibus sceleribus infensum, nobis reconciliaret, verum etiam vt nobis, quemadmodum Deum imitari nos oporteret, ipse homo factus demonstraret, eoque pacto vt diuinam imaginem nostris delictis deformatam, instauraret. Vnde Euangelicæ disciplinæ tuba D. Paulus ait: *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi.* vnde & illud Principis Apostolorum: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Sicut & illud quod beatus Ioannnes ex pectore Domini Saluatoris hausit: *Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare.* At omnium quæ Christus, expressa Patris imago, & viuum quoddam omnium virtutum simulachrum, vel actionibus expressit, vel verbis docuit, nihil arctissimo illo pacis & concordiæ vinculo, frequentius inculcatum aut magis nobis commendatum, animaduertimus. Pacem enim ipse Princeps pacis, & salutis nostræ vindex, & ante necem sibi illatam, & post mortem deuictam, magnopere discipulis commendauit, pacem etenim illis reliquit, pacem illis dedit, omnesque suos conatus, eo comparauit, vt dissipata colligerentur, dissoluta coniungerentur, componerentur dissidentia, vt vnicus denique suauissimus in omnibus consensus existeret, imo omnia quæ liberator noster nostræ libertatis asserendę causa in terris gessit, eo spectarunt, vt homines Deo, Angelis & hominibus iucundissimæ pacis fœdere iungerentur. Sed quemadmodum Deus auctor pacis & amator charitatis, dispersos in vnum compellere, & animos hominum multiplici opinionum dissentione inter se dissidentes, summa sententiarum conspiratione, & mutua beneuolentia copulare semper studuit ita Diabolus discordiarum seminator, & simultatum incentor, optime consentientes dispergere, & omnem societatem pie & sanctę constitutam dirimere, ab initio nascentis Ecclesiæ ad hanc vsque diem, remis velisque contendit, in qua quidem contentione, quantum ipse omnium sator, dissidiorum, hoc nostro sæculo profecerit, testatur Hæreseon nunc temporis grassantium multitudo: testatur bellorum in multis locis tumultus: testatur denique & vehementer dolet charissima Christi sponsa Ecclesia, quam ipse sponsus sanguinis sui flumine sibi comparauit, quam iam homines impij, qui ad concordiam dissoluendam, & ad seditiones concitandas nati videntur in mille partes primum diuidere, & ad nihilum tandem redigere nituntur. Vbi certè Satanæ fraudem & versutiam, plurimum mirari licet: ipse enim, cum perspiciat, & longo rerum vsu compertum habeat, duabus potissimum rebus, sacerdotum scilicet autoritate & Principum potestate

tum sectarum

tam sectarum variarum licentiam, tum Ecclesiæ vnitatem conseruari, nihil sibi prius faciendum ducit, quam vt vtramque potestatem infringat, labefactet, euertat, quod quanto impetu; in lectissimis suis organis, impurissimarum libidinum patronis illis maximis, Luthero, Zuinglio, Caluino, Beza, Knoxio, Buchanano, & cæteris id genus flagitiosissimis hominibus, summi Pontificis & legitimorum principum auctoritatem & iurisdictionem demoliri conatus fuerit, neminem latere puto. Quibus & propter peccata scimus datum esse robur, & stupendum in modum prosperè successisse opus in manibus impiorum : vt enim facilius ad suum finem peruenirent, reipub. pacem turbare, subditorumque animos in suos Principes ac regni statum concitare subdole studuerunt : neque enim hæresis vnquam progressum haberet, nisi inueniret seruos & subditos pronos & dispositos ad fastum & rebellionem in suos Principes & dominos : neque etiam tanta cæcitas aliunde vires acquirit, quã ex communi illo morbo quorumdam hominum, qui minimè contenti suorum Principum regimine, gregatim consurgunt in suos Principes primum propter nescio quam vindicandam libertatem, deinde & in Catholicam religionem, quasi cum Ieroboam conspirant. Hoc ex multorum regnorum euersione ab his perduellibus facta, & conspirationibus in suos Principes excitatis manifestè patet, præsertim in nostra Scotia, in qua (Deus bone) quas non tragœdias in suos Principes tam Iacobum VI. nunc regnantem, quam eius sanctissimam matrem Mariam inclytam Ecclesiæ Martyrem excitarunt. Omissis rebellionibus & seditionibus (vt pote notissimis) in Iacobum Regem excitatis de ijs tantum quas contra ipsius matrem excitarunt aliqua dicemus. Sed quoniam neque hoc commodè præstare possumus nisi ipsius sanctissimæ Reginæ vitam breuiter describamus ideo hoc ita nobis præstandum est vt seditiones ipsorum hæreticorum non omittamus.

MARIA STVARTA Regina Scotiæ, fœmina fuit, in quam omnia sua ornamenta videbantur contulisse, *Natura*, *Fortuna*, *Virtus*: Nam eo fuit habitu corporis, ea bonorum affluentia, ea mentis bonitate vt à tribus illis videretur suscepta contentio, ederentne mundo, Natura pulchriorem, Fortuna fœliciorem, an Virtus meliorem, fuerunt sanè multi, & in hoc genere bene lyncei, qui quicquid viderũt in Anglia, Italia, Gallia, Germania, Flandria pulchri & venusti, id totum quantum & quantulum erat, præ hac conformatione membrorum, hac venustate, hac maiestate, hac huius Reginæ suauitate penitus sorduisse dicerent In digitis, in venis, in manibus, in ocellis, in fronte, in corpore, in gestu

L

viderunt mysteria, quæ tanquam Deæ stuperent potius taciti, quam infra dignitatem dicerent. Dea certè naturæ, si qua nostri temporis. Nōne fœlix? ad regna nascitur tria, Scotiam, Angliam, Galliam, & nascitur non obscure ex matre Maria Lothoringa, filia Ducis Claudij Guisiani, ex patre Rege Scotiæ Iacobo V. quem Iacobus Scotię IV. ex Margareta Regis Angli Henrici VII. filia fœliciter susceperat. Ad Galliā vero beneficio matrimonij, etsi ascita potius fuit, quam iure nata, tamen dixi hoc nasci eam, vel dignam tanto regno, vel florentem ex Lotharinga stirpe, Galliæ potentissima, optima, Catholicissima, vel potius meritò virtutis, oratam à Rege Galliæ & exoratā vxorem. Fuit hic quidem ludus Fortunæ, siquidem quæ nascitur ad tria regna, exuitur tandem omni non dico regno, sed domo, libertate, patria. *Stultam & lubricā fortunam*, Deam contemno dicere, quæ quos cœpisti iuste amare, eos constanter amare non pergis. Serua tibi Nerones, Vitellios, Ottones, iocos tuos. Etiam ludificari Marias? Sanctas? inique. Quanquā istud eo mollius fero, quo certius video virtutem summam nitere in turbidis quam prosperis rebus. Nam cum virtus inclusa semper, & quasi flamma cinere obtecta lateat, quoad fuerit obiecta materies vis exerendæ: gratulor certè Mariæ Reginæ hanc fortunæ volubilitatem, tanquam segetem virtutis excitandæ, spargendæque per orbem. In hac enim calamitatę (quam Fortuna obiecit, non induxit meritum) eas constantiæ, pietatis, religionis, mititatis, diuitias explicauit, vt possit dici infœlix bono suo, & maximæ virtutis maxima laude. Ante cognita fuit tantum Regina, cognita pulcherrima, nunc post hoc Fortunæ vulnus cognita fuit etiam exemplar, & pietatis vera expressio. *Princeps certè* (vt scribit de Æmilio Paulo Paterculus) *in tantum laudanda, in quantum virtus intelligi potest.* Hanc Mariæ siue fortunam, siue virtutē vno tempore duo Reges prensabant sibi, Angliæ Edouardus, Galliæ Franciscus, singuli freti singulis causis. pactione ille, fœdere iste. Anglus iste obtenderat pactionem, & vrserat minis, illecebris: pugnabat tamen semper Gallus fœderis & amicitiæ (quę Scoto secum erat perantiqua, multisque vtrinque officijs & beneficijs sancita) nomine in speciem sane præclaro, & ad rem id temporis neruoso. Siquidem non tantum pugnabat fœderis nomine, sed etiam expugnabat: fauente matre Galla Gallo, fauente cœlo, necessitati Ecclesiæ. Magnum sane bonum Ecclesiæ non nupsisse Mariam Edouardo Anglo. Quippe combiberat iste cum lacte matris Lutherum. Maria ergo quadrima plus minus imponitur naui, in Galliam mittitur, educatur, illicitur, nubit Francisco Valesio Delphino, secundo

eius nominis post dicto. Id tam ægre fuit Edouardo Anglo, vt nisi inciso vitæ filo, ad vindictam miscuisset certe rem Scotis, Anglis. Edouardo succedit (vt superius vidimus) Maria, soror ex patre. Hæc vt nulli malefecit sic de nullo malum cogitat. Quare nihil morata de nuptijs Scotę cum Gallo, alijsque rebus externis, sollicitè agit rem tantum regni, Ecclesiæ, Dei. Hanc siue curam illi, siue fœlicitatē Ecclesiæ præcidit mors: varia hic affectio, hanc mortem partim ferentium è cœlo, partim dolētium ab hæretica fraude illatam. Mariæ mortem excipit Imperium Elizabethæ: hic timor à Scotiæ Regina, vt hærede Anglię proxima. De hærede nihil dubitationis, etsi aliquid sit controuersiæ, excitum potius peruersitate inuidentium quam dicentium momento. Apud Anglos ille mos est, vt filij eorumque soboles filias etiam grandiores in imperio præeant. Inter filias postea solenne, vt quæque maxima natu est, ita eam eiusque stirpem, reipub. clauum, primam, tenere. Angliæ Rex Henricus tres liberos habuit, Henricum VIII. de quo multa superius, Margaretam, Mariam. Henricus octauus vt antea vixit & regnauit in Edouardo & Maria, sic iam viuit & regnat in Elizabetha, hos enim liberos reliquit superstites singulos ex singulis vxoribus, vt ex supra dictis patet. Extincta Henrici Elizabetha, liquet ius Regni Anglicani ad Margaretam Henrici octaui sororem natu maximam, eiusque sobolem emanare. Margareta ista nupsit & peperit Regi Scoto Iacobo IV. Iacobum eius nominis V. fœlicem hac Maria, aureola sane filia. Vides eam hęredem regni Anglicani certissimam. Quemadmodum Henricus octauus in Elizabetha vltimo & solo eius stirpis germine viget, & regnat; sic eiᵘˢ soror Margareta natu maxima in Maria Scota, huiusque filio Iacobo VI. & viuit & post Elizabetam regnare debet. Ex hoc iure etsi Elisabetha nihil habeat causæ, cur timeat Angla Scotam, Regina Reginam, mitissimam sane, totaque vita auersam à fuci, ambitionis, odij, lituris: tamen illi ex Caluini sentina turbatores, qui id temporis occupato reipub. Anglicanæ clauo, Elizabethæ instillabant semper errores & opinionum peruersitates, subiecerunt causas, cur timeret, esse Scotā, esse vicinam, esse proximam sanguine, esse proximam hęreditate, esse Romanè Catholicam. Quas causas? nixas conscientię infirmitate, non rationis momento. Est Scota, quid tum? & Anglis cum Scoto erat sæpe multa amicitia. Est vicina, quid tum? vicinia Principum qui feruntur & feruent cupiditate rerum alienarum, etsi plena sit periculi & timoris: tamen Regina his moribus, hoc animo, tam prope aberat à summo amore & fide in Reginam Anglam vt in eius vicinia suam spem & sub-

fidium videretur collocasse. Est proxima sanguine, quid tum? amor hinc non timor: nisi id sit noui monstri ex noua Caluini Lerna, esse in sanguine timorem. Est proxima hęreditate, quid tum? hæreditas à Catholicis expectatur, non pręuertitur. Nulla est ne tenuissima quidé causa timoris ex Scota, timent tamen Angli, magis quod solent hęredem, quam quod debent bonam. Nam Taciti Otho, ille Imperij pene pestis, labes certè, etsi dixerat, *Suspectum semper inuisumque dominantibus qui proximus destinaretur*: tamen turbatus dixerat de turbantibus, malus de malis & male. Est aliquando fateor, cur Rex timeat hęredem, elatum ambitione, & hęreseos vitiorumque tenebris oppletum: at hunc morem solemnem habere perpetuumque timendi omnia de omnibus hęredibus, etiam Catholicis, etiam mitissimis, prope est, vt dixerim Mahumetanum. Quemadmodum enim nihil est, bonus Princeps bonum hęredem timeat: sic Princeps si timeat, prodit profecto hac mentis ignauia, se malum esse, & velle potius quam posse regnare. Est Romanè Catholica. Quid tum? cum hac religione omnes combibunt animis suauitatem, iustitiam, pacem, reliquas virtutes: vt certe quo plus haberet huius religionis, eo minus isti deberent habere timoris. Nulla ergo ex Scota causa timoris: quicquid tamen est de re, timent Angli hæredem his moribus imbutam, & huius timoris excludendi viam solam putant, ciere turbas in Scotia, miscere omnia, Religionem Catholicam eradicare, spargere Caluinianam, Reginam vocare in contemptionem, & si qua possint ratione mouere loco. Huic rei multæ rationes, multæ consultationes, secant glaciem per minutos quosdam hæreticos, qui ex Anglia & Geneua, sentinis sordium Caluinianarum summissi inhalent Scotis contagionem, pestemque Helueticam. Quærunt isti latebras, non citros: angulos, non suggestus, in quibus facile aduerteris plus algoris de timore, quam sudoris pro sua religione. Nam Maria Lothoringa, quæ vices filię absentis obibat, in repub. quamuis aliqua ratione vt superius vidimus peccarit, tamen cum primū odore suspicionis sensisset, esse in Scotia, qui Caluino & Anglæ, tanquam idolis, operarentur occultè, nullam intermittit cogitationem vel prudentis Principis ad inueniendam, vel bonę Catholicæ ad eradicandam hanc Caluini stirpem. Vnde cum res timidius, quam pro mente Anglorum gereretur: initur noua ratio occultis insidijs apertam auctoritatem adiungendi, eamque certam, magnam, fultam opinione doctrinæ, prudentiæ, nobilitatis, scientiæ militaris. Erat in Gallia id temporis Scotus ex gente Hamiltoniorum comes Arranius, à Rege Gallo propter corporis reique bellicæ

sæpius gestæ fœlicitatem habitus honorificentissimè, & non solum amplo sensu auctus, sed Dux etiam Castri Heralbi appellatus. In hunc Angli intendunt aciem tanquam Principem futurum & satorē seditionum Scoticarum. Nam in seditionibus intestinis cum aggressio non sit sine voce, primaque vox difficulter mittatur nisi à primo, & audacissimo: has partes & loquendi primum, & aggrediendi non putabant commodius posse imponi, quam Arranio, qui in Gallia primas fere tenuit, & meritus est sermonis elegantiæ, corporis, fortitudinis. Difficultas erat duplex ex Arranio & fortuna. Ex Arranio, quod Galli partes sequutus semper fuerat, & cum lacte matris odium in Anglos insuxerat; Ex fortuna, quod eam peramplam iam in Gallia habebat, & sperabat in dies ampliorem, si quod in Anglos conceperat odium, illud verbo, facto consilio exprimeret. Legatus ergo Angliæ qui apud Gallum tum erat, aucupatus occasionem, primum tentare & illicere mentem Arranij. Cū illecebram videret excipi non ægrè, aggredi apertè, obijcere spem primi imperij in Scotia, segetem summæ laudis in euertendo Papatu, (studebat enim Caluini partibus) spem nuptiarum cum Angla, præmium census duplo amplioris, quam quo in Gallia iam vtebatur. Arranius animo maximo concipiens illa maxima, quæ nunquam peperit, aut mōstruosè sane peperit, fugit tectè cum quibusdam ministris Anglis in Scotiam: duplex hic in Arranio error, leuitatis, dum sequitur potius spem hostis, quam fidem amici; stultitiæ, dum sperat sibi optimè fore à pessimis. Vix Arranius posuerat vestigium in Scotia, cum omnia strepere armis, sermonibus, insidijs hæreticorum. Qui antea ministelli se abdiderant in angulos, venenum potius meditantes, quam spargentes, iam attollere caput, linguam exerere, acuere calamum, omnia implere Caluino, templum, mensam, aulam. Maria Lotharinga mater Scotæ Regēs vt loquuntur (filia enim hæres adhæserat lateri Francisci Regis mariti), mittit in Galliam, qui exagitent auctores, qui exaggerent periculum, qui petant auxilium sopiendis turbis. Auditum est, consensum est: nam Rex & Guisius summitunt Duces Catholicos, quatuorque millia Gallorum, auxilio, religioni laboranti. Partes In Scotia fiunt, hinc fauentium, illinc obstrepentium Gallis. Qui fauebant, Ecclesiæ commune, qui obstrepebant, Scotiæ priuatum bonum obtenderant. Arranius Dux & antesignanus eorum, qui Scotiæ causam, tanquam velum, prætexuerant suo sceleri. Hinc & hinc arma, hinc & hinc timor, hinc & hinc insidiæ, magis vtrinque singula, quod profitentur se vindices, hæreticis Angla, Catholicis Gallus. Firmior pars hæretica, quo propinquior ex

L 3

Anglia habet subsidium certum, frequens, tutum. Hæretici, specie eijciendi Gallorum non omittunt occasionem. Knoxius crepat Caluinum, alij moliuntur alia, rei Ecclesiasticæ vel euertendæ vel auertendæ. Id ausim dicere hæresim in Scotia plus turbasse, miscuisse, suppilasse, euertisse breuissimo medij anni interuallo, quam in reliquis partibus per ętatem penè hominis. Ita fuit sedula, subdola, acris. Arranius quasi victor triumphat, & in horas expectat, inde ex Anglia rei bene gestę pręmia, nuptias Elizabethę, pensionem lautissimam. Verum se ab Angla elusum, à Gallo desertũ, in Scotia non bene habitũ videns, se dedidit totum mœrori, & ægritudine paulatim tabescens, pœnam violatę maiestatis diuinę & humanę, dependit Deo perpetuâ insaniâ. Sic transit gloria hęreseos & sceleris, punctulo efflorescens, punctulo exarescens. Angli postquam cœperant Arranium vel ludere amantem, vel amentẽ contemnere, figunt mentem & spem in Iacobo Stuarto fratre Spurio Reginæ. Hunc vt occupent totum, iubent sua opera sperare summum Imperium Scotię, si prudentię quibusdam quasi gradibus eo surrepat potius, quam vt inuolet, opus esse hic consilio, auxilio: illud in Iacobo debere esse, & ex Iacobo, hoc in se fore, & ex se. Iacobus viderat spem ex Angla, quæ promittebat, ex se, qui poterat gratia; ex Regina sua, quę aberat; ex hæresi quæ quærebat ducem imbecillitati sustinendæ. Vnde hanc potiundi Imperij spem, acerrimi animi adolescens, non prius dimiserat, quam vitam. Interea moritur, temporis interiectu non magno, in Gallia Franciscus maritus, in Scotia Maria Lotharinga, mater Mariæ Stuartæ, hæredis Scotiæ. Cogitat igitur hęc Scotiam, hæreditatem suam multas ob causas, maximè, ne merito videretur orba marito, si patriam relinqueret orbam capite. Verum quia periculum erat ab hoste domestico, Cardinalis Lotharingus, reliquique Guisiani, consentiente consilio Regio, statuunt mittendam cum milite Gallo. Iacobus Spurius veritus bonæ spei malum exitum, si miles Gallus iterum apelleret, omniaque imperio teneret & consilio, mox in Galliam transmisit. Adit Cardinalem Lotharingum, multaque inijcit excludendo consilio de milite. Frustra poni tantum sumptum: stultè rem tantillam tanto molimine agi; præsentia Reginæ, id quicquid erat turbarum, tanquam solis obiectu caliginem, iri dissipatum; huic rei se polliceri fidem, manum, bonum exitum. Creditur, vel quia facilè solet, vbi parcitur sumptibus, vel quia fato quodam Principes volunt esse creduli in malum suum. Ad naues vniuersi, Regina, Spurius, Comites, Milites. Inscensio est timida, propter Anglorum insidias, des-

scensio fœlix. Nam nobilitas multo frequentißima descendendo Reginæ præsto adest. Varia officia, amantium vera, hostium simulata, & numero plura, vt minus videantur simulata. Nam vt quisque odit maximè, ita maximè fingit se amare, dando, adulando, seruiendo, obsequendo omnia, *Nocentior fraus quo tectior, nisi periculosius fortasse fer. at cornu taurus quam caudâ scorpio.* Iacobus Spurius tantam hic & postea speciem boni viri præ se tulit, vt Regina se putet iniusti ingratique animi deuinctam criminibus, nisi remuneretur fidem seruientis, amantis candorem; fidem? odium: candorem? fraudem; sed fraudem & odium velo tam subdolè obtenta, vt viderentur amor & fides etiam ijs, qui nouerant consilium, & certè timuerant in tam pulchra specie, non animum illum, quem volebant. Regina pendens officiorum momenta fronte, eum dixit Comitem Murrauium, censuque ornat annuo librarum Scoticarum vicies & sexies millium. Ambitum regni non incidit Spurio beneficentia Reginæ, auget magis nouus honor. *Nam ingrato quicquid feceris, contra te feceris.* Hæretici mox confluunt, gratulantur nouum honorem, nouam spem, nouam commoditatem profitendę religionis nouæ, accessionem honoris esse ex Deo, vt proferat fines Euangelij; nisi proferat, vindictam fore à Deo. Is audire, non quod curet religionem, sed quod in religionis nomine & velo videat expeditiorem viam ad id, quicquid conceperat animo, perficiendum. At quid tandem concepit animo? Quicquid Scotia coercebat amplexu, diadema, Reginæ mortem; religionis antiquationem, aut certe labem. Nihil hoc vastior Spurio animus, quam cui Scotia satis erat. Vorat etiam spe Angliam, quasi hæres post Elizabetham, vel quasi maritus conregnator cum Elizabetha. Hāc spem putant quidam iniectam ab Anglis. Probabile hoc: vt iuueni scilicet elato facerent grandiores animos spe nuptiarū, & duplicis regni. De Angla deceptrice quicquid probabile, non certe est improbabile, hunc Spurium elatum cupiditate dominandi adiecisse oculum & animū ad Angliam, si Anglæ superstes fuisset, quasi proximè fluens ex Henrici VIII. semine. At Spurius. Nugæ hoc, vbi spurijs relinquant locum religio, conscientia, timor, & quod propius est, exemplum. Vt videantur, & quæ dixi, & quæ dicturus sum, dici à me latinè, non oratoriè, videte hominem, aut potius labem hominis. Nam quicquid dicitur, fingitur labis, in hoc homine hæserat. Matrem habuit ex nobilißima Asxinorū familia vxorem nobilis Klainij, Patrem Iacobum V. Regem Scotiæ. Ex regio quod putatur semine, regius quidem spiritus, & grandis: sed ex matre omnium sermone venefica animus veneficij & maleficij plenus.

Pater timens mali oui malum pullum, videnſque peſſimam matrem in filio apparere, creſcere, matureſcere, timeri, odio haberi: cum monaſterij,non bonæ mentis ſeptis incluſum dixit Priorem Sanct-Andreopolitanum. Mittitur in Galliam imbuendus, aut potius inficiendus à Ramo. Poſt mortem patris redit, contemptor religionis, vt valde timeretur Caluini filius; maledicus in omnes, vt facile videretur Rami diſcipulus. Poſt reditum exuit perſonam monachi, induit regij filij: vbiq; enim ſe oſtentare, gerere pro regis filio, tueri tamen dignitatem cenſu monaſterij; quærere occaſiones augendæ rei, omnia polliceri omnibus, hæreticis Caluinum, Catholicis Eccleſiam,potentibus gratiam,miſellis fortunam. Luxuriam etiam, auaritiam, ambitionem, obſtructione & velo parietum, frontis, verbi, tam commodè tegebat, vt hac labe nihil videretur nitidius. Denique ſimulando, diſſimulando effecit, vt putaretur dignus regno foris Brutus, intus Catilina. Monſtrum peccati ex adulterio patris, veneficio matris, prauitate Caluini, maledicentia Rami, omnium denique ſimulatione & auaritia miſtus & concretus ad regni, religionis, ſeminis regij internecionem,aut certe contagionem. Hac fortunæ illecebra, & naturæ peruerſitate aggreditur ad rem. Primum auctor eſt reginæ ne cogitet ſecundas nuptias, plenas periculi, plenas ſuſpicionis,plenas moleſtiarum. Liberum lectum,nullaque lege vinctum haberi dulciorem eſſe, reginam eſſe ſummam, eſſe ſolam, cuius nutu omnia regerentur. Notam fore animi minuti& depreſſi in terram, cum poſſit dominari, velle ſubeſſe, cum debeat regere poſſe alterius ſe nutui permittere. Ad regni regijque ſeminis propagationem, enixe, importune rogare, vt diadema ſibi, alijſque perpetua ſerie Stuartis addicat. Rem loquor non ſolum notam nobilitati, ſed tritiſſimam etiam vulgi ſermone. In reliquos Stuartos certo rectoque lecto natos (huius enim nominis regnum eſt hæreditarium) etſi facilè itum fuiſſet à tota nobilitate: tamen de Iacobo filio illius matris, quæ lecti genialis labem cumulauerat veneficio, multaque grauiſſimorum ſcelerum infamia, videbatur fore labes regni, & gentis perpetuæ. Regina nec ſuſpicata dolum,nec mota precibus Iacobi,confert cogitationes cum eo de marito,quaſi ſolo modo ſopiendarum aut potius excludẽdarum litium, quæ de regno futuræ videbantur. Quantus aculeus huius vocis? fert tamen & probat. Illa non tam intenta in nuptias,quam in nuptias regno & religioni ſalutares, ex omnibus vnum ſeponit Darlæum. Darlæus iſte fuit magni ſpiritus, & corporis ea conformatione,habituque vt hac Penelope videretur dignus ille Vlyſſes. Fuit quidem ille infra fortunam
Reginæ. Verum

Reginę. Verum Regina cogitauit non quantus ille, sed in illo quantum momenti erat ad reipub. pacem. Fuit hic iuuenis, dignitate Comes, sanguine Princeps, ex Angliæ regia stirpe, tam prope fluens, vt Marię Stuartę cum eo post Elizabetham videretur futura contentio aut certe disceptatio de Regno Anglicano. Series sanguinis hoc fonte & cõtinuatione est. Elizabethæ Maria Stuarta, Mariæ mater Darlæi, matri Darlæus debebat succedere. Adde Darlæo, Stuarto fuisse cognomen ex Scoto semine Regium. Ad sopiendam litem voluit Regina riualem, etiam infra suam dignitatem; ad tuendum cognominis Regij honorem voluit Stuartum. Laudatur Reginæ ibi pietas, quæ rempub. non se, hic prudentia, quę se, non fumum spectabat, & fortunam. Iacobus Spurius frendens his nuptijs excludi spem summi in Scotia imperij (videbatur certè fore ex tam vegeta stirpe flos) suscipit cogitationẽ de Darlęis, patre & filio, extinguendis atque ipsa Regina in lacus Leuini arcem, tanquam carcerem, condenda. Quid non cogis sacra regni fames? Sed vt videatis Dei prouidentiam in maximis maximè enitentem, contra spem, supra malitiam improborum, aperitur consilium, Darlæi seruantur, succedũt nuptiæ, timet Spurius. Lenitas Reginæ & animo ante cepta opinio de fide fratris sui, (hoc nomine honestabat illa labem Iacobi) facit vt timor Spurio potius augeat spem, quam animos minuat. Pulchrè ille; *Timor, si non coerceatur, acuit. Nam vbi locus est purgationi sceleris, & semel purgatum est, aggredimur postea faciles, quæ timidi antea purgauimus.* Et hic clarè. Nam Spurius purgando sceleri adhibet artificium frontis & verbi tam callidè, tam tectè vt credatur non cogitasse, quod iurauit facere. Quare vt sit nec timor, nec timoris causa, mentitur nouus Catilina amorem, fidem, animum bonum erga Darlæum, & mentitur non fronte tãtum, sed etiam verbo structo affabrè. Iam diu esse, cum illius causa cuperet ad insignem amoris notam aliquid, non commune illud & leuiculum positum in verbo, in nutu, in manu, sed diadema, Scotiam, nomen Regium, omnia summa. Hoc deberi virtuti, personę, cognomini, indoli, communioni lecti, qua Reginæ iungitur. Tam insignem iniuriam tantis vel meritis, vel officijs factam non posse, non debere ferri. Prudentiam reliquis Scotiæ nobilibus insculpsisse eam mentem, vt velint fortunam reliquisse eam facultatem, vt possint eum hoc Regis nomine & honore ornare, ipse se si non deprimat. Esse fractioris animi, potius sequi nutum & quasi caudam fœminæ, quam mentem & lacertos viri. Sumat ipse animos, facile virum præferri fœminæ, extra rempub. Amazonum, apud Scotos maxime, qui à iactis regni fundamentis

Principem suum voluerunt vocari non Scotiæ, quasi agri, sed Scotorum quasi virorum Regem. Facile permitti Scotiam Reginæ, Scotos velle Regem, & Darlæum Regem. Ad aucupium gratiæ hactenus. Ad inuidiam istud, Reginam nec bene facere, nec prudenter cogitare, quæ quem asciuit in societatem lecti eum non ornet Regis nomine. Mirari se Darlæum, qui in reliquis rebus animi maximi & cœleste quid spirantis edat signa, hic abiecte & anguste, sinere se contemni à fœmina. Esse Reginam, mollius ferendam; sed Reginam contemptricem, non semper ferendam. Quid? quod inferat Regina iniuriam, non sua voluntate, sed consilio Dauidis Itali? Non concoquendam facile iniuriam ab hoc homulo, qui tam impotenter fert fortunam prospere fluentem, vt & nobiles contemnat, & infra omnes nobiles Reginæ maritum abijciat.

Dauid isteSabaudus fuit, non magnæ familiæ, sed multi iudicij vir, hoc nomine charissimus Reginæ, quod dignus videretur, qui esset charissimus omnibus, prudens, sagax, vafer in omnem partem & vsu iam factus gnarus reipub. vt quam facile videret conatus malorum, & eluderet, tam libenter laudaret consilia bonorum, & iuuaret. Id in isto inerat vitij, quod viris videbatur fœmina, cantillans scilicet mollius, quam decebat virum, sæpius quam Consiliarium Reginæ. Quanquam quis reprehendat, eum miscuisse vtile dulci? omne tulit punctum, meo, Horatij, saniorum iudicio. Male profecto perstringunt Reginam, quod hunc aurium animorumque artificem asciuerit in societatem secretiorum consiliorum, multisque honoribus auxerit. Vnus enim omnia, Musicus honestam volnptatem, sanum consilium prudentissimus attulerat, *Hoc solum nomine infœlix, quod in aliena terra erat minimum fœlix*. Nã odium erat in eum omnium, hæreticorum vt Catholicum, Catholicorum vt potentem, coniuratorum vt fidum, fauentium vt superbum reipub. rectorem, & sua voluntate solum. Hæreticis non satis erat odisse Catholicum, nisi etiam tendant insidias capiti, quod habebat vt oculos videndis, sic mentem excludendis illorum machinationibus. Omni itaque dimicatione contendunt, vt hos oculos, hanc mentem eruant reipub. Huic rei seritur lis inter Dauidem & Darlæum. Astute. Hac face posse deleri & à Darlæo Dauidem, & Darlæum à Regina, & Reginam à seditiosis, idque solo periculo eorum, quos solos Spurius voluit deleri. Hinc est, cur Darlæus audiat aliquando sales, aliquando conuitia Spurij in Dauidem tanquam riualem hostemque Regij nominis. Reprehendebant alij Italum, vbi istud reprehenditur? in Scotia? stulte,

vbi tum demum habentur optimi viri, cum sint imitatione Itali. At vbi tandem istud reprehenditur? in Scotia? inique, vbi honos, ingenio, non genti, virtuti, non sanguini habetur, si quo alio in loco: nisi fortè Caluinus inuerterit orbem rerum, & statuerit nouam legem, præferendi pessimos suos, optimis alienis. Cum Spurius nomen Dauidis omni sermone vsurpet ad conuitium Darlæi, nec quicquam proficiat (Darlæus enim hactenus viderat, quem Regina habebat cordi, sibi non debere esse odio) frendere vehementius, quam vt iram possit tenere intra septa pectoris. Prope enim esse, vt excidat omni spe regni, si communio illa lecti inter Darlæum & Reginam diu maneret integra. Ex tam pulchra stirpe, pulchram fore prolem. In prole quæ spes reliqua? communionem illam cum non possit arte dissui, vi disrumpendam. Coit societatẽ Consiliorum cum suis. Itur in sententiam capiendi arma, specie vindicandæ nobilitatis ab iniurijs Reginæ, totum incumbentis in partes Pōtificias. Res Scotiæ id temporis hoc statu erant. Nobiles hæretici, diu erat, cum Ecclesias expilassent & monasteria, quodque erat vel opimi agri, vel lautæ supellectilis, rapuissent, addixissent sibi, quantum poterant, sua quisque vi. Illi etiam qui rem regni, & tenellam Reginæ ætatem regebant, plurimum thesaurum regium vel domum suam seuocarant, vel alijs Cerberis, tanquam bolum obstruendo ori, obiecerant. Legeram & de perfidia Caluiniana certe credideram, rei Regiæ & Ecclesiasticæ in tres partes diuisæ, duas Regno & Ecclesiæ præcerptas perfidia Caluinianorum cessisse nobilitati. Regina non fert hanc regni labem & imminutionem, sed primo quoque tempore refigit, id quicquid donationis, dicti capitis in illa suæ ætatulæ infirmitate contra ius fasque editi, rem solij & diadematis traduxerat alio. Iustè, siue spectes rem reipub. nefariè occupatam, siue aciem defigas in regni leges, quæ Regi 23. aut quintum ætatis annum agenti faciunt potestatem liberam rescindendi, quicquid ab alijs in suæ ætatis infirmitate dictum, factum contra maiestatem. Viderant maiores, viri natura & rerum vsu præclarè informati, hac salutari lege, tanquam fræno cohibitum iri illam auaritiæ sordem, qua plurimi Regiæ ætatulæ administratores, & vsi sunt, & vsuri videbantur, in re solij domum suam seuocanda. Spurius vt faceret Reginæ inuidiam, spargit quicquid nobiles occuparant Ecclesiastici fundi & supellectilis, id Reginam ex illorum domibus & familijs in Ecclesias iterum & monasteria auersuram. Rationem hanc excogitari extremã per cuniculos vt nobilitatis subruendæ, sic Papismi excitandi, incœpisse in re Regia, desituram in Ecclesiastica. Timebant omnes, quorum in-

tererat, vel quod rem regiam viderant restitutam, vel quod Spurius cō-stantissimè confirmarat. De re regia erat susurrus tantum, at de re Ecclesiastica apertæ erant querelæ omnium, se quidlibet potius & prius admissuros quam Papismum; Reginam posse ferri Papismi fautricem & fotricem, at Papistarum actricem & auctricem debere aut eijci, aut in ordinem cogi. Ex querelis nata sunt arma. Huc affluit, quasi ad sentinam, quicquid erat sordium Caluinianarum in Scotia (erat autem plurimum) vt defendentium nobilitatem & Caluinum. Iacobus Spurius, author, Dux belli, verum incœpit maiori animo, quam euentu. Nam eodem fere tempore increpuit belli & concepti, & confecti fama. Hęretici quidē se aggregabant Iacobo plures & instructiores. Catholici tamen Deo & Regina nixi, accisis hæreticorum viribus, Spurium compulerunt in latebras, & latebris fœdiorem fugam. Quippe in Scotia cū intelligeret vulpes, nullam sibi latebram fore tam tutam & inclusam, quam hi Dei venatores odore quodam vestigij non persentiscerent, correptauit in Angliam, seque abdidit in gremium Reginæ Elizabethæ. Has Angliæ tenebras Spurius non patitur sibi fluere sine fructu, artificio enim suo & precibus quorundam Anglorum, animum Reginæ Scotiæ facilem, flexibilemque ad omnem mititatis speciem expugnat, atq; reditum exorat ad patriam, ad honorem, ad gratiam. Verum cum probe sciret, Dauide Italo viuo, nunquam se domi inuenturum aut locum mendacio, aut insidijs velum, in id operam dat sedulo, vt iste suorum consiliorum obex summus & solus prius moueatur, quam ipse Scotiam vestigio insistat. Datum ergo per literas hoc negotiū paucis suæ sordis hominibus, præscripta ratio, prælata spes fortunæ, si serio agant: agunt serio, siquidem Regem inducunt eo, vt quæ ante Spurius seuerat suspicionum semina, illa iam ille credat esse vera, à Dauide scilicet se contemni, lectum genialem violari, dissipari remsolij, nobilitatem neglectim haberi, denique vnum omnia & posse, & facere tanta superbia, vt quam sit illud priuatim Regi minutum ad vilitatem animi, tam regno esset publicè fœdum ad infamiam. Rex pro impetu illo, quo adolescentes feruent, vindicandæ infamiæ, cum his proditoribus coit societatem interimendi Dauidis. Huius facinoris, vix est, vt statuam maiorem ne fraudem in consilio, an audaciam in facto, an barbariem in modo, an contemptionem Reginæ in tempore. Est enim in palatio regiolocus, angustè inclusus, sed vt sepositus à turbis, percommodus mensæ. Regina cum vellet se subducere turbis pompæ, & obtutibus reliqui populi, qui frequens sæpe in mensam irruperat, secedebat in has angustias, paucos-

que adhibebat vel mensæ socios, vel sermonis testes. Asciti plerumque Dauid & Comitis Argatheliæ vxor, participes, ille secretæ cogitationis, hæc honestæ voluptatis. Nocte, quæ Dauidis fuit vltima soli illi duo cum Regina cœnabant. Dauid, vel quod inaudierat susurrum, vel quod diuinarat. Reginæ narrat de insidijs, & inhorrescens narrat, quasi pugionibus iam in suo pulmone hærentibus. Regina iubet bono esse animo, non aliquid periculi esse ab insidijs, quæ foris tenduntur: nec quẽquam esse tam proiecta audacia qui illum recessum violet. Insidiæ eo minus timentur, quo certius sibi persuadet Regina, Regem maritum esse ab illa labe integrum. Nam aditus in illum recessum fuit ex Regis solum cubiculo, quod infra Reginam erat, locus sane commodus ad insidias. Ex cubiculo Regis, scalæ erant vt angustijs & tenebris impeditę, sic sinu & anfractu incisæ. In supremo gradu ostium erat, ad Reginæ cubiculum, ad cellam, ad omnia adyta, peruium soli Regi. Rex qua opportunitate vti debuit ad honorem, ea abutitur ad fraudem, Reginæque extremam pœne miseram. Ex hoc ostio tecte se insinuat in locum cœnę Patricius Ruuenus, fax & fex sicariorum, aperiente & præeunte Rege. Ruuenum putas, quis homo? tectissimus ad fraudem, promptissimus ad scelus, tam cuique inimicus, quam quisque virtuti amicus. Oderat Reginam, vt Catholicam, sed nullo alio infestius nomine oderat, quam vt Reginam, vir contemptor & violator omnis authoritatis, humanæ, diuinæ: *Hæc illustris est nota serio caluinizantis, nam odisse omnes bonos, maximè Principes & Reges, istud est caluinizare perfectè, & ad normam.* Irruptio ipsa per se etsi satis fuerat terrere hominem omni parte infractum, tamen illa animi vis fuit Reginæ iniecta è cœlo, vt moueretur specie non tam irruptionis quam huius hominis, armati, globo sicariorum stipati & macie cutisque squallore, quem inualetudo longa induxerat, monstrosè fœdi. Regina, qua est magnitudine animi, hominem inspicit & despicit molientem res nouas, in loci illius recessu, qui nequissimis quibusq; hactenus solebat esse inlibatus & sacro-Sanctus. Ruuenus tamen Reginæ nec veritus vocem, nec reueritus maiestatem, maiori cõcepto spiritu, Dauidem adit, iubetque cedere locum in quo sedebat, summum scilicet summis viris. Illum vero terræ filium, & ex hara domestica non ita pridem extractum stultæ fœminę gratia, nec posse, nec debere sustinere hunc loci splendorem. Noctuam illum esse, & stulte noctuam, quæ se putat aquilam, quod maiestatem Principis, tanquam solis lucem summissionis quadam & suauitatis nube tectam intueatur fictis potius quã fixis oculis. Hanc stultitiam non esse ferendam illis, qui recta tuentur.

facileque fecerunt & noctuam ab aquila, & solem à nube. Quare prodeat in malam rem, seque dedat ijs, qui hanc siue superbiam, siue stultitiam possunt, solent, debent perdere. Regina, contẽpto hoc monstro, dum conatur oppositu corporis Dauidem vindicare à nece, audit, sentit quæ in nulla barbarie aut à viro grauida, aut à subdito Regina. Quis credet? Sicarius alter, Andreas Carrius ira odioque inflãmatus, Reginę iam proximæ partui obijcit sclopum, cum minis, nisi se teneat, sinatque Dauidem, feriendum hunc etiam per corpus eius. Per corpus? bellua vbi mititas? per corpus Reginæ? furcifer, vbi reuerentia? per corpus Reginæ grauidæ? monstrum vbi pietas? Quam prope aberant Sicarij à sua mente? Tua hic Deus, gratia, non humanæ prudentiæ vis valuit. Nam maritus nisi manu mouisset sclopum, corporisque obiectu cauisset Reginæ, fuisset certe, vt vno ictu caderent omnes, filius, pater, mater, spes solę regni, religionis Dei apud nos. Satis mali fuit regno, perijsse Dauidem, prudentem sane hominem, mirumque artificem hæreticæ fraudis, elidendæ, si pugnaret, eludendæ si obstaret. Malum fuit Dauidi huic, esse bonum. sed malum apud malos. In bonorum animis hęrebit semper boni viri & in rempub. consulentis gratissima memoria. Ad filum. Post necem Dauidis Regina frustra clamans & fremens se indignius haberi, quam pro dignitate, conditur sola in cubiculi interiorem recessum. In lachrimis, in precibus, in dolore defixa dum se, suumque partum commendat Deo, sentit è cœlo opem, operã optatam potius quã speratam. Id ponderis erat in sanctis eius lachrymis & precibus, vt marito Deus bonam mentem instillaret, suasque cogitationes segregaret à communione eorum, qui pessimas mentes optimorum verborum tegumentis inuoluebant. Nam maritus quas manus attulerat ad facinus indignum tanta persona, eas recenti sanguine calentes tendit iam supplices ad Reginam de venia, peccasse se quidem, sed errore, non odio, non mente mala, sed alienæ fraudis instinctione. Quam ingrati animi notã conceperat, eam se parendo, benefaciendo abstersurum, si locum inuenerit gratiæ & veniæ. Regina his auditis non tam mœrebat de malo facto, quam de bona iam mente mariti gaudęt, maximè quod videtur concepta, vt punctulo, sic è cœlo. Quare iubet eum sperare, contra quã meritus est, optima ab vxore, maxima à Regina: si hanc viam, quam vestigio pressit, constanter insistat. Amor est vtrinque lachrymis sancitus, eo firmius, quo viderant iam clarius, Regina maritum fuisse callidè circumuentum, Rex vxorem inique violatam. Postridie cædis Dauidicæ, in Angliam qui fugerant coniurati, & in his Princeps Iacobus Spu-

rius redeunt auxilio & consilio sicarijs, tanta reliqui negotij nectendi oportunitate, quantam è cœlo sanctissimus quisque vix speraret: vt videas istis perduellibus occasiones quæsitas, non obiectas. Res in Anglia hoc ordine est nexa, vt prius Dauid extinguatur, quam Spurius redeat, redeat tamen Spurius ipso articulo, qui cędem excipit, oportunè sicarijs ne hi scilicet prius sceleris luant pœnas capite, quam Spurius pręsto possit esse consilio. Res vt nexa, sic confecta, tam infœliciter bonis, quam malis commodè. Nam proximo post cædem die (vt dixi) Spurius cum suis ex Anglia in aulam affert fictam mentem Regibus, certam pestem regno. Sicarij quia sciebant aulam plenam tumultu, nec in tanto tumultu posse exerceri iudicium, eunt prius ad Prætorium, quam diuersorium. Cum non esset, qui ad tribunal sederet, partim causati diem hanc dictam, qua vadarentur, partim questi tribunal vacuum Iudice ad statam diem, pœnam deprecantur à se, ac culpam totam deriuant tectè in Dauidem, aliosque reginæ amicos, quasi quorum maleficio excitæ turbæ, deserta fora, Iustitia negata, Respub. seditionibus & turbis permista. Malitiosè siue diem adferant, siue causam. Nam nec dies vlla vadimonio dicta, nec causa fori deserti ex iudicum ignauia, sed ex reorum malitia. Id enim egerunt omni dimicatione per suos, ne in tumultu & pauore omnium possit esse forum, ne dum lex fori. Eodem die, quo hic fucus erat foro publice factus, spurius adit Reginam, salutat, offert operam, pręfert fidem, & stata fronte, quasi à recentis cędis conscientia integellus, petit veniam sceleribus præteritis, & futuris honoribus spem. Regina fœmina profecto naturæ supra fœminas beneficæ, omnia facit, quibus suadeat & persuadeat in suo iam animo de fratris (fratris nomine Spurium ornabat) aut malo facto, aut mala mente, ne tenuissimam quidem suspicionem residere. Tumultuatur interea aula, & partim suspicionibus, partim rumoribus plena amat. odit, desperat, sperat, quærit quod non inuenit, inuenit quod non quærit, timet, insidiatur, cogitat asyla, quidlibet agit, nec quicquam agit: vt qui Cæsares legerit interemptos, Brutos aliquos timeat in aula, verbo dulci mentem perfidam velantes. Regina (qua est acie & intelligétia rerum) ex apertis indicijs odorata occultas insidias, illasque illa nocte exituras in neruum: confert caput cum marito de modo præsentis periculi declinandi. In mansione inquit, esse mortem: in fuga aperta, apertum discrimen. Maritus videns & tangens non id agi, vt, extincto Dauide, ipse solus regnaret (id enim obtendebatur) sed vt Regina nudata consilio magni oculatique viri, via fiat alijs cædibus: sibi timens & vxori, consentit in

fugam. Aggrediuntur ad rem, quam possunt tectissime. Quare mentici alienas personas, Rex & Regina, nocte elapsi per posticum, occultè primum cum nobili vno in Setonias ædes, aperte post regio comitatu in Dunbarrum Castrum concedunt. Reipublicæ seditionibus permistæ, neruos nihil est, quod facilius incidat, quam impunitas scelerum. Regina ergo vt viam obstruat sceleribus & cædibus quæ ad communem perniciem videbantur paulo post eruptura, in hoc recessu, collectis animis & viribus, nihil habet prius aut antiquius, quam vt authores Dauidicæ cædis laqueo legum irretitos vindicet. Conquisiti fontes, mulctati, vnus laqueo, pecunia alter, exilio hic, ille agro, alia pœna alius, maxima aut minima, prout quemque maxima aut minima sceleris contagio infecit. Spurius his visis timet, ne Rex aperiret Reginæ, quis Basiliscus vel illa oua posuerat, vel pullos illos excluserat ad necem Dauidis, infamiam Reginæ, periculum reipublicæ, hactenus se suspectum, iam Reginæ notum fore authorem istarum turbarum, facileque exclusum iri loco graduque, vt apertæ perduellionis reum. Regi enim, alijsque, qui à Rege erant, faces præferebat ipse ad ista, quæ erant, ad illa, quæ timebantur fore, si malis consilijs, hac conciliatæ amicitię luce, locus non fuisset obstructus. Nunquam sane Spurius sperabat fore Regi à tanta petulantia reditionem in gratiam. Contra Rex ægre ferre, honorem illum habitum Spurio, hac rep. hac gratia, hac luce honoris, in qua versabatur hostis omnium bonorum certissimus, se diu non posse stare, aut certe difficulter posse: periculo & difficultati ponendum esse obicem, ipso vestigio, nisi velit aut certo mori, aut perpetuo viuere in cura. Ad curam timoremque augendum illud pondus erat, quod Rex cognouerat ingenium Spurij inquietum, insidiosum, versatile. Hæ curæ vtrumque ita coquebant, vt nihil propius esset in dies, cum vtrique ab vtroq; certa nex. Rex, prope est vt moriatur præ timore, cura, ira. Adit ergo Reginã, narrat periculum, quod sibi, illi, solio, patriæ, impẽdet ab isto perduelle, nisi auferatur. Non credendũ fronti, antea fallaci, non menti antea insidiosæ: non linguæ antea mendaci, non sanguini antea proditori. Si putet fortasse, fratrem, Spurium timeat labem hominum insidiantium bene natę soboli, vt pote cum cuius honore illorum dedecus comparatum sordescit magis. Se nosse illius ingenium, præ timore, præ odio, præ ambitione non prius velle, non prius posse quiescere quam diadema Reginæ capiti detractum sibi imposuerit. Deinde hunc speciatim Spurium, quãtum libarit generosi ex patre Rege, tantum hausisse insidiosi & ficti ex matre saga, totam vitam dedita pessimis artibus. Cauendum, ni

nendum, ni auferatur; auferendum, ni caueatur. Se statuisse eius mortem; per vitam suam, per maiestatem regni, per religionis sanctitatem, per omnia bona, quæ sunt, eruntque Reginæ, rogare, ne quid dicat, pugnet contra. Regina ægre ferre hanc mariti mentem, eumque acrius castigare vt sicarium, qui necem Dauidis nece fratris, quasi scelus scelere, conatur cumulare. Si quid litis, lege, non insidijs, dirimendum: si quid suspicionis, humanitate, non sica euellendum. Addere tandem minas, si pergat, sperabat enim optimæ mentis Regina, se negotium prius composituram, quam erruperit ad apertam vim. Rex ira, metu iuuentute præferuidus, modo calere, modo fluere frigidiusculo sudore, semper calumniari insidias, fraudem, malitiam Spurij. Vt in quemque proxime incidit, ita in eius pectus maxime effundere quicquid odium, ira, timor, dictarunt contra Spurium: minari mortem, moliri mortem, adprecari sibi adiutores quoslibet: omnia promiscuè vt inconsideratus: impotenter, vt iratus: imprudenter, vt iuuenis. Illi, qui promiserant manū & operam, ex fide prodita aucupantes bonam Spurij gratiam, aperiunt Spurio, quid Rex aut minatur, aut molitur: timet Spurius, sed tacet. Spurius ergo agere, quasi nihil vellet agere, fronte & vultu sustinere simulationem amicitiæ aduersus Regem magnæ. Quo tectius, eo securius. Verum ipse cum plus adferret mentis ad consilium, quam animi ad factum, neque crederet nisi corculis suis, quos habebat malarum artium auctores: arte astuque vicit à Regina, vt Mortonio, alijsque (qui conscij necis Dauidicę & pœnæ, si mansissent, præscij condiderant se in latebras) pateret reditio non solum in aulam, sed etiam in gratiam. Nouerat Spurius, quanti referret, in cædibus habere Mortonios pręsentes. Erat Mortonius iste (vt vno verbo complicem vniuersam notionem) audacissimorum insidiosissimus, insidiosissimorum superbissimus, superbissimorum auarissimus, auarissimorum libidinosissimus, quale mōstrum? ex quibus vitijs, & inter se quam diuersis conflatum? ferunt isti duo sibi mutuas operas, cerebri, Spurius Mortonio, lacerti, Mortonius Spurio. Nam quam Spurius in inueniendo fœlix, tam in aggrediendo scelere audax Mortonius. Mortonij ergo vicariam operam supponit Spurius, vt in nece Dauidis antea, sic hoc tempore in Regis insidijs securus ille animi, & meditans potius quam moliens Regi suo mortem. Comes Mortonius toto animo & cogitatione intentissima defixus in Regis necem, alios vocat in societatem sceleris, magnos illos, qui audeant subire: multos qui possint concoquere inuidiam sceleris. In his Princeps Bothuellius. Cum hoc agunt, vt solus agat omnia. Præmium

necis regiæ promittunt, Reginam ipsam. De vxore, quam habuit Bothuellus, facile extortum iri libellum repudij, Reginam nihil moretur. Si resistat, cogendam huc minis: si annuat, colendam omni officio, vt pulcherrimam orbis. Bothuellus nihil habet prius quam vt prædam hanc, opimam, optimam regni consequatur. Etiam omnia quasi in eius fœlicitatem conspirarent, fluunt ad voluntatem, locus, tempus, opportunitas, ministri sceleris. Illud enim tempus dictum erat conuentui Edimburgi habendo. Huc confluxerat multa nobilitas, vt in multitudine qua amantium, qua odientium, putaretur cædis suspicio posse facile deriuari aliò. Deinde Rex extra vrbis mœnia, morbidus scilicet ad salubrioris aeris commodam placidamque captationem, hæsit. Bothuellus cum percussoribus nocte è castello surreptat ad Regis diuersorium, puluerem tormentarium spargit subtus ædibus regijs, artem certam cōuellendis subruendisque fundamentis. Rumor est, mentem & spem excidisse primum Bothuello, volebat enim vi pulueris subrutis ædibus obterere Regem, sed Regem animaduersis insidijs, cum puero correptasse in locum subterraneum. Bothuellum autem canis & vestigij indicio inuentos & erutos strangulasse. Certior fama, irruisse prius sicarios in cubiculum regium, occupatumque & interpressis faucibus extinctū exposuisse cum puero in citimum agrum, quasi vi pulueris iactum in aera. Quicquid est de modo, ædes subrutæ, Rex interemptus, turbatum in aula. Varius sermo, horum illum, illorum hunc suspicantium authorem sceleris. Spurius sibi cauit à sceleris, si non suspicione, certe flamma. Nam simulato vxoris graui morbo, diem ante cesserat aula, quam Rex senserat vim. Hæc Spurij ereptatio, obtēta velo vxorij morbi, bonis præbuit materiam suspicandi malè de illo. Quo enim magis conabatur pedem exuere laqueo, eo collum induebat magis. Quicquid alij suspicantur & obganniunt, ipse in sinu gaudet, ereptum iam è rebus qui res illi fecit turbidiores: reliqua sperabat fore proniora. Si quidem Reginam, vt fœminam, vt meticulosam, & impotem consilij in tantis turbis facile posse induci in laqueū, huc enim intenta acies, vt Regina sublata, aut in ordinem redacta Spurius solium ascendat, & diadema hæredi intercipiat. Obex illi à Regina viua, & solus obex, vel remouēdus arte, vel discindendus vi, arte incœpit, vi finijt. Erat Bothuellus, vir maximorum spirituum, quos ambitionis flamma perpetim alebat. Huic flammæ subijciebat Spurius materiem bene magnam ex spe potiundæ Reginæ. Persuadet nihil impedimenti in vxore esse, facile diuortium impetrari, Reginam coactam iri, si repugnet, irretitum iri, si pro-

pendeat se suosque omnes adfore manu, consilio, virtute, & ad rem sanctius confirmandam, fidem quemque suam testari & obstringere iuramento, syngrapha, sigillo. Bothuellus gratulatus è cœlo obiectam sibi prædam opimam, optimam orbis, & reputans secum potius quid vani decoris, quam quid veri dedecoris, sudat, alget, vt in amore Reginæ, vt de re regni: Nec prius posuit modum furori & flagitio, quam se & Reginam suspicionum & legum pedicis implicitos penitus perdiderat. Prensat per se, per suos: sed per suos obtinet non per se. Spurius enim mentem Reginæ pertentat omni arte quoad expugnarat. Esse turbas, solam non posse compescere: esse insidias, fœminâ non posse excludere, esse molem regni, iuuenculam non posse sustinere; deinde res turbatas, sine Atlantis alicuius humeris fore perditas. Quare nisi velit pati extrema omnia, in societatem lecti, periculi, consilij esse asciscendum, qui possit, qui velit, qui audeat opponere frontem. Huius notæ esse Bothuellum, tam heroem virtute, quam specie hominem. huius virtuti nihil inuium, huius viribus nihil obuium; si pergat esse strepera, nec sanis consilijs acquiescat, solam fore, & plane perituram, quia solam, quanquam perituram non solam, sed cum repub. miserrimè. Regina mouetur facile reipublicæ nomine, & mouetur in Bothuelli nuptias. Verum cum fuerit ille ambustus flamma suspicionis de Regis nece, prius se cohibituram assensum, quam tribunal, pro more gentis veteri, eum declarat purum illius sceleris. Spurius vrget rem, in qua momentum suæ spei. Dicta dies iudicio. Obit vadimonium Bothuellus. Mortoni' comes, cerebrum manusque Spurij, alijque huius sordis clientes agunt causam Bothuelli, quasi suam: imo maiori contentione, quam suam. Nam quod ipsi suo nomine vix ausi fuerāt tentare, vt publica opinione damnatus publice pro foro absoluatur, & à Regis cæde integer declaretur, id Bothuelli causa, perstant, & præstant. Regina credens iudicium esse sincerum, nulloque fraudis tegumento implicitum: quas nuptias cum Bothuello pacisci cogebatur, eas vt publice salutares, (hanc ei mētem impressit Spurius) potius quam sibi gratas maxima regiaque pompa celebrauit. Hic habet, cur serio triumphet Spurius. Laqueum enim quem multos annos nectebat Reginæ perdendæ, eius iam pedi & pœnè collo induxit. Si quidem has, quæ pactæ, factæ erant, nuptias, spargit non esse veras nuptias, sed feralem nuptiarum pollutionem, totique regno fatalem futuram, nisi vindicetur. Reginam calumniatur tetendisse machinationem capiti Regis, claro indicio, quod Bothuello strauerit lectum, non solum percussori mariti, sed marito etiam alterius

misericordia. Nam expectatur inde è Gallia Spurius, facti, infecti iudex. Multa certe in hoc genere indignissima; nihil indignius, quam Spurium fore iudicem, accusatorem, custodem. Spurium legitimæ iudicem; non fert æquitas. Subditum dominę accusatorem; non sinit lex. Hostem Reginæ custodem? non patitur ratio. Etsi illi harum fraudum in Scotia architecti omni dimicatione apud Spurium laborarint, vt redeat, nec pulchras oportunitates absentia aut mora sua corrumpat: is tamen timens capiti suo, à quo omnia illa in Reginam mala deriuatà sunt, significauit aperte, nisi Regina extincta, se Scotiam vestigio non impressurum. Iterum atque iterum vrgetur tempore, occasione, reginæ custodia, potentia amicorum, hostium infirmitate. Acres hinc viro bono stimuli; acriores inde quod signis non obscuris ostenditur, hæc omnia peritura punctulo, nisi redeat: & qui potest stare solus, casurum cum multis. Post hunc nuntium, res illæ omnes promptæ expediteque ad iter. In ipso procinctu, Gallo regi sancte promittit omnia, Reginæ causa. Primum, se nihil omissurum, quod ad reginæ honorem spectat, Deinde perduelles quicquid contra Principem, patriam, leges peccarint, se vindicaturum, principis authoritate, patriæ voce, legis vi: pulchre dictum. Credo, quia ad fraudem. Indicium fraudis, quod omnia facit contraria, sed eo obtentu iustitiæ, vt putes hunc Catilinam esse Solonem. Quare vt colligat apud populum iustitiæ bonæque mentis rumusculum, omnes primum, quos afflarat suspicionis mala aura de regis morte, citat, capit, condemnat, vindicat laqueo. Scilicet interest reipub. vt hic tyrannus censeatur iustus, & cædis regiæ suspicio, quæ in nomine Spurij alte insederat, paucorum minutorum hominum sanguine eluatur. Post paululum ponit vestigium in scelere, quod summum cogitarat. Nam reginam quasi ream cædis, partim illicit arte, partim cogit vi, vt regnum, omneque ius summum cedat filio, infanti. Mater exuta, infans in cunis, vterque sub carnifice, aditum faciunt Spurio ad regnum, quod spe iamdiu & animo deuorauerat. Inscendit ergo hic Spurius solium altissimæ suæ, omniaque permiscet odijs, litibus, furore, bello, hæresi, permiscet, & prostrat. Istud iste secutus est, & consecutus scelere, quod supra inumbraui, non pinxi. Sed satis ad historiam, siue inumbrarim, siue pinxerim.

Regina Principum Catholicorum auxilio ex lacu Leuino euadit, & V. Non. Maij Hamiltonium venit. Qui Reginæ partibus studebant, collecto exercitu, decimo tertio die Maij, vndecimo quam è custodia Regina erat elapsa, cum rebellibus Hæreticis pugnarunt. Sed Regina

inferior & victa, à Gallo in Galliam elicitur. Verum illa Angliam versus, blandis litteris & promissionibus cognatæ Reginæ Elizabethæ inuitata iter intendit. Sed non multo post missa in carcerem nouemdecim annos pertulit tot insidias, tot iniurias, tot perfidias, tot sententias, quot certe posteritas vix credat aut fœminæ à fœmina, aut Reginæ illatas à Regina. Hic tamen non possum me tenere quominus exclamem, ὢ παράδοξον. Nam ipse carcer est illi theatrum virtutis. Anglos enim alios illectat, alios conuertit, alios confirmat ad fidem Catholicam. Audiui à quodam, qui à Regina hac Romanæ Ecclesiæ primum lac insuxerat, eam quoties ageret rem Ecclesiæ, locutam quodam quasi ore Dei, atque orationem ita vestijsse, non flore, sed spiritu, vt Deum quoties diret, toties auditori imprimeret. Rectè ergo carcerem istum dixi theatrum illi virtutis.

Quarto tandem Decembris 1586. in arce Richemontana sententiã capitis in Serenissimam Mariam latam publico edicto approbat Elizabetha, eamque quamuis cognatam suam nec vllo modo subditam, eoquod catholica esset, securi feriri mandat. Decimo vero octauo Februarij, anni sequentis, nempe 1587. Sanctissima Regina pro Dei fideique Catholicæ gloria, cum inuicta animi constantia caput trunco imposuit, & carnifici resecandum collum, sine vlla mentis perturbatione, colorisue mutatione præbuit. Ipsius sanctissimum Martyrium & mortem ex ipsis hæreticis apponam vt constet etiam apud ipsos aduersarios quanta fuerit Sanctissimæ huius Reginæ opinio. Mors ergo ipsius Reginæ in Anglia Londini eodem anno quo ipsa martyrio affecta est Anglicè ab ipsis hæreticis impressa, hæc habet. *Iussi sunt Comites de Schrasburij, & de Kendt tanquam tunc temporis viciniores Castello Fodringhayæ & alij Domini, Equites, Nobiles, & Satrapæ Prouinciæ ibi præsentes apud dominum Amiam Paulet: & Drue Druyrij, quibus custodia arcis commissa erat, sententiam exequi, qui pridie voluntatem suæ maiestatis Reginæ captæ denuntiarunt: quæ respondit, paratam se esse, idque diu expectasse: quærens quando statuissent exequi? Qui se id in eius arbitrio relinquere responderunt, modo commissioni ipsis datæ satisfiat: & melius fore si postridie fieret, die scilicet mercurij decimo octauo Februarij stylo nouo. Postera itaque die quæ 18 Februarij fuit, mane hora septima, conuenere ad dictum Castellum, prædicti Domini, Comites, Equites, Nobiles: ex Equitibus singulis concessum fuit, vt duos alios secum introducerent, reliquis vnum tantum: vt circiter 80. vel 100. homines, exceptis qui erant è familia & custodia arcis, præsentes isticessent. In maiori aula extructum erat theatrum latum pedes duodecim, altum duos, cinctum sæpimento altitudinis pedum duorum, omnia tecta*

panno nigro, in medio sedes vna & puluinaria. His ita præparatis congregati sunt Domini intra octauam horam & nonam, miseruntque ad Reginam qui indicaret se conuenisse, vt præcedenti die post meridiem ei denuntiatum fuit, cupereque scire, quando parata foret: Is nuntius cubiculum eius omni familia inclusa obseratum inuenit. Quod vt domini intellexerunt, paulo post secundo miserunt cum mandato, si nondum ostium pateret, pulsandi, & quod iussus erat indicandi, sed is ianuam apertam inueniens, per quendam ex eius famulis, quod in mandatis habebat, aperuit, vt Domini eius voluntatem cognoscerent; Qui responsum retulit, nondum esse paratam. Post mediam horam miserunt tertio, qui eam post mediam horam fore paratam nuntiauit. Paulo post quidam ex Satrapis ascendit ad Reginam, quam cum suis pedissequis & famulis genibus flexis orantem inuenit, dicens, tempus appropinquare, quo audito surrexit, & respondit se paratam esse. Hic ducta à duobus viris familiæ arcis è cubiculo ad anteriorem cameram, quam vocant præsentiæ, inuenit ibidem domesticos omnes stantes & flentes, quos omnes vt Deum timerent, suis superioribus obedirent & similibus hortata est, inde singulis valedixit, fœminas osculande, manum exosculandam viris præbendo, orans vniuersos ne contristarentur, sed gauderent potius, & pro se orarent. Hinc ad gradus deducta, Dominos istic ex aula venientes obuios habuit. Comes Schrosburij accedentem sic alloquebatur, Adsumus Domina, vt exhibeamus Regiæ Maiestatis commissionem & mandatum, vt expediatur, quod tibi denuntiauimus. (quam commissionem, mandatum seu sententiam Comes à Kendt in manu habebat maiori Angliæ sigillo munitam) Cui id responsi dedit, malle se mori quam viuere. Conuertens autem se, suum primarium ministrum Meluin vidit, cui ait, fidelis serue Meluin, licet te esse putem de protestantibus vnum, ego vero Catholica sim, vnusque tamen tantum Christus sit, & ego Regina nata, & Regina tua vncta, ex Regis Henrici VII. sanguine, mando tibi vt quemadmodum coram Deo rationem reddere voles, verè meo filio dilectissimo nunties quæ tibi dicam, videlicet me eum orare vt Deo seruiat, Catholicam Ecclesiam manu teneat, suum in pace regnum gubernet, nec se cuiuis alteri, (quod & ego semper feci) subijciat, licet cum hac insula ipsius viri regnum desiderarim, sed nunc id ei liberum relinquo, vt & ipse sic seruet, nec prudentiæ mundanæ nimium confidat: neque enim id semper commodum erit, verum in Deo spem suam ponat, diligenterque aduertat, ne male suspicandi occasionem Reginæ Angliæ præbeat, tunc Deus benedicet illi. Et tu Meluin mihi testis esto, me mori fidelem Scotam, fidelem Francam, fidelem Catholicam, vti semper professa sum: Et eiusmodi plura. Ad quæ Meluin: Veneranda ac suprema Princeps mea, sicut me fidelem tuæ Maiestatis hactenus semper seruum præbui, sic etiam nunc per Dei gratiam, hæc tuæ maiestatis verba, & mandata, verè ac fideliter Regi filio tuo perferam. Conuersa inde ad Domi-

rogabat, vt liceret sacerdoti suo, sibi in theatro adesse, quod ei Domini negarunt. Deinde vt & suos domesticos omnes præsentes habere posset, quo Regi Franciæ & alijs testari possent, se Catholicè defunctam esse: aliter consultum esse responderunt Domini, ne illi sua impatientia & lamentationibus animum eius inquietarent aut turbarent, illis adhibitis superstitionibus. Postremo è famulis quinque cum duabus pedissequis ei concessæ sunt: quandoquidem querebatur alias malè sibi seruiri, & maiorem comitatum pedissequarum suæ dignitatis respectu petebat, spondens futurum, vt nec earum lachrimis, nec clamoribus impediretur: orabat ad hæc, omnibus ministris & domesticis suis vtriusque sexus ad suos in patriam liberè redeundi, vt potestas fieret, comitatu, qui securos deduceret, addito, &c. Vt singuli absque vllo impedimento vel arresto seruare possint, quæ ipsis donasset: Secundo dicens hæc verba, Domini mei: Per Deum adiuro vos, vt ita fiat. Post hæc deducta est ad theatrum à duobus ministris gubernatoris arcis, in quo quia consistere commodè non poterat, in sede resedit, Comite vtroque etiam in theatro considente. Vbi tum Secretarius Beale, literas mandatæ executionis clara voce legit. Reginæ vestitus idem erat, in quo etiam ante comparuerat coram Dominis & officialibus regni, ex nigro nimirum & pretioso holoserico, vna manu ferebat crucem ligneam vel osseam, cum effigie Christi ex ea dependentis, altera librum: Eiusdem è collo aurea crux pendebat, de cingulo vero rosarium. Proximus ei quidam Doctor astabat Decanus Petrus Borungus, qui eam de Dominorum mandato hortaretur, vt Christo fideret, & Christianè moreretur, quem exhortari incipientem ipsa impediuit, clara voce petens & mandans, vt taceret, ad mortem se satis paratam asserens: Eo vero respondente se aliud nil dicturum, quam quod sibi mandatum esset, & veritati conforme. Plura in hanc sententiam dum proferret, iterum ipsa exclamauit, sile magister Decane, nolo te audire, nihil mihi tecum negotij est, turbas me: Illam itaque ne perturbaret, indictum ei silentium est. Porro Comes à Kendt dixit, vicem tuam Domina doleo, eo etiam nomine, quod inania hæc & superstitiosa in manibus tuis videam: cui respondit, crucifixi Christi effigiem vt præ oculis haberet decere se: quo illius recordaretur: subiecit ille, oportere eam Christum in corde ferre, addens (ipsa licet recusante audire) se pro ea oraturum (etiamsi ab altissimo oblatam gratiam nolit recipere) vt Dominus ipsi peccata condonet, eamque in regnum recipiat. Ad quæ illa, ora tu, & ego quoque orabo. Decanus vero prædictus flexis ad gradus genibus, clara & intelligibili voce efficacem orationem, actui conuenientem recitabat, orans tam pro eius maiestate sua suprema Domina, quam pro Regni prosperitate, eandem populo & spectatoribus simul cum ipso orantibus, quod ipsi dum facerent, Regina clariori voce propriam suam orationem latinam pronuntiabat, prædictam crucifixi Christi imaginem manibus tenens. Finita prece carnifex flexis genibus veniam ab ipsa

petijt, quam

petijt, quam ipsa libenter, & illi, & omnibus qui hactenus eius sanguinem sitijssent, sincerè concessit, sicut à Domino sibi condonari peccata cuperet, deinde ardentem & affectibus plenam precationem flexis genibus recitauit, Deum pro remissione omnium peccatorum suorum in genere rogans, dicens sperare se per Christi mortem, eiusque effusum sanguinem, consecuturam salutem æternam, seque prostratam pedibus eius, quem illa crucifixi imago repræsentabat, sponte lubentique animo suum quoque sanguinem profundere. Orabat preterea pro fœlici statu Reginæ Angliæ, optans ei, vt multo tempore benè & pacificè regnum suum gubernaret, Deoque fideliter seruiret: pro totius etiam insulæ prosperitate, & afflictissimâ Christi Ecclesiâ rogans. Pro filio deinde suo Rege orans instam & pacificam sui regni administrationem, in vero Dei cultu, & conuersionem ad Catholicam Romanam Ecclesiam precabatur. Postremo sanctorum omnium eo die pro se intercessionem petebat, exoptans, vt Deus per suam immensam misericordiam dignaretur auertere flagella sua ab infœlici hac insula, peccatorum sibi omnium remissionem concederet, animamque corpore solutam per angelicas manus in cœlum reciperet. Quibus peractis ab oratione surgens, ad excipiendam mortem se præparare cœpit, depositis ornamentis, & tunicam exuens, adiuuantibus eam duabus pedissequis suis: Cum vero vterque Lictor quoque iuuare vellet, dixit se hactenus non consueuisse coram tanta multitudine spoliare se vestibus, neque talium nobilium opera in eo vti: Demisit autem exteriorem vestem ad medium vsque, interioris tunicæ pars superior sic excisa erat profundè circa collum, vt vndique illud nudum exhiberet, in dorso vero ligula consuta multum in omnibus istis absoluendis festinans, Pedissequis osculum prabens valedixit, quarum altera magna voce lachrimante, sile ait, noli plorare, nonne ego pro vobis spopondi vos nullum clamorem edituras? quin estote hilares, eisque manu benedicens, mandauit illis è theatro vt discederent: sic vero iam præparata, conuersa ad ministros, qui in vicino loco flexis erant genibus, signo crucis manu formato, eis benedixit, iubens eosdem testes esse, quod catholicè moreretur, rogans vt pro se orarent, & subitò in genua procidit, magno & intrepido animo, absque omni coloris mutatione, nullo mortis timoris signo edito. Altera deinde eius pedissequa accedens, linteo ipsius oculos velauit, sicque flexis genibus clara voce orabat Psalmum lxx. In te Domine speraui non confundar in æternum, in iustitia tua libera me, &c. *quo finito constanter corpus inclinans, collum trunco imposuit, clamans magna voce*: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. *Altero autem Lictorum manus eius inferne detinente, alter vtraque manu securi eam bis feriendo, caput præcidit, sic vitam cum morte commutauit.* Hęc ad verbum (vt dixi) ex ipsius Reginæ morte ab hæreticis Lōdini in Angliâ vernaculâ linguâ impressa ex quibus Sanctissimæ Reginæ in fide Catholicâ constantia apparet.

O

Ex his omnibus facile constat huic Reginę Sanctissimę à natiuitate suâ, vsque in diem gloriosi Martyrij sui, non defuisse hæreticorum persecutiones. Plura qui cupit hac de re adeat Ioannem Leslęum Episcopum Rossensem Catholicum, qui Reginæ diu à confessionibus & secretis fuit, & Georgium Buchananum Caluinistam impijssimum & mendacissimum, qui quamuis impudentissima mendacia de Reginâ hac Sanctissimâ confinxerit, non potuit tamen (veritate victus) persecutiones eius non obiter enumerare libro XVII. rerum Scoticarum folio 583.

Extat huius Reginæ cultissimum Epitaphium ab VRBANO VIII. nunc Summo Pontifice, tum septemdecim annorum adolescente, quod hic lectori subijcio.

Te quanquam immeritam ferit ô Regina securis,
Regalique tuum funus honore caret.
Sorte tua gaude, mœrens neque Scotia ploret.
En tibi pompa, tuas quæ decet exequias.
Nam tibi non paries atro velatur amictu;
Sed terras circum nox tenebrosa tegit.
Non tibi contexis lucent funalia lignis;
Sed cœli stellæ, Nænia tristis abest.
Sed canit ad pheretrum superum chorus aliger, & me
Cœlesti incipiens voce, silere iubet.



§. 2us.

DE MINISTRORVM ET PRÆDICANTIVM SCOTORVM MORIBVS VITÆQVE RATIONE.



ERASMVS vir summa apud Nouatores authoritate præditus, qui & res Nouatorum optimè nouerat, & ab eorum doctrinâ non omnino abhorrere visus est, de ipsis ad Vulturium scribens, ita loquitur: *Circumspice populum istum Euangelicum, & obserua num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quam faciunt ij quos detestamini. Profer mihi quem istud Euangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico redddit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores.* Quod si Erasmus ita de Reformatis qui sub initio promulgati noui Euãgelij vixere, loquatur, quando recentes scopę omnium optimè verrere,

& purgare dicuntur, quale ferret testimonium de nostræ Scotię modernis Ministris iam prorsus attritis, si ipsi conscribenda esset epistola. Certe illorum vita dissoluta & impietas tanta est, vt nullâ ratione explicari posse existimem: Ego de tribus tantum ipsorum vitijs, libidine videlicet, auaritiâ, & ignorantiâ, reliquis relictis, obiter hic aliquid dicam.

Et vt ab ipsorum libidine exordiar, continentiæ ex multis millibus vnum deditum non inuenies, nec qui cœlibem & castam vitam degere velit: sponsionem audeo facere cum illis, quod ne vnicum prędicantem, percurrant totum Scotię regnum, edere possint, qui cœlebs vitam clauserit nisi immaturâ morte, in ætatis flore, senectuti præreptus. Imo etiã senes omnino decrepiti & exhausti iuuencas ducunt, & succi plenas, cum quibus ad vltimum vitæ spiritum libidinentur. Alij etiam qui steriles sunt, & naturâ prorsus ad matrimonium inepti, tamen vxoribus duabus, sine coniugali fructu iam pertritis & sepultis, tertiam & quartam, ætate prouectiore cani, & incontinentia debiles superducunt. Noui etiam prædicantes qui quadragesimum ætatis annum in vita cœlibe compleuerant, statum coniugalem falsis sæpe verbis deridentes, quod in eo illis quas deperirent, potiri non possent, & iam imminente quinquagesimo, rapta potius quam ducta vxore, ob contractus celeritatem, prorsus instar vegetorum iuuenum prurire, & lasciuire, præter naturæ, vel ætatis consuetudinem, incipiebant. Alij denique sunt qui nec vxoribus contenti puellas viduasque violant. Mallem equidem in his esse mutus quam de ijs loqui nisi veritas ipsa & odium quo Caluinisticam illorum religionem eorumque vitia prosequor, hæc me dicere cogerent: nec mirum videri debet tales esse in Scotia prædicantes, cum ipsorum religio à Caluino homine pessimæ vitæ & infamia notato, introducta fuerit. Constat enim ex actis iudicialibus Nouioduni, illum conuictum, & per sententiam damnatum, de nefando crimine Sodomitico, & publicè exurendum fuisse, nisi ad preces Episcopi pœna ignis fuisset commutata in supplicium virgarum, & ferri candentis in tergo vstulationem. Videri possunt Hieronymus Bolsecus in vita Caluini cap 5. Iulius Brigerus in eiusdem Caluini vitâ pagina 59. qui hoc idem de ipso testantur.

Auaritia illorum tanta est, vt omnem fidem superet, nam maiores vsurarios in toto Scotiæ regno, illis, non inuenies, quà in re ne longior sim hic tantum apponam aliquid cuius oculatus sum testis. Aberdoniæ (vrbs est hæc in Scotia Episcopatu, Vniuersitate, alijsque de causis celebris) Dauid Ret Collegij regij primarius, anno integro in templo Diuì

Macarij contra vsuram & vsurarios concionatus est, & tamen non tantum in illa ciuitate, sed ne in toto tractu Aberdonensi maior vsurarius inueniebatur.

De ipsorum ignorantia vix attinet dicere, quemadmodum enim alibi ita & in Scotia omnis pœne doctrinæ expertes sunt; nec mirum nã ipsorum doctissimi quique, post Philosophiam suam textualem statim ad prædicandum promouentur, docentque alios (vt recte Hieronymus) ante quam discant. Audiui ego in præfata Aberdoniæ ciuitate in conuentu Ministrorum (exercitium vocant ipsi) quendam ex ipsis Guilielmum Vvallace nomine in concione sua, Illustrissimum Cardinalem Bellarminum refutantem, cum tamen nunquam aliud quam syntaxim didicisset, nec duo verba latina recte proferre posset. Hæc breuiter.



CAPVT TERTIVM.

§. 1us

ANTIQVITAS RELIGIONIS CATHOLICÆ APVD SCOTOS, EORVMQVE IN EADEM CONSTANTIA explicatur.

PRÆCLARVM libellum de Christianæ religionis antiquitate apud Scotos scripsit (supposititio nomine Georgij Tomsonij addito) Iacobus Tyrius nostras, cuius memoriam non Scotia modo, sed Parisij, Roma, Germania, Gallia, Italia, ipsa Societas Iesu assistentem pro Gallia, Germania, &c. cum excederet, pietatis & doctrinę nomine operose coluit, grataque reuerentia æternum prosequetur. Eius libelli maximam partem hic lectori subijciam.

Britannia Insula in Scotiam, & Angliam diuisa est, etsi Scotiæ Regi præter Scotiam Hæbrides Insulæ, numero quadraginta tres, & Orcades numero triginta & vna, sint subiectæ, quarum aliæ triginta, alię viginti quatuor milliaria Italica in longitudine continent. Seuerus autem Imperator, illam Britanniæ partem quæ Romano parebat imperio, vallo, cuius vestigia in hodiernum diem extant, à Scotia distinxit. Postea tamen factum est, vt quod intra vallum Seueri, & Tuedam flunium interiacet, Scoti suo regno adiecerint, vt nunc Tueda flumine ab Anglis diuidantur. Et quamuis Britanni à reliquo orbe sint diuisi, & Scoti in extrema etiam illius parte, sedes suas acceperint, ea tamen erga

illos, diuina extitit prouidentia, vt inter primos fere Europæ populos, Christianam fidem susceperint, ac longissimo etiam tempore ad nostrã vsque ætatem eam diligentissimè conseruarint. Ex Scotorum quippe Annalibus, ac perpetua quadã maiorum traditione constat, sub Victore Pontifice ad annum Christi 203. Donaldum Scotiæ Regem cum vniuerso suo regno, Christiana sacra suscepisse, cuius etiam rei non obscurus testis est Tertullianus qui in libro suo contra Iudæos, *Britannorum* (inquit) *inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita sunt*; Neque enim ignorabat vir in Romanorum historijs versatissimus, quod tum totiorbi notissimum erat, & sub Iulio Cæsare, & sub Claudio Imperatore, alteram Britanniæ partem Romano Imperio subditam fuisse, præsertim cum, vt refert Iosephus de bello Iudaico, libro 2. cap. 16. Romani in Britannia Insula, ne quam populus ille seditionem excitaret, quatuor legiones perpetuò alerent, quo fit, vt apud Tertullianum ea Britanniæ pars intelligi debeat, quæ nunc Scotia dicitur, in quam Romanorum arma nõdum ea ætate penetrarant. Chrysostomus etiam in sermone de Pentecoste, ex illa vulgi opinione, qua Scoti humaniscarnibus vesci putabãtur, *Britanni* (inquit) *qui aliquando humanis vescebantur carnibus, nunc animas suas ieiunijs reficiunt*. Et in homilia, quod Deus sit homo, apud eos fundatas aitesse Ecclesias, & erecta altaria. Eodem spectat, quod refert Hieronymus ad Marcellam, Britannos si in religione processerint, occiduo sole dimissò quærere locum sibi, fama tantum, & scripturarum relatione cognitum. Neque qui in veterum scriptis, vel mediocriter versatus est, ignorare potest, inter eas gentes, quæ tum Christianam religionem profitebantur, Britannos etiam, ac non sine laude numerari: inter Britanniæ vero populos, Scoti antiquissimi, scriptorum opinione censentur, vt inter alios, testis est grauissimus author Petrus Venerabilis lib. 8. Ep. 16. vbi varias Ecclesiarum origines enumerat. Et quanquam in ea Britanniæ parte quæ Romano subdita erat Imperio, variæ in religione mutationes extiterint, in Scotia tamen, vt ex certissimis historiarum monimentis liquet, nulla in hanc vsque ætatem mutatio extitit: sed in ea quam semel acceperunt Scoti fide ac religione constãtissimè permanserunt. Diocletiani quidem temporibus, grauissima in ea parte Britanniæ quæ Romanis parebat persecutio est excitata, in qua & Albanus miles Martyrij palma est coronatus: de quo, Fortunatus de laude virginum.

Egregium Albanum fœcunda Britannia profert.

Ea tamen Scotorum fides non attigit. Ariani postea

eandem Insulæ partem suis hæresibus infecerunt, vt inter alios testis est Beda lib. 1 historiæ cap. 8. sed Scoti ab ea quoque procella, diuino etiã munere sunt seruati. Neque ex vlla constat historia, Arianæ hæreseos contagionem, Scotiam peruasisse. Post Arianos exorti sunt Pelagiani, qui eo magis pertimescendi videbantur, quod Pelagius. illius hæresis primus auctor in eadem Insula natus esset: quem propterea, Augustinus transmarinam pestem nominauit. Et Prosper carmine de ingratis.

—*Colubrum sermone Britannum*.

Sedis tamen Apostolicæ cura & sollicitudine, Scotis prouisum est, ne Pelagiana hæresi inficerentur: Nam vt ex Gallijs Germanus Altisiodorensis Episcopus & Lupus Trecensis, ad Britones profecti sunt, qui doctrina, ac miraculis, hæresim ibi succrescentem represserunt. Ita à Cœlestino Papa, tum Petri sedem tenente, missus in Scotiam est S. Palladius, qui eam à Pelagiana hæresi tueretur. *Missus est*, (inquit Beda lib. 1. cap 13.) *Palladius in Scotiam ad Scotos in Christum credentes*; & ante illum Prosper Aquitanicus, qui Cœlestini ætate vixit, in libro contra Collatorem, sub finem, *Ordinato* (inquit) *à Cœlestino, Palladio Scotis Episcopo dum Romanam Insulam studet seruare Catholicam, fecit barbaram Christianam*: Britannia enim tum Romana Insula dicebatur, quanquam non tota Romanorum subdita fuisset imperio. Palladius vero, non modo ab hæresi Pelaginæ pestis, eam Britanniæ partem, ad quam missus est, conseruauit, sed & Orcades Insulas, tum barbaras & incultas, vt ex Scotorum constat annalibus, ad Christum conuertit. Cuius S. Palladij memoria, in Mernia Scotiæ prouincia, in qua illius conditæ erant reliquiæ, frequentissimo hominum concursu, ac summa pietate ad nostram, vsque ætatem colebatur.

Sub hæc tempora, religio Christiana in grauissimum adducta est discrimen, inter Britones enim, qui Romanis subditi erant, & Scotos perpetua bella gerebantur. Cum vero Britones à Scotis premerentur, Epistolam valde supplicem ad auxilium implorandum, Romam mittunt, in hæc verba, vt refert Beda lib. 1. cap. 13. *Ætio ter Consuli, Gemitus Britannorum. Barbari ad mare repellunt, repellit mare ad Barbaros: inter hæc, oriuntur duo genera funerum; aut mergimur aut iugulamur, &c.* Sed cum Imperator Romanus Theodosius iunior, cuius imperij vigesimo anno hæc Epistola scripta erat, nullum ad eos subsidium mitteret: ne quid non experirentur, malum malo sibi cumulant: in Germaniam ad Saxones, falsorum Deorum veneratores, auxilij gratia confugiunt. Quod illi quidem tulerunt libenter, sed maximo Britonum ipsorum incommodo:

Cum enim Saxones numero, ac virtutibus, potentiores euaderent, Britonibus magna ex parte è suis sedibus depulsis, illam fere Britanniç partem, quam Britones prius incolebant, sibi vindicarunt & ab eorum etiam duce, siue gente, illi nomen imposuerunt, vt Anglia deinceps vocaretur, & populus Anglorum, vel Anglo-Saxonum nomen acciperet: quo etiam factum est, vt Saxones adhuc gentiles suam gentilitaté, in magnam illius insulæ partem inueherent, quod ad initium Imperij Martiani Imperatoris contigit. Scoti vero ea tempestate, vt cum Saxonibus bella gerebant, quo suas ditiones ab eorum incursibus tutas & intactas conseruarent: ita in religione Christiana suscepta, nihil ex nouo Saxonum in illam Insulam aduentu, incommodi sunt passi: quin potius, cum à Gregorio magno ad Anglo-Saxones Augustinus Episcopus missus esset, vt populum illum gentilem, Christiana religione imbueret; Scoti diligentem etiam operam in eodem populo excolendo contulerunt: vt testis est Beda lib. 3. cap. 3. *Osualdus* (inquit) *Rex misit ad maiores natu Scotorum, cuius ministerio gens quam regebat Anglorum dominicæ fidei, & dona disceret, & susciperet sacramenta. Missus vero est Æsdanus summæ mansuetudinis, ac pietatis vir*: & paulo post. *Imbuebantur à Præceptoribus Scotis, paruuli Anglorum cum matribus, studiis, & obseruatione disciplinæ regularis.* Id quidem verum est, quosdam Scotorum Episcopos, in ceremonijs quibusdam Augustino Anglorum Episcopo restitisse, quod eas non existimarent esse Ecclesiæ romanæ, sed ab Augustino inuectas, ac etiam in suis diœcesibus adhuc morem illum Asiaticum retinuisse, vt nō nisi decima quarta luna, iuxta veterem Iudæorum consuetudinem, Pascha celebrarent: *Misit* (inquit Beda lib. 2. cap. 19.) *Honorius Papa literas genti Scotorum, quos in obseruatione sanctæ Paschæ errare compererat: exhortans ne paucitatem suam, in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis siue modernis, quæ per orbem terrarum erant Christi Ecclesijs, æstimarent, neue contra paschales computos, & decreta synodalium totius orbis Pontificum, aliud Pascha celebrarent*: sed mos ille, & nouus erat, & à paucis receptus, vt ex Epistola Clericorum Ecclesiæ Romanæ, ad Scotos constat *Scripta* (inquiunt) *quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Seuerinum Papam adduxerunt, eodem de hac luce migrante, reciproca responsa, ad ea, quæ postulata fuerunt, siluerunt, quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam prouinciæ vestræ contra orthodoxam fidem, nouam ex veteri heresim renouare conantes, Pascha nostrum in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quarta decima luna, cum Hebræis celebrare nitentes*: quo Epistolę principio, inquit Beda lib. 2. cap. 19. manifestè declaratur,

& nuperrimè temporibus illis, hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum gentem, sed quosdam ex ijs, hac fuisse implicitos. Hæc Beda. Qui etiam pauci, post sedis Apostolicæ, admonitionem, errorem suum summa animi demissione reliquerunt.

His etiam temporibus, occulta, ac latentia in quorumdam animis, Pelagianæ hæresis semina emergere cœperunt, vt ex eadem Epistola constat: *Et hoc quoque* (inquiunt) *cognouimus quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reuiuiscit, quod omnino hortamur, vt à vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur*: & paulo post, *hortamur ne quorum arma conbusta sunt, apud vos cineres suscitentur*: sed vt antea Pelagiana hæresis nullas in eo regno radices, figere poterat, ita & ea ætate, illius renascentis reliquiæ, mox sedis Apostolicæ auctoritate, sunt suppressæ. Neque ab hoc tempore vsque ad annum Christi millesimum quadringentesimum legimus, hæresim vllam Scotiam inuasisse. Illo vero sæculo missus est Paulus Crauius a Vvicleffo Anglo, qui hæreseos suæ in eo regno spargeret venena: quod cū ille in Academia S. Andreæ, summa calliditate esset aggressus, vbi virus se prodere cœpit, capitur ac cum neque Patrum auctoritati, neque scripturarum testimonijs cederet meritas suæ impietatis pœnas flammis consumptus persoluit. Neque vero satis fuit Scotis, religionem domi integram conseruare, sed & suis minimè contenti angustijs, apud exteras etiam gentes eam summo studio propagarunt. Huius rei testis est S. Mansuetus, quem Scotū fuisse, ex antiquissimis Tullensium Ecclesiæ monumentis constat. Testis est S. Kilianus, Herbipolensium Episcopus quem Beda in Martyrologio ad VIII. Idus Iulij, ex quadam Insula Scotiæ, testatur cum socijs profectum in Germaniam, ac ad Menum fluuium Christi fidem prædicasse, & martyrio coronatum: ob cuius, scilicet Episcopi memoriam, apud Herbipolenses fundatum est amplissimum pro Scotorum gente monasteriū. Testis est S. Bonifacius, primus Moguntinorum Episcopus, Frisiam, & alios Germaniæ populos fide Christi illustrauit. Marianus Scotus lib. 2. sub finem, meminit Epistolę Gregorij tertij, quam scriptam testatur ad Bonifacium Scotum Moguntinum Episcopum. Et Tritemius de scriptoribus Ecclesiasticis, eum quoque Scotum fuisse refert: & in hodiernum diem in Rossia, quę Scotię prouincia est, extat opidum Rosmarki, vbi natum fuisse Bonifacium, vua est, & consentiens illius populi à maioribus accepta traditio, ad cuius etiam memoriam, & Cathedralis Rossensis Ecclesia dicata est, multaque alia extant illius in ea prouincia in hodiernum diem monumenta. Sed quia in Anglia vitam monasticam

monasticam aliquandiu professus est, vulgò Anglus putabatur. Testis est S. Romualdus, qui ob Christi fidem martyrio coronatus est. Colitur Mecliniæ, Kalend. Iulij, ac vt refert Molanus, in suo indiculo Flandriæ, pro Mechliniensiũ Apostolo habetur. Testis est S. Colomãnus cũ socijs, qui cum vniuersam fere Germaniam, Euangelij prædicandi causa obiuisset, martyrij etiam gloriam adeptus est: cuius, ac sociorum triumphum, Ioannes Stabius, sub Maximiliano primo, saphico carmine eleganter descripsit. Testis est S. Patricius, prope Glasguensem ciuitatem in Scotia natus, cui opem, infantes Hyberni ex matrum pendentes vberibus implorare videbantur: ac vt refert Beda, in Hyberniam Insulam à Cœlestino Pontifice, ad illius gentis salutem procurandam missus est. Plures recensere opus non est cum sequenti capite de his plenius dicturi simus.

Quantum etiam apud Scotos Monasticæ, ac religiosæ studium viguerit, testantur tam multa ab ijs, & tam præclara excitata Monasteria, in quibus, tot viri sanctitate, ac doctrinâ illustres floruerunt, vt non tantum domi, sed & apud exteras etiam gentes, arctioris vitæ exempla haud obscura reliquerint. Cuius rei vel vnus Columbanus (qui quod in montanâ Scotiæ parte natus esset, Scotus Hybernus à Beda, Mariano Scoto, & alijs nominatur) testis esse potest, qui in Gallia, Germania, & Italia, Monasteria amplissima erexit, apud Burgundos, sub Theodorico Rege, celeberrimum ab eo fundatum est Luxoniense monasterium, in quo, is erat Monachorum numerus, vt alij alijs succedentes, diuinas laudes assiduo cantu personarent, vt locus ipse ab omnibus Laus Perennis longo tempore diceretur. In Apenninis etiam montibus, cum ex Burgundia in Italiam venisset, Bobiense ab eo monasterium est erectum. S. Gallus illius discipulus, etiam Scotus, celeberrimum illud S. Galli monasteriũ apud Heluetios erexit. Alia possunt id genus plurima referri; sed instar omniũ est, quod in Germania quatuordecim opulentissima monasteria, in Scotorum gratiam sint fundata, in quibus, ex sola Scotorum gente, in religiosos possent adoptari, quod etiam ante hæc tempora, vtrique & Germanorum & Scotorum genti fœliciter cessit: quamuis hac ætate in Scotorum manibus tantum sit Ratisbonense monasterium. Quod sane antiquam Scotorum pietatem, haud obscurè commendat, cum ob eam etiam apud exteras gentes, in tanto fuerint honore, vt tam præclara, ac magnifica illis monasteria ædificarentur: Cui etiam pietati, & Vvalafridus de rebus Ecclesiasticis cap. 15. præclaram affert testimonium, *Quamuis* (inquit) *geniculationis morem tota seruet*

sint tria monasteria, Ratisbonense, Erbipolense, et Erfordiense.

Ioannes maior, qui & in Magistrum sentẽtiarum commentarios & alia etiam plura ingenij sui monimenta reliquit. Apud Tritemium, & eos qui de Scriptoribus Britannicis catalogum confecerunt, longè plures liceret excerpere.

Et certe quamdiu apud Scotos Catholica religio vigebat, non tantùm viris doctis, sed fortibus abundabat, vt domi ac foris ob rei militaris gloriam essent celebres. Testantur id tot bella dómi gesta contra Britones, Anglos, Danos, Pictos. Quàm præclara etiam suæ fortitudinis exempla apud Germanos reliquerint, quo tempore, cum Carolo Magno, cum quo, fœdere (vt ex superioribus constat) coniungebantur, militarent, ac post etiam in Gallijs non raro, & in Italiam cum, Carolo octauo & Ludouico XII. & in ipsâ etiam Palæstinâ, ex multarum gentium constat Annalibus. Quod sane mirum non est, cum ea illius gentis pristina fortitudo extiterit, vt inter alias Romanorum laudes, hanc etiam Hegesipp'lib. 5. de excidio vrbis Hiersolymitanæ cap. 15. numerare non dubitaret, quod eos etiam Scotia tremeret. *Quid attexam* (inquit) *Britannias interfuso mari toto orbe diuisas, & à Romanis, in orbem terrarum redactas, tremit hos Scotia quæ terris nihil debet.* Sed ex quo à Sedis Apostolicæ obedientiâ sese præciderunt, non modo à pristinâ illâ dignitate videntur degenerasse: sed qui antea clari & toti Orbi notissimi erant, verè nunc obscuri esse videantur: vt qui pristinam illius regni faciem, & gentis dignitatem quando in eâ Catholica florebat religio, ante oculos ponunt tam breui temporis spatio, eam tantopere degenerare potuisse, magnâ ducantur admiratione. Nam etsi ab anno ferè millesimo quingentesimo quadragesimo occulta quædam hæreseos semina in eo regno spargerentur, ac sensim etiam in multorum animis germinarent, ante annum tamen 1560. res in apertam non erupit defectionem, à quo tempore adeò ciuilibus bellis regnum illud exarsit, adeò cædibus ac sanguine cruentatum est, vt aliud nihil, quam perpetua quædam laniena extitisse videatur. Sed Deus qui in finem iram suam continere non solet, iam ab aliquot annis, multorum oculos aperuit, ac eorum etiam quorum est in eo regno præcipua ferè auctoritas, vt facilè videant ex quo fœlici rerum omnium statu, in quam profundum se malorum gurgitem demiserint, & iam pristinæ suæ temeritatis, ac insaniæ pertæsi, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium, à quo se sacrilego furore præciderunt, summâ animi demissione in dies accurrunt, adeò vt magnis à breui tempore incrementis Catholica religio in eo aucta sit.

sed Mathildis viginti annos nata Alexandro persuasit, vt regno relicto Christum sequeretur: Alexander frater charissime (inquiebat) quid nunc ages? fratres tui mundum terramque deseruerunt, vt cœlum acquirerent: regnum spreuerunt mortale, vt regna perpetua possiderent: tibi ergo soli regnum relictum est, pro quo es fortassis & cœlestem gloriam, & animam perditurus. Nec mora, Alexander resolutus in fletus. Heu, ait, soror, & quid consulis facere? ego paratus sum quicquid iusseris adimplere. Quo audito, gauisa soror, accepit fratrem, & mutato habitu in Gallias se contulerunt, vbi eum & mulgere vaccas & lac ad coagulum coadunare, & caseos facere docuit. Inde venerunt ad Fonij Claustrum, ordinis (vt dictum est) Cistertiensis, vbi soror locauit fratrẽ pro mulsore Vaccarum, & probatus inuentus est (inquit Cantipratensis) in optimis caseis faciendis. Hinc monasterij fratrem conuersum factum soror alloquitur, dicens. Multum charissime frater apud Dominum meritum acquiremus, quod terram parentesque dimisimus, sed in hoc specialissimam remunerationem habebimus, si vsque ad tempus futurum quo nos inuicem in cœlo ad consolationem perpetuam videamus, ad præsens nos, vt nullus nostrum amplius alterum videat, ab inuicem sequestremus. Hoc audito fleuit frater, grauius istud dicens omnibus quæ dimisit: & licet inuitus, imperat animo, & à sorore totaliter separatur. Illa autem ad octo leucas, in villa quæ dicitur Lampion seu Alapion, ibidem mansura, secessit: domunculamque paruam habens quasi aucarum tugurium, solo manuum labore viuebat. Domum vel eleemosynam alicuius accipere, nec cogi poterat, nec rogari. Cum cæteris pauperibus in Augusto spicas colligere recusabat, sed extrema cũporcis quæ vix euaserant diripientium manus rarissimè colligebat. Vix aliquid substratum habebat membris, & caput iacens humeris equatũ, cibum & potum incumbens callosis genibus capiebat: hoc idem & in prolixissimis precibus faciebat. Celebrabatur vbique Mathildis, & eius fama sanctitatis lõgè latèque manabat, atque ad miraculorum multitudinem, quæ Deus per suam operabatur sponsam, exciti viri fœminæque promiscuè certatim ex ædibus aduolabant, gestientes sanctissimæ virginis ora cominùs intueri, vel orationum suffragia reposcere, vel varijs oppressos morbis offerre, vel deniq̃ue salutare aliquod consilium pro animarum salute exquirere. Tandem nouem annis ante mortem, à quibusdam militibus, qui eam in Scotia viderant, agnita, vt gloriam declinaret inde aufugisset, nisi ab Incolis vi retenta fuisset. Multis miraculis in vita & post mortem clara ad Christum migrauit, sub annum Christi

1169. Fit etiam eius commemoratio duodecimo Aprilis. De eâ agunt Thomas Cãtipratensis lib. 2. cap. 10. Spinellus libro de Maria Deipara, Trinitate, de Virginibus, sect. 7. num. 62. & alij.

7. die. SAnctus Congallus Abbas Benchorensis Monasterij in Scotiâ, cuius conuersatio in cœlo erat, & hoc insignior quod ex occupationibus tantis (erat enim multorum monasteriorum Pater & superior) totque peregrinationibus in visitandis monasterijs susceptis, non inde laxamentum sed pabulum & incrementa capiebat. Scribũt aliqui habuisse in præceptorem DiuumColumbam qui apud Scotos in Insula Iona mortuus est, quique (ait Noxerus in Marty. ad 5. Idus Iulij) cum plurimos discipulos vel socios suæ sanctitatis pares habuisset, vnum tamen Congallum latinè fausti nominis illustrem præceptorem Diui Columbani magistri & domini, patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum quasi vnicum exemplo Isaac reliquit hæredem. De eo agit Antonius Possevinus in Apparatu. Congallus inquit, Scotus Abbas Benchorensis floruit anno 590. Reliquit methodum vitæ regularis & pluresEpistolas quas Patribus Cœnobiorum scripserat.

Hoc eodẽ die. SAnctus Mathissus Episcopus & Confessor in Scotia. Hoc eodem etiam die Sanctus Fredegandis. Vita S. Fursæi, alij.

5. die. SS. Posenna & Promptia Scotæ vnà cum sex alijs fratribus.

4. die. SAnctus Rabanus Magnentius Maurus Academiæ Parisiensis fundator, Abbas Fuldæ, Abbas Moguntiæ. De eo agunt Vvion in adiunctis, Iosias Simlerus, Gesnerus Lilius, Giraldus Ferrariensis, Balæus ipse, iuratus pietatis & Scotiæ hostis Centuria 2. cap. 17. Zabarella Cardinalis apud Chassanæum & alij qui omnes fatentur eum esse natione Scotum. Catalogum eorum quæ ab ipso scripta sunt habes apud Possevinum, & alios.

Hoc eodẽ die. SAnctus Chromanus siue Chronanus Episcopus & Confessor. Fuit hic Sanctus celebris admodum apud Cuningamẽses in Scotia, apud quos cum suis in rebus, tum in alienis & authoritate valebat, & gratiâ, quorum multos ex vitiorum probris eripuit, multos etiam ab humanis ad diuina traduxit, quorum plerique non vulgari aliqua probitatis laude contenti, perpetuis sese inclusere Cœnobijs, in Kiluuiningensi præsertim & Faillensi, quæ celebriora fuere apud Cuningamenses. De hoc Sancto agit Lesleus Episcopus Rossensis lib. 4. historiæ Scoticæ. Scotiã inquit, hoc tempore vitâ sanctè, exemplo sinceré, & doctrinâ solidè illustrasse Chromanum, Columbanum, Dimanum, Episcopos loquũtur

nostræ historiæ. De eo etiam fit mentio in Epistolâ quadam quæ extat apud Bedam (lib. 2. hist. Eccles. cap. 19) scripta ad Scotos à Ioanne Pōtifice Romano, qui Seuerino successerat, quæ sic habet. *Dilectissimis & Sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Bathano, Episcopis: Chromano, Hermanoque, Laustrano, Stellano & Segiano, Præsbiteris, Sarano, cæterisque Doctoribus seu Abbatibus Scotis Hilarius Archipresbyter & seruans locum Sanctæ Sedis Apostolicæ, Ioannes Diaconus & in Dei nomine electus, &c.* Cum hic Sanctus videret breui se è corporis custodiâ mittendum, tantis animi voluptatibus deliniri, tantis perfūdi gaudijs cœpit, spe atque expectatione æternæ beatitudinis, vt fluentibus sine modo lachrymis illud Dauidicum (Psal. 83.) iteraret sæpius; *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Mortuus est in prædictâ Cuningamiâ, Scotiæ prouinciâ sub annum Christi 641.

5. die. SAnctus Rodulphus Episcopus Aberdonensis de quo Leslæus lib. 6. hist. Scoticæ ita scribit Eadem ætas protulit Rodulphum prudentia insignē, sanctitate admirabilem, primo quidem Abbatem Aberbrotheum: Episcopum deinde Aberdonensem: qui ita vtramque & Religiosi & Episcopi viam in omni postea vita tuebatur, vt dubites planè, fueritne diligentior Episcopus, an arctior religiosus. Nam etsi diœcesin summis exhaustis laboribus obierit, vt Clerum intra officij sui terminos contineret, tamen tenuiore veste Episcopus quam Abbas, duriori parcimonia diues quam pauper, arctiori regula publicus quam priuatus semper vixit. Vnde Alexandro Sanctissimo Regi tam fuit in intimis, vt Ecclesiam Aberdonensem & fundo opimo & alijs donis lautissimis eius causâ amplificarit. Octo annorum spatio, egit Episcopum partim vitæ innocentis exemplo, partim docendi hortandique assiduitate, ingentem in Aberdonensi diœcesi animorum mutationem faciens. Tandem vitæ laboribus sanctissimè functis, defixis in cœlum oculis illud sæpe ingeminans: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; Sanctissima illius anima inter Angelorum manus euecta ad Paradisi peruolauit gaudia sub annum Christi 1248. Vide Boëtium in vitis Episcoporum Aberdonensium.

6. die. SAnctus Arnual Episcopus Santonum. Tritemius lib. 1. Compend. Annal. pag. 57. Sigebertus anno 649.

7. die SAncta Kentigerna Vidua. Hæc senili prudentiâ & grauitate iam matura, mundanis honoribus vale, post longas tamē cum amicis cōcertationes, dicere statuit. Quę, cū se voti cōpotem factā vidit,

ore videretur gestare. Verùm (vt tradit ad hunc diem Aberdonense Breuiarium) Angelorum ministerio ab aquis liber ad ripam lacus ab ijsdem conseruatus est, donec ab Ibaro Episcopo viro sancto, Filanus inter Angelos inuentus, baptizatus est, & matri Kentigernæ (quæ lachrymis à Deo assiduè postulabat, vt Filanus filius, quem sciebat à patre in lacum præcipitatum, vitæ restitueretur & baptismi sacramento donaretur) redditus est. Porrò grandior factus Filanus ab Ibaro Episcopo traditur Mundo Abbati educandus, apud quem omnes numeros solidæ virtutis explere, eiusque fama sanctitatis longè latèque manare cœpit. Sæpe visus est Filanus, dum noctes integras in oratione transigeret, cœlesti circumfundi lumine, quod sole clarius cellam illustraret totam. Quandoque cum esset in tenebris, sinistra manus instar facis lucidissimę dexteræ manui dum scriberet, aut legeret, lumen præbere à cæteris Monachis videbatur. Abbate Mundo ex hac vita sublato, Filanus consensu Monachorum in Abbatem eligitur, quo in officio omnium virtutum cæteris præluxit exemplo. Sed breui post, diem suæ migrationis ex hac vita adesse sentiens, relicto successore ad solitudinem Sirach non procul à Glenderchy se contulit, quo in loco se totum cœlestium rerum contemplationi tradidit, variosque à corporis & animę infirmitatibus diuinâ ope liberauit. Inter varia eius miracula vnum tantum reliquis relictis hic apponam. Robertus Bruseus Scotorum Rex hoc nomine primus, in quem cum Edouardus Angliæ Rex ex Vasconibus, Hollandis, Normannis & Zelandis (parebant enim tum temporis AngloNormannia & Vasconia) copiosissimum collegisset exercitum, ad centum & quinquaginta millia peditum & Equitum multa etiam millia, Rex Robertus precibus vacans speque tota in Deum collata, orat Deum ac S. Filanum in quem tenerrimo mentis affectu ferebatur, cuiusque brachiũ in exercitu suo (qui triginta quatuor millia militum superasse non dicitur) argenteâ capsulâ inclusum se habere (petierat quippe à Sacerdote quodam hoc sacrum pignus) credebat: res admirationis plena! Argentea illa capsula, in qua inclusum custodiebatur S. Filani brachium, multis astantibus repentè aperiri, & rursus claudi nemine eam tangente visa est: quod cum mirandum videretur Sacerdos accessit, quid actum esset inspecturus, & vbi vidit verum inesse brachium, exclamat, verè numen adesse diuinum, factumque suum confessus est Regi, quod roganti brachium S. Filani, capsulam tantum argenteam excepto brachio dedisset, veritus ne in prælio perderetur. Plenus igitur Rex Robertus spe, reliquum noctis in precibus ac gratijs agendis perseuerauit. Postero

colmi & Margaretæ Principum filius natu minimus. Summa fuit humanitate in omnes præsertim in pauperes, quorum egestatem subleuabat sumptu, & nuditatem velabat vestitu, pietate maximâ, ostentatione nullâ. Eorum querelas audiebat ipse, contra quos (quod etiam alijs omnibus exhibebat beneficium) si quis iudicium falsum iudicasset, res iudicatas non rescindebat, sed iudicem litis, æstimationem cogebat victo pendere. Monasteria vel collapsa vetustate, vel ab Anglis belli tempore diruta instaurauit. Præterea Cœnobia siue Abbatias quatuordecim (vt iam dixi) præclaro sanè & regio opere à fundamentis erexit; scilicet Calco, Iedburgus, Neubottel, Halurcustraium, Dundrada, S. Crucis prope Edimburgum, Campus Kennethi, Killos in Morania, Dumfermling, Holme in Cumbria (spectabant quippe tum temporis Comitatus Cumbriæ, Northumbriæ, & Hundintoniæ ad Scotos iure belli,) Carlil, Beruicum, ad Nouum Castrum duplex monasterium, vnum Præmonstratensium, aliud denique Diui Benedicti. Ad Episcopatus priores quos habebat Scotia, adiecit, vt dixi, quatuor alios, Rossensem videlicet, Brechinensem, Caledoniensem seu Dunkeldensem & Dumblanensem, quos prouentibus annuis abundè donauit. Glasguensem Sedem Sancto Kentigerno sacram & Morauiensem donarijs & prouentibus regijs auxit. Eius vitam, quemadmodum & patris S. Malcolmi & matris S. Margaretę vitas scripsit S. Ealredus Abbas Rieuallis. Carleoli fine beatissimo diem clausit sub annum 1153. vel vt alijs placet, 1151. Et Dumfermlini regio parentum sepulchro postea inhumatus est. De eo agunt, vt nostrates omittam, Rogerius de Haueden 1. parte Annal. qui tradit sub mortem in hęc verba prorupisse: Domine Iesu (ferebatur enim tenerrimo affectu in Christum Dominum) regnum quod à te accepi tibi reddo, colloca me, quæso, in illo regno in quo viuere regnare est. Neubrigensis lib. 1. De rebus Anglicis cap. 23. S. Bernardus in vita S. Malachiæ apud Surium 5. Nouemb. Eius festum alij ponunt 24. Maij.

12. die. SS. Anonimæ duæ Virgines, Martyres in Germania, sorores SS. Guinifortis & Guinibaldi. Videatur Iacobus Gualla & alij.

13. die. SAnctus Barnitus Cõfessor. Videatur Scoti-Chronicon. Alij eius diem festum ponunt 5. Ianuarij.

EOdem die S. Kentigernus Archiepiscopus Glasguensis qui & Mungo, id est, dilecte mi, dictus est. Hic Sanctus fuit Eugenij III. Scotorum Regis filius ex Thamete Lothi Pictorum Regis filia. A parentibus ita educatus fuit, vt iam inde à puero pietatis sentire igniculos &

S. Spiritus instinctus ad deuotionis affectum inciperet, quo ex tempore videtur omnem eius voluisse animam possidere Cœlestis Pater. Ad educationem porrò domesticam accedebat Sanctissimi præceptoris institutio Sernani Orcadensium Apostoli, cuius virtutum semina, & documenta adeò in Kentigerno excreuere, vt duodecimo ætatis anno in agrum solus Deo inspirante prodierit, & vniuersorum Domino se totum vouendâ castitate dicauerit, beatique Sernani coquū casu repentino extinctum, fusis ad Deum precibus sine mora vitæ restituerit. Multis igitur annis non sine sanctitatis laude in Culrossano Monasterio sub Sernano peractis Glasguæ fit Episcopus, vbi pastorali munere diligenter perfunctus, fidei Catholicæ seminandæ, & Pelagianæ hæreseos conuellendæ flagrans desiderio, relictâ Glasguâ ad Britones se contulit. Apud quos inter fluuios Eluuide & Eluui Cœnobium condidit, ad quod hominum multitudo confluxit maxima, ex quibus tam multi, Kentigerni & discipulorum quos Scotiâ eduxerat, instituto sese adiunxerunt, vt monachos (teste Capgranio in Legenda SS.) breui numerarit 965. quorum pars magna (quæ ex illiteratis constabat) agriculturam exercebat: cæteris verò in ipso monasterio decantandis Dei laudibus die nocteque (hęc enim apud Scotos iam tum consuetudo inoleuerat, vt vbi magna esset monachorum multitudo, die nocteque per vices Dei laudes canerent) per vices perseuerarent. Kentigernus omnium primus eo loci Cathedralem erexit Ecclesiam, quę à nonnullis Eluensis à fluuio Elue prope quem sita est, alijs Elguensis & Laneluensis, nunc verò Asaphensis ab Asapho Scoto ibidem à Kentigerno relicto nuncupatur, quâ constructâ Scotiam repetijt. Quocirca meritò affirmant varij hunc Dei famulum plurimos suis concionibus ad fidem conuertisse, Apostatas reuocasse, Pelagianos expulisse, nondum renatos baptizasse, simulachra euertisse, Ecclesias condidisse. Misit quoque ad Noruegiam & Islandiam ex suis discipulis plurimos, vt eorum prædicationibus & concionibus Christianæ fidei religionem acciperent illarum regionum incolæ. Fuit Propheta insignis, prædixit namque inter alia, regni Britonum euersionem. Tradens, inquit, tradet Dominus Britanniam exteris nationib⁹ Deum ignorantibus, indigenis euacuabitur. Dum esset S. Kentigernus sub S. Sernani disciplinâ, condiscipuli ipsius videntes quod à S. Sernano plus omnibus amaretur, illum odio prosequi incœperunt. Insidiabâtur, conuitiabantur, detrahebant. Quandam auiculam ob ruborem corpusculi Rubiscam vocatam, de manu S. Sernani alimoniam accipere, scapulis eius & capiti seu gremio insidere, oranti vel legenti assistere, alarū

plausu & vocis suæ sono affectum illi ostendere solitam, inter se tractãtes, caput à corpore auellunt & extingunt: Kentigerno absenti crimen imponere non verentes. Qui auiculam in manibus suscipiens, & caput corpori applicans, fusâ ad Deum prece signaculum crucis impressit, & auis vitæ reddita Sernano de Ecclesia reuertenti more solito applaudens obuiam prosiliuit. Statuit autem S. Sernanus vt vnusquisque puerorum, per septimanæ circulum (ne aliqua negligentia ob defectum luminis in Ecclesia, diuino obsequio in noctibus eueniret) ignem diligenter dum dormitum irent, subcinerarent. Accidit quadam nocte solenni dum Kentigernus puer vice suâ ignem custodiret, condiscipuli eius inuidiâ excæcati, totum ignem intra monasterij septa extinguerent. Vigiliarum tempore, Kentigernus ignem monasterij extinctum reperiens, ramum cuiusdam Coryli viridis arripiens, in nomine Sanctæ Trinitatis data benedictione, insufflauit, & confestim igne cœlitus emisso ramus ingentem flammam produxit, & absque sui detrimento ardere cœpit, accensis autem candelis, lumen amplius in ramo visum non est. Anno ætatis suæ 25. consecratus est Episcopus, & omni tempore vitę suę post triduum & multoties quatriduum cibum sumebat, panem scilicet & lac vel caseum & butyrum. A carnibus & vino omnique quod inebriare potest, omninò abstinuit. Iacebat autem in saxo instar monumenti cauato, habens capiti lapidem suppositum, & proiectis aliquantis cineribus & cilicio substrato, potius dormitando leuiusculè, quam dormiendo, sicque hausto modicę quietis sopore, nudum in aquis frigidis se immergens, totum psalterium decantabat. Hanc consuetudinem nisi itinera, aut ęgritudines prohiberent corporales, nec grando, nix, aut pluuia aliquatenus interrumpere poterant. Omnis eius substantia, pauperum ærarium semper fuit, multoties dum sacramenta diuina tractaret, columba niuea rostrum quasi aureum habens capiti eius insidere consueuit. Crebro dum sacris astaret altaribus, missamque celebraret, nubes lucida obumbrabat caput eius. Aliquoties non ipse stare videbatur, sed columba ignea cuius fulgore intuentium intuitus obtusi videbantur. Dum vice quadam sacra mysteria celebraret, nebula quædam odorifera totam Ecclesiam impleuit, ineffabilique suauitate perfudit, & varijs incommodis laborantes perfectæ sanitati restituit. Omni quadragesima à conspectu hominum separatus, deserta loca petebat, solas radices herbarum in cibum sumés, aliquoties verò totum illud tempus, Domino virtutem tribuente, absque terreno sustentaculo transigebat. In Cœna tamen Domini, multitudinis pauperum leprosorumque pedes cum lachrymis

lauans ac tergens, crebrisque osculis demulcens, eis postmodum in mēsa di ligenter ministrabat. In die passionis, plagis virgarum, nuditate, & crebris genuflexionibus diem cū nocte continuabat. Sabbato autem Sancto & vsque ad horam Resurrectionis dominicæ, tempore diuini officij excepto, in quodam sepulchro se flagellando latitabat. Multas Ecclesias construxit, parochiasque certis limitibus distinxit, & vbique lucrum animarum quærendo non equo vectus, sed more Apostolorum pedes ire solebat. Ne autem panem suum otiosus comederet, manibus suis in agriculturâ laborare consueuit, & cum boues semel sibi deessent, Ceruos de saltu in nomine Domini ad se venire, & loco boum terram arare præcepit, qui statim obtemperantes & mansueti effecti, terram arare, ad pascua ire, & ab opus consuetum redire solebant. Tandem vnum de Ceruis labore fatigatum lupus irruens suffocauit, & voracem ingluuiem ex eius cadauere saturauit. Quo audito S. Kentigernus manum contra syluam extendens dixit: In nomine sanctæ Trinitatis præcipio vt lupus qui mihi damnum intulit satisfacturus sine morâ accedat & ecce lupus de syluа prosiliens, cum vlulatu corruit ante pedes eius, cui Sanctus, surge inquit, & in nomine Iesu Christi præcipio tibi vt loco cerui quem deuorasti, aratro applicatus, ares ex integro quod restat arandum. Lupus itaque verbis sancti obediens, & ceruo copulatus, nouem iugera arando explens, liberè abire permittitur, & cum multi conuenissent ad spectaculum, Sanctus os suum aperiens dixit: viri fratres quid admiramini aspicientes verbum hoc! Credite mihi antequam homo inobediens suo conditori existeret, non solum animalia, sed etiam Elementa obtemperabant. Nunc verò ob ipsius præuaricationem, omnibus in aduersa versis, Leo lacerare, Lupus deuorare, Serpens sauciare, aqua submergere, ignis comburere, aër corrumpere, terra sępe ferrea effecta fame subruere consueuit. Et ad cumulum consueti mali homo non solum hominem, sed ipse homo in seipsum præliando contra seipsum sponte desæuit. Sed quoniam plerique Sancti, in verâ innocentiâ & purâ obedientiâ, in sanctitate, dilectione, fide & iustitia coram Domino perfecti inuenti sunt, quasi antiquum commune ius, & naturale donum à Domino recuperant, dum bestijs & Elementis, morbis & mortibus imperare solent: porrò hoc adeo celebre fuit miraculum, vt ne quando excidere posset eius memoria, ipsi ciuitati illi (quæ antea alio vocabatur nomine) Glascu (quę vox Lupum & Ceruum significat) indiderint, sitque in hodiernum diem ciuitatis illius nomen Glasgua, insigni Archiepiscopali sede ornata. Huic miraculo accessit & aliud in

quo non minor Dei clementia & bonitas erga famulum suum Kentigernum elucet. Annulum quendam (vtor ego verbis cuiusdam fragmenti seu manuscripti quod ex antiqua Archiepiscopali Glascuensi bibliotheca habui) magni pretij habebat Regina Scotię, quem acceperat à Rege Scotiæ in maximi amoris mnemosynon, hunc verò annulum Regina nō multò post casu quodam, regias domos Regni, quà mari quà terrà visitans, perdidit & amisit. Rex annulum deesse animaduertens, in suspicionem pudicitiæ Reginæ iam domum reuersæ venit, & à Regina, subiratus, annulum repoposcit: at illa conscia suæ fidei coniugalis simul & pudoris, mœrens & dolens ad Deum conuersa ab eodem instanter postulat, vt pro immensâ suâ bonitate & clementiâ annulum deperditum reddere dignetur, & suo pudori consulere. Post preces venit Reginæ in mentem Sanctissimus Kentigernus miraculis quem sciebat celeberrimum; Sanctum itaque Pontificem lachrimabunda adit & obtestatur suæ famæ velit consulere, & deperditum annulum, ope Dei, apud quem sciebat nihil esse impossibile, sibi reddere. Sanctus verò Dei seruus misericordiâ motus, Reginam bene sperare iubet, nihil enim occultum apud Deum quod non reueletur, nihil absconditum quod nō manifestetur, nouit quippe abscondita cordis multò verò magis deperdita quęque, ad preces & orationem confugiendum esse in re tanti momenti, aiebat. Ad preces itaque conuersus Sanctus Dei, subitò factus est super eum Spiritus Domini, & ab oratione surgens concito gradu ad fluuium Glottam Salmonum feracem se confert, & primo quem obuium habuit piscatori dixit, mitte quam poteris ocyssimè in capturam rete, & quem primum prendideris piscem huc ad me deferto viuum: O Dei maiestatem & omnipotentiam! vix iactum erat in flumē rete, cum ecce Salmo magnus & vnicus reti confestim fuerit inclusus, quem oblatum à piscatore accepit Sāctus, & facto signo crucis, piscis ori manum immittit extractumque inde Regis annulum astanti Reginæ & omnia admiranti liberè donat, piscem tanti muneris velut ministratorem in fluuium ad pristinam libertatem remitti iussit: Reginę verò vt Deum timeret & amaret semper, regiamque prolem in timore Dei educaret, vnicè commendauit. Hoc triplex miraculum per totam postea Scotiam celeberrimum reddit Kentigernum, Regemque Conuallum sibi magno amoris vinculo deuinxit, in cuius rei memoriam perennem Rex à fundamentis ædificari fecit augustissimum Monasterium, in quo ad trecentos quandoque habebat verbi Dei prædicatores S. Kentigernus, templi præterea (quod alij postea Reges continuauere) augustissimi funda-

menta iecit : successores denique omnes famuli Dei, siue Episcopi, siue Archiepiscopi in huius miraculi perpetuam memoriam in sigillis & diplomatibus, in monumentis publicis, in hodiernam vsque diem depictũ aut insculptum habent Salmonem resupinum, curuato aliquantulum flexu, rostroque annulum infixum quasi porrigentem; Glascuensis etiam ciuitas in huius rei memoriam pro stemmate habet Salmonem huiusmodi necnon & campanam (quæ in hodiernum vsque diem à Glascuensibus asseruatur) quâ vir Dei vtebatur. Nec prætereundum, quod cum totam annonam pauperibus sæpe erogasset, assumpta arena, vice seminis in terram spargebat, & messis tempore triticum optimum terra producebat; omnes hoc audientes Deum in sanctis eius laudare & benedicere solebant. Dum victualia pro fratribus vice quadam non haberet Regulum Cambrensem nomine Martium adijt, penuriam suorum insinuans, vt suam inopiam illius abundantia iuxta Apostoli monita subueniendo suppleret, humiliter petijt. Ille verò ore blasphemo ironicè dixit ad eum : Iacta curam tuam in Domino & ipse te nutriet, quoniam nihil deest timentibus Deúm, sicut cæteros admonere consueuisti. Tu verò cum timeas Deum, & mandata eius obserues omnibus bonis & victu etiam necessario indiges! ego autem qui nec regnum Dei quæro, nec iustitiam eius, omnia mihi prospera & rerum affluentia (vt cernis) arrident. Inanis ergo fides tua, & falsa prędicatio tua comprobatur. At vir sanctus sacrę Scripturæ testimonio & rationum assertionibus & exemplis, multos iustos & sanctos egestate & siti in hoc sæculo affligi, reprobos rerum affluentiâ, honorum fastigijs sæpe sublimari asserebat : pauperes diuitibus patronos fore, quorum beneficijs sustentantur, diuitesque pauperum patrocinio sicut vites vlmi sustentaculo indigere euidenter edocuit. Tandem Regulus eius verba non ferens sic respondit, si confidens in Deo tuo absque humano suffragio, omnia blada quæ cernis in horreis contenta, ad mansionem tuam transferre poteris, libenter annuo, & postulationibus tuis de cætero deuotus obtemperabo. Sanctus Dei eleuatis in cœlũ oculis & manibus, orationem cum lachrymis fudit ad Dominũ. Et ecce eadem horâ fluuius Cluda subtus decurrẽs subitò intumescere, ripas transcendere cœpit, & horrea Reguli integra cum segete vsque ad locum vbi Sanctus manere solebat nomine Mellingdenor secum traxit, & quidem segetes adeò intactæ ab aquis apparebant, vt ne vel minima arista aquis humectata cerneretur. Vbicumque ferè pergebat vel prædicabat, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, furiosis sensum reddebat, dæmonia eijciebat, paralyticos erigebat,

Paralyticos erigebat, leprosos mundabat, & omnes languores curabat. Multoties ex tactu vestimentorum suorum, & crebro particulis cibi & potus eius sumptis, multi ægroti sanitatem consequuti sunt. Aliquoties etiam ex vmbra corporis eius, velut alterius Petri, infirmi curari meruerunt: nunquam vel pluuiâ, niue, vel grandine, vestimenta eius maduerunt, nam dum aëris inclementiâ ingruente, imber validè difflueret, & spiritus procellæ in circuitu eius desæuiret, immobilis quandoque stans, quandoque gradiens ab omni cuiusuis stillæ contactu illæsus semper extitit, & incedebat. Id ipsum etiam turba discipulorum suorũ in eius præsentiâ sæpissimè est experta. Rex quidam Hyberniæ (verba sunt eiusdem fragmenti seu manuscripti Archiepiscopalis Glascuensis bibliothecæ) auditâ Regis Scotiæ liberalitate & munificentia, ioculatorem in arte sua peritum mittens tentare voluit, si famæ latè diffusæ veritas responderet, cumque peracta quadam solennitate munera speciosa ei Rex conferret, & ille accipere renuens, talia in terra sua se satis habere posse assereret, requisitus quid vellet accipere? ait, si vis vt bene remuneratus recedam, detur mihi discus moris recentibus plenus, & timens Rex ne honori eius & famæ derogaretur, si ioculator irremuneratus abiret, cuncta retulit Episcopo Sancto. Et cum hyemis tempus esset, ad Deum preces vir Dei fudit, & demum moris recentibus plenũ ostendit, & tollens discum ioculatori ostendit. Quo viso miraculo, post paucos dies relictâ arte suâ, melioris vitæ viam ingrediens diuino se mãcipauit obsequio. Sanctus Columba in illo Cœnobio quod in Insulâ Huy (quæ vna Hebridum est) in Scotiâ construxerat, virtutibus clarus Sancti viri famam audiens, ad illum venire, visitare, videre, & familiaritatem cum eo agere cupiebat, & cum multâ discipulorum turbâ de monasterio egressus, cum loco appropinquaret vbi S. Episcopus manebat: in tres turmas omnes discipulos diuisit. Similiter & Pontifex suis trifariè diuisis, cum canticis spiritualibus, illis obuiam processit. In primâ turma erant iuniores, in secundâ prouectiores, in tertiâ senes decora canitie venerabiles, & canebant dicentes: In vijs Domini magna est gloria Domini, & via iustorum recta facta est, & iter Sanctorum præparatum est &c. Ex parte S. Columbæ canebant: Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion alleluya &c. Et ait Columba discipulis suis: video columbam igneam in modum coronæ in tertio choro super EpiscopumSanctum descendentem, & lumen claritatis cœlestis super eum: & appropinquantes ad inuicem Sancti in amplexus mutuos & oscula sancta ruunt. In signum quoque mutuæ

dilectionis, alter Sanctorum alterius baculum suscepit, & baculus quem S. Columba contulit Episcopo apud Ripvvn in Ecclesiá S. Vulferi multò tempore in magna reuerentia habitus est. Cum crucem quandam miræ magnitudinis lapideam in Cœmeterio Glascuensi multi viri erigere non valerent, fusa ad Deum Sanctus prece Angelus in nocte de cœlo descendens crucem illam erexit, benedixit, sanctificauit, & recessit: ibi virtute diuina sanitatem perfectam multi postea meritis Kentigerni consequi meruerunt. Aliam crucem in locis illis, de sola arena maris erexit, quam nulla aëris inclementia vsquam dissoluere valuit: vbi varijs languoribus grauati, furiosi, & dæmonijs vexati sanati sunt. Fabricauit autem molendinum super fluuium Cludam, quod nullam annonam furto sublatam vlla ratione molere posset, neque molam aut eius rotam, post horam nonam Sabbati donec celebraretur Dominica dies, aquæ circumducere poterant. Vir Dei nimia tandem senectute confectus, cum neruorum compago pœnè emarcens dissoluta fuisset, quodam subligari lineo, per medium capitis & sub mentum circumducto, mentum & maxillas sustentabat, vt ad proferendum quæ vellet expeditior redderetur. Demum conuocatis discipulis suis, de obseruatione Catholicæ religionis, mutuæ charitatis, pacis, hospitalitatis, lectionis ac orationis, ardenter hortabatur eos. De Sanctorum Patrum & prædecessorum decretis Sanctæque Romanæ Ecclesiæ institutis firmiter custodiendis, fortia dedit ac dereliquit præcepta. Quidam autem qui illum arctius dilexerant cum lachrymis prostrati dicebant: scimus Pater & Domine, quia cupis dissolui & esse cum Christo, sed nostri quæsumus miserere, quos in Christo parturisti. Quicquid humana fragilitate deliquimus semper in conspectu tuo confitentes, ad arbitrium discretionis tuæ emendare curauimus, tibique semper obediuimus. Pete ergo à Domino Iesu vt ex hac valle lachrymarum ad gaudium Domini tecum cõmigrare valeamus. Credimus enim quia quicquid petieris à Deo, dabit tibi Dominus. Graue autem nobis videtur vt Pontifex sine choro, Pastor absque aliquo de grege suo, Pater absque filijs intret ad gaudia Domini sui. Sanctus pietate commotus collecto flatu, vt valuit, dixit: voluntas Domini de omnibus nobis fiat, & sicut melius nouit & ei placuerit, de nobis omnibus disponat: & ecce Angelus Domini cum ineffabili fulgore & claritate apparens circumfulsit eum, & dixit: Kentigerne electe & dilecte Dei exulta & lætare, quoniam exaudita est oratio tua, & præparationé cordis tui audiuit auris diuina, fiet enim tibi super discipulis tuis sicut vis. Cras egrediemini de corpore mortis huius ad vitam,

indeficientem, & Dominus erit vobiscum, & vos eritis cum eo in æternum. Et quia tota vita tua in hoc mundo iuge fuit martyrium, placuit Domino vt mitiorem cæteris hominibus habeas vitæ finem. Fac tibi in crastinum parari lauacrum, in quo ingrediens absque angustia, in manus Dei reddes in pace spiritum tuum. Post te etiā fratres illi lauacrum ingressi, & mortis vinculis absoluti, in splendoribus Sanctorum cœlestia regna tecum penetrabunt. Recedente Angelo miri odoris fragrantia locum & omnes inhabitantes in eo inæstimabiliter respersit. Kentigernus itaque cęterique discipuli (qui maximo numero monasterium illud incolebant) confessione præmissa, & Christi pretioso corpore accepto lauacrum ingrediuntur, & primo quidem Kentigernus ingreditur, qui eleuatis oculis & manibus in cœlum, quasi in placidum resolutus somnum, inclinato capite tradidit spiritum. Extracto autem à discipulis de lauacro corpore, singuli fratrum antequā aqua frigesceret in lauacrum immersi, ad æthereas mansiones cum Patre sancto commigrarunt. Sanctus itaque Kentigernus cum esset centū octoginta quinque annorum (ita enim omnes qui de illo scribunt) anno Episcopatus sui centesimo sexagesimo signis præclarus & prodigijs, Idibus Ianuarij migrauit ad Dominum, ad cuius tumulum in Glascuensi Ecclesia cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, mutis loquela, leprosis munditia, paralyticis membrorum valetudo, furiosis sensus restituitur, impij, sacrilegi, periuri, & pacis, Ecclesiæque violatores, & sancti loci inquinatores, condignâ pœnâ plectuntur. Agunt de S. Kentigerno Arnoldus Vvion lib. 4. ligni vitæ, qui testatur fuisse ipsum Eugenij Scotiæ Regis filium, Molanus in Annotationibus ad 13. Ianuarij. In Scotia (inquit) Sancti Kentigerni Episcopi Glascuensis & Confessoris, Hector Boëtius lib. 9. historiæ fol. 172. pag. 2. Ioannes maior lib. 2. de gestis Scotorum cap. 7. Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis lib. 4. historiæ in Eugenio, Breuiarium Aberdonense citatum, fragmentum etiam Glascuense citatum, preterea Sconensia Chronica, Hunterus etiam in libro de Sanctis Scotis, Du Chesne lib. 5. Historię, & alij qui omnes Scotum esse testantur.

14. die. SAncta Mancina virgo apud Hebridianos miraculorum gloriâ celeberrima. De ea fit mentio in vita S. Columbę floruitque eodem quo ille sęculo.

15. die. BEatus Accas, Actas, Arcas, Episcopus Hagulstadiensis in Anglia, & Candidę Casę in Scotia. De eo agunt Hermannus Contractus ad annum 710. VVestmonasteriensis ad annnum 734. Et alij.

EOdem die Sanctus Bigitanus Episcopus in Scotia. Lesiæus lib. 4. historiæ & alij.

16. die SAnctus Furseus Abbas. De eo agunt, Tritemius lib. 3. de viris Illustribus ordinis S. Benedicti cap. 8. S. Furseus (inquit) Abbas monasterij, quod Chaobhersburg dicitur in prouincia orientalium Anglorum, natione Scotus, genere nobilissimus, verbo & actibus clarus, & signis ac miraculis egregius, per Angliam prædicando multos ab errore ad viam veritatis conuertit &c. Molanus in indiculo SS. Belgij. Furseus (inquit) multis annis in Scotia patria Insula, verbum Dei annuntiauit. Inde omnibus relictis per Britones in prouinciam deuenit Anglorum, vbi nobile construxit monasterium, & prædicatione verbi Dei multos incredulos ad Christum conuertit, & credentes in fide fide & amore Christi confirmauit &c. Beda lib. 3. hist. Eccles. cap. 9. Erat autem, inquit, vir Dei Furseus de nobilissimo genere Scotorum, sed longe animo nobiliore quam carne. Et alij communiter. Vitam hic non appono propterea quod apud Lippeloo habeas fuse descriptam 1. tom. ad hunc diem, & apud Surium ad hunc etiam diem.

EOdem die S. Foillani siue Foilani Inuentio celebratur, teste Molano in indiculo &c. Fuit S. Foilanus frater S. Fursei.

17. die. BEatus Adda primus Apostolus Nordanimbrorum: Regem & magnam illius populi partem sacro fonte lustrauit. Vide Florentium Vvigornien anno 653. Et alios.

18. die. SAnctus Deicola siue Dicullus Abbas Sutrensis discipulus S. Columbani Deicola dictus quasi Dei cultor. Fuit hoc genus monachorum apud Scotos antiquissimum, qui Culdei quasi cultores Dei vocabantur: & sanè si quid fuerit Christianæ fidei, pietatis, sanctitatis, vel sinceræ disciplinæ Ecclesiasticæ apud Scotos primis octingentis annis Culdeis Patribus tribuendum, qui quod sedulò (teste Boetio lib. 6. hist. Scoticæ) prædicationi vacarent, essentque frequentes in oratione ab Incolis taliter sunt appellati quod nomen apud vulgus in tantum inualuit, vt Sacerdotes omnes ad nostra pœnè tempora Culdei vocitarentur. Pontificem inter se omnium suffragio eligebant penes quem diuinarum rerum esset potestas qui deinde vocabatur Scotorum Episcopus. De hoc Sancto vide Petrum de Natal. in Catalogo, Tritemium lib. 3. cap. 61. Tabulas Peronenses quæ testantur fuisse ipsum natione Scotum, Bedam lib. 3. cap. 19. Martyrolog. Romanum ad hunc diem, Molanum ad hunc diem, &c.

Hoc eodem die S. Bothanus Episcopus Dumblanensis in Scotia.

Vide Martyrologium S. Crucis.

19 die BEatus Ioānes Abercrombi mart. cōstans verbis & factis, Catholicę causę assertor, miraculis clarus. Vide Bruni Collectanea. &c.

20 die SAnctus Christianus Abbas Scotorum Herbipoli quo in monasterio nulli vnquam nisi Scoti admissi, vt clarè testantur literæ Alexandri VI. Pont. Maximi ad Reuerendiss. Patrem D. Laurentium Episcopum Herbipolensem super reformatione illius Abbatiæ: literæ autem Pontificis sic incipiunt. *Venerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus, quod in Monasterio S. Iacobi maioris Scotorum ordinis S. Benedicti tuæ diœcesis trans flumen Mogonum non longè ab arce tuâ Herbipoli constituto à primæuâ ipsius Monasterij fundatione solum monachi Scoti recipi possunt &c.* Habentur hę literæ apud Tritemium in Chronico monasterij S. Iacobi apud Herbipolēses. Quod de hoc monasterio dictū est, idem de alijs in Germania monasterijs Scotorum intelligi debet. De hoc Sancto agit Tritemius in Chronico Sponheim. Embrico, inquit, Herbipolensis Ecclesiæ Antistes motus precibus sanctissimi viri Christiani natione Scoti, religione monachi, de monasterio Scotis prope Herbipolim erigendo cogitare cœpit, vnde & Capellam nouam in honorem S. Iacobi Apostoli 6. Idus Iulij, anno 1140 dedicauit &c. Fuit hic Sanctus Abbas ordine secundus huius monasterij. Inter cætera pietatis pręcepta quæ sępe suis inculcabat monachis, istud etiam in extremo spiritu multum inculcasse fertur. Ego quidem, ô filioli & viscera mea, secundùm eloquia scripturarum, quæ didici à SS. Patribus & Prædecessoribus meis, viam vniuersæ carnis ingredior, iam enim Dominus me inuitat dicens, Euge serue bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, iam cupio dissolui & esse cum Christo, iam cupio videre cœlestia. Sed vos ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis, ne feruorem spiritus & mentis coram Deo renouationem vnquam intermittatis, sed quæ retrò sunt obliuiscentes, hodie vos religiosum habitum arripuisse arbitramini, & inchoare vos quotidie credite, vt renouatæ sæpe voluntatis fortitudo succrescat & feruor. Præfuit monasterio annos 26. De eodem vide Tritemium in Chronico monasterij S. Iacobi.

21. die. SAnctus Viminus Episcopus & Confessor qui & Vimius dictus est. Hic Sanctus ex Abbate cuiusdam monasterij Fifanæ prouinciæ in Scotiâ factus est Episcopus, fuit enim apud Scotos primis sæculis in more positum Episcopos ex monachis seligere qui post excursiones varias (nullas enim sibi fixas habebant adhuc diœceses) in præ-

dicando sine sumptu Dei verbo ad monasteria redire solebant, se atributque monachis sub eadem regulâ cohabitare, & spiritualibus pietatis exercitijs ad menses integros secreti, sese recolligere, & gustare & videre quam suauis esset Dominus: quam consuetudinem Aidanum Scotum monachum & postea Episcopum inuexisse in Angliam testatur Beda lib. 4. hist. cap. 27. & in vitâ S. Cudberti vel Cuthberti. Breuiarium Aberdonense & Skonensia Chronica tradunt Sanctum Viminum vt facilius cœlestibus inhæreret cogitationibus à loco illo in quo ob miracula multum innotuerat, sese cum discipulis contulisse in locum qui hodie Halyvvod, id est sacrum boscum dicitur. Verum non habentibus discipulis aquam quam biberent, oratione à beato Vimino ad Deum fusa, fons limpidissimus scaturiuit, cuius aqua ab infirmis hausta ad nostra vsque tempora præsentissimo fuit remedio. Beato Vimino ibi commoranti apparuit Augelus dicens: Vimine viriliter age & confortetur cor tuum in Domino, hunc enim locum ad incolendum præparauit tibi altissimus: Viminus tali confortatus oraculo omnipotenti Deo gratias egit, ibidemque nobilissimi monasterij fundamenta iecit, ex quo viri sanctitate & doctrina insignes prodiere, quibus Ioannes à sacro Bosco (ab illo loco ita dictus) insignis Mathematicus meritò annumerandus est. De hoc Sancto agit Regius in Calendario SS. cœlumque petijsse affirmat anno 615. Extat perantiqua Scotorum, ad S. Viminum oratio, quæ quod Sanctorum cultum apertissimè ostendat hic subijcienda est. Sancti Vimini Præsulis tui & Confessoris inclyti solennia agentes, te Domine suppliciter deprecamur, vt dum tui nominis in honorem, ipsius gesta recolimus, eiusdem pro nobis intercedendo patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

22. die. SAnctus Adalgisus. Mireus & eius vita.

23. die. SAnctus Adamannus Eugenij VI. Scotorum Regis præceptor, fœderis cum Brudæo Pictorum Rege conciliator. Boëtius lib 9. hist. Eius reliquiæ in Morauia conseruabantur, teste Fordano in suâ historiâ.

24. die. SAnctus Foramnanus Archiepiscopus qui adolescentulus adhuc in Scotia in vsu & institutione quorumdam Religiosorum degustata pietate cœpit ad summum eius fastigium à S. Spiritu incitari. Liberalibus disciplinis in tenella ætate dum excolitur pietatis conceptę semina succrescere cœperunt: Deo igitur suauiter omnia disponente postquam ad maturam peruenisset ætatem, & ad Archiepisco-

patus apicem fuisset euectus Scotia egressus Galliam petijt vbi, summam in proximo iuuando diligentiam exhibuit, vbi & prudentia in lucrandis Christo animabus maximam sibi apud omnes authoritatem conciliabat & gratiam. Post reuelatum illi fuit à Deo vt sese in Belgium conferret ad locum Valencourt seu Belleualle (qui latinè Vallis decora dicitur) in patria Namurcensi, vt Comiti Alberto nomine cui in votis erat monasterium erigere assisteret. Profectus ergo in Belgium Sanctus iecit fundamenta Valciodorensis monasterij. Negant aliqui hunc Sanctum Foramnanum eundem cum Foramnano Archiepiscopo Bituricensi natione etiam Scoto, & benè, nam ille iecit fundamenta Valciodorensis monasterij anno Christi 944. hic verò floruit sub annum Christi 1500. teste Democharo in Catalogo Archiepiscoporum Bituricensium, vnde & necessariò fatendum est duos esse diuersos. Vide de hoc Sancto, Molanum in Indiculo, vbi agit de morte S. Eloquij, qui ibi ait fuisse Archiepiscopum Scotorum, vide eundem in Chronicâ recapitulatione SS. Belgij, vbi ait illum in Scotiâ nobili prosapiâ ortum. Vide etiam Gazetum in hist. Eccles SS. Belgij, qui ait illum fuisse natione Scotum additque eundem eduxisse secum ex Scotia duodecim socios, cumque venisset ad mare, nec inueniret paratam nauem, duo ligna in formam crucis dispositâ conspexisse, quæ cum comitibus conscendit, & stupendo miraculo, placido vento acti in Gallias peruenerunt. Plura de vitâ huius Sancti vide apud eundem Gazetum. Molanus eius diem festum ponit 30. April. alij alio die.

15. die. Sanctus Eoglodius Monachus & Confessor, & apud Galouidianos sanctitate vitæ & miraculorum gloriâ celebris: fuit magni illius Columbę socius & Pictorum alter Apostolus. De hoc Sancto vide Ioannem Leslæum Episcopum Rossensem & Hectorem Boëtium in historiâ Scoticâ, Scoti-Chronicon, Brunum, Sinclarum & alios. Alij eius diem festum ponunt 13. Octobris.

16. die Sanctus Conon siue Conanus Episcopus Sodorensis, qui licet in lubricâ adolescentiæ ętate positus, frequens tamen erat in adhibendis Deo precibus, multus in colendis tum pœnitentiæ tum pietatis officijs: sed præcipuè erga Sanctissimam Dei matrem inflammato ferebatur studio, huiusceque Virginis intuitu castitatem mentis & corporis tanto cordis affectu colebat, vt nihil omninò aut in dictis aut in factis petulans aut lasciuum appareret. His ab initijs profecta Cononis virtus eos habuit cum ætate progressus, vt (teste Breuiario Lemouicensi ad 30. Augusti) Fiacrius Eugenij IV. Scotorum Regis filius ab ineunte

ætate vnà cum duobus fratribus à patre traditus sit moribus & literis informandus Conano Sanctissimo Episcopo, cuius doctrinâ tam fœliciter institutus est Fiacrius, vt contempto quocunque huius sæculi honore, Christo militare, & procul ab hominum frequentiâ aliquò secedere in animum induxerit. Porrò Sodorensis Ecclesia, cui S. Conon præfuit inter primas fuit quæ in Episcopalem apud Scotos erecta est sedem, quippe quam Cratlintho Scotorum Rege (Diocletiano Synchrono) erectam constat in Mana Insula (quæ olim Druidum sedes) in qua est oppidum Sodora dictum, à quo Sodorensis Episcopatus. In eadem Insula Cratlinthus Rex à fundamentis extrui curauit sub Christi annum 280. monasterium in quo Regia præsertim, & primarię nobilitatis proles in omni virtute & literaturâ erudiebatur. Translata est postea Sodorensis Sedes à Fergusio 2. Rege in Ionam Insulam quæ Hebridum vna est, in qua deinde duo amplissima Cœnobia extrui curauit idem Fergusius, monachorum vnum, alterum monialium, ex quibus vtriusque sexus sanctitate insignes prodiere. Vide Boëtium lib. 9. historiæ, Breuiarium Lemouicense citatum, Leslęum in hist & alios. De hac vita ad meliorem sublatus est S. Conon sub annum Christi 648. Celebris habetur apud Hebridianos.

27. die. SAnctus Georgius Duræus Abbas Dunfermilensis, Christi hostia effectus laboris sui præmium vitam æternam accepit in cœlis, ait Sanderus lib. 7. de visibili monarchia.

HOc eodem die S. Adamânus Abbas Coludius, de quo vide VVestmonasterien. Ad annum 701.

28. die. SAnctus Beatus primus Apostolus Heluetiorum, S. Petri discipulus. Vide Cratepol. pag. 21. & alios. Eius diem festum alij alio die ponunt.

29. die SAnctus Maxnoloeus Episcopus & Confessor qui adolescentiam vix egressus, eâ erat cum doctrinæ tum pietatis apud suos famâ, quam ipse, excellenti vtpote natura pręditus parique culturę diligentia perpolitus de se facilè poterat polliceri, vt qui præter humaniores literas, quibus peculiari curâ se dederat, eam pręcipuè Sanctorum scientiam (iam prouectior factus) meditandis cœlestibus, & SS. Patrum scriptis lectitandis non calleret modo, sed etiam in tota vita præclarissimè exprimeret. Persamiliaris fuit hic Sânctus S. Berecto ob sanctitatis famam, imò ob miraculorum gloriam maximo fuit in honore apud Mordacum Scotorum Regem, cui inculcabat sæpe vt pacem cum vicinis Pictis & Saxonib us coleret, & iniustitiâ ritè administrâdâ sese impenderet. Quod

deret. Quod & fecit Mordacus Rex, nec hoc solum, sed eius suasu Cœnobium illud cui Cãdidæ Casæ nomen est, Diuique Niniani miraculis illustratum, plurimaque alia pietatis studijs consecrata loca refecit. Hãc vitam post varia sanctitatis suæ signa edita, mutauit cum cœlesti S. Mackneloccus sub annum Christi 733. biennio scilicet à Mordaci Regis morte. Celebris est in Baluenia, Strathdona, & Marria, Scotiæ prouincijs ob miraculorum gloriam. Extant in Marria duæ parochiales Ecclesiæ, scilicet Tunimeg & Logy in S. Makneloci honorem dedicatæ. De hoc Sancto agunt Chronica Sconensia quæ & Volocum nominant, Breuiarij Aberdonensis pars hyemalis, Adamus Regius in Calendario, & alij.

30. die. SAnctus Annichadus, siue Amnichadus Monachus & Confessor vir magnę simplicitatis & solitudinis amantissimus de quo Tritemius in hist. Monast. Hirsaugien. Amnichadus monachus Fuldensis natione Scotus moritur, qui multis annis in eodem Cœnobio pro Christi nomine fuerat inclusus. Vir sanctissimæ vitæ, super cuius sepulchrum noctu lumina visa sunt, & Angelorum psalmodia diuinitus audita. Et in libro de viris illustribus S. Benedicti: Amnichadus (inquit) monachus Fuldensis natione Scotus cum ferueret magno desiderio solitudinis & amoris Christi apud Fuldam monasterium, solitarius fuit inclusus, ad cuius meritum declarandum visa sunt lumina & psalmodia audita super eius sepulchrum & cœlitus missa.

HOc eodem die Sanctus Marianus Scotus Monachus Fuldensis historiographus clarissimus de quo Tritemius in lib. de viris illustribus, quemque vocat idem Tritemius vita & conuersatione deuotum & sanctissimum, & in diuinis scripturis eruditissimum. Testatur Ioannes Maior Doctor Theologus lib. 3. historiæ Scotorum cap. 5. Marianum Scotum decem & septem annis mira vitæ austeritate & opinionis sanctitate ab omnium mortalium contubernio seiunctum, vni Deo, eiusque Angelis vixisse, ieiunijs, orationibus, meditationibus, & scriptioni semper intentum. Natus est Marianus anno Christi 1028. sic enim ipse scribit lib. 3. in Chronico summa cum animi submissione. Ego miser Marianus, in peccatis fui in hoc anno natus: & anno Christi 1052. Ego Marianus sæculum reliqui: & anno Christi 1056. Ego Marianus peregrinus factus pro Regno cœlesti, patriam meam reliqui, & in Colonia 5. feria Kal. Augusti monachus effectus sum. Anno 1056. Ego Marianus indignus cum Sigfrido, (is Fuldensis erat Abbas) aud Vvirzburgum ad præsbyteratũ consecratus media quadragesima 3. Id. Mart.

& feria 6. post Ascensionem 2. Id. Maij inclusus Fuldæ per annos decem. anno 1069 Ego miser Marianus iussu Episcopi Moguntinensis & Abbatis Fuldensis feria 6. ante Palmas, Non. Aprilis post annos decem meæ inclusionis, solutus de clusa in Fulda, ad Moguntiam veni, & in festiuitate septem fratrum secundò includor. Tritemius de eo agens ita loquitur in Catalogo virorum illustrium. Marianus Scotus monachus Fuldensis, ordinis Diui patris nostri Benedicti, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & sæcularium literarum non ignarus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, vitâ quoque & conuersatione deuotus atque sanctissimus emicuit. Hic amore cœlestis patriæ natale solum deserens peregrinus venit in Germaniam, & primùm quidem in monasterio S. Martini Coloniæ monachus factus est: & duobus annis in eodem Cœnobio vitam solitariam inclusus voluntariè duxit: ac deinde translatus ad Fuldam ibidem stetit in inclusorio annis duodecim, quo vsque tandem iussu Archiepiscopi propter sanctitatem & eruditionem euocatus Moguntiam, apud S. Martinum inclusus septemdecim alijs annis vsque ad mortem perseuerauit. Fuit autem computista maximus, & temporis transacti diligentissimus Censor, quod clarissima monumenta quæ edidit probãt à quibus extant subiecta. Volumen insigne Chronicorum ab exordio mundi vsque ad sua tempora, libri tres, de concordia Euangelistarum liber vnus, de computo quoque liber vnus, sermones varij, & plures ad diuersos Epistolæ. Vide de hoc eodem Sancto Hieron. Platum lib. 2. cap. 32. De bono status Religiosi, Sigebertum de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. 160. Cratepolium pag. 105. Volfangum Lazium lib. 7. de gentium aliquot migrationibus, & alios. In Schismate quod inter Imperatorem Henricum IV. & Pontificem Gregorium VII. extitit opinantur nonnulli ab Imperatore, Marianum Sanctum stetisse. Sed hoc ex ignorantiâ sentiunt: falli enim eos monstrat eius ipsius Lectio ab anno CIↃLXXIV. vsque ad CIↃLXXXIII. vbi semper eos, qui Imperatori adhærerent, Schismaticos & hæreticos appellat, ipsumque Põtificem & omnes qui eius venerati sunt sententiam laudat, Catholicosque ac iustos appellat. Vide Serrarium lib. 1. rerum Moguntiacarum. Obijt S. Marianus Moguntiæ & in maiore S. Martini Ecclesiâ sepultus est.

31. die Sanctus Adamannus Abbas Huensis de quo ita Tritemius in libro de viris Illustribus ordinis S. Benedicti. Adamannus Præsbyter & Abbas Scotorum Insulæ Hu, vir in diuinis scripturis valde studiosus & eruditus, vitâ & moribus venerabilis. Pater multorum mil-

lium monachorum fuit: in quibus gubernandis adeò prudenter suauitatem cum efficaciâ iungebat, vt in obiurgationibus suis nihil asperum, iracundum, aut perturbatum (quæ subditorum mentes exacerbare potius quam lenire solebant) vidisses, sed paternam grauitatem pia quadam dulcedine & compassione mixtam, viuidam tamen & efficacem: vnde fiebat vt Religiosi ipsi tentationes omnes suas in eius sinum facillimè deponerent, & vicissim correctiones Adamanni quascunque, tanquam ab amore & visceribus charitatis profectas, repugnãte licet sensu, animo placidissimo & ad oculum feruentissimo susciperent. Buchananus hęreticus lib. 5. hist. Scoticæ ait missum fuisse Adamannũ Sanctum ab Eugenio Scotorum Rege huius nominis quinto ad Alfridum Anglorum Regem (hic Egfrido fratri, qui ab Eugenio V. Scotorum Rege ad Lemirem amnem vnà cum viginti plus minus Saxonum millibus cæsus fuit, successerat) pacis componendæ gratiâ, cuius legationis meminit Beda lib. 5. hist. cap. 16. De hoc Sancto agunt Henricus Canisius tom. 5. antiq. lectio. Adamanni Scoti libri tres de S. Colũba Scoto Presbytero, Confessore & nunc primũ editi, &c. Antonius Possevinus in Apparatu, Adamannus, inquit, Scotus monachus & Abbas monasterij Insulæ Hoyensis in Scotia, Molanus in Appendice ad Vsuardum ad 23. Septemb. Coccius in Catalogo, Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis lib. 4. hist. Scotorum in Eugenio VI. Sigebertus de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. 64. & alij. Scripsit (præter tres citatos libros de S. Columba) librum de sanctis locis, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Iesu Christi, & de monumentis SS. Patrum.

Hoc eodem die S. Modocus Episcopus & Confessor sanctitate vitæ & miraculis clarus in eâ Scotiæ parte quæ ab eodem Kilmodox (quasi locus Modoco sacer) indigitatur. Extat perantiqua ad S. Modocum oratio, præterea nihil. Præsta quæsumus omnipotens Deus vt intercedente beato Modoco Confessore tuo atque Pontifice, ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Vide Breuiarium Aberdonense & Sconensia Chronica.

FEBRVARIVS.

1. die. SANCTA BRIGIDA virgo, cuius vita miraculis maximis claruit. A pueritia sanctitatis operibus dedita fuit. Dum eam parentes nuptui tradere vellent, & ipsa pudicitiam elegisset, postquam in manibus Episcopi corã Deo virginitatem

professa est, lignum altaris tetigit quod statim viride factum est. Quo viso miraculo stupefacti parentes eam Domino commendarunt. Miraculum hoc his versibus descripsit Bandinus Gualfredutius Societatis Iesu parte 1. sacrorum Mensium.

Arida quod tenero reuirescunt robora tactu,
Inque suo viuit stipite vita redux:
Virginea memoranda colas miracula dextra,
Vrentes nunquam senserat illa faces.

Cum autem die quodam messores patris, segetes in agro colligerent, & pluuia maxima erumperet: à messoribus suis imbrem sedauit & circumstantibus agris pluuiâ madefactis sola area patris sicca permansit. Die quadam cum imbre cadente bene madida domum rediisset, & vestes madefactas super Solis radium qui per rimas intrabat, siccandas extendisset, quàsi in solidâ perticâ diuinitùs permanserunt. Aquam in ceruisiam & lapidem in panem conuertit, cæcum etiam à natiuitate illuminauit. Aprum inueniens qui ad oues comedendas venerat: in Christi nomine adeò mansuefecit, vt cum ouibus perpetuò quasi aries moraretur: cum ijs deinceps ad pastum egrediens domumque ipsas vti custos reducens. Dum nouem viri in mortem vnius conspirassent: & eos virgo Christi ab intento pessimo reuocare non posset orauit Dominum vt illorum votis resisteret. Egressis autem illis apparuit imago quædam quasi illius occidendi: quam illi gladijs percutientes hominemque peremisse putantes læti reuersi sunt. Sed dum quod illis contigerat cognouerunt, compuncti ad pedes virginis prociderunt, & pœnitentiam egerunt. Hæc breuiter ex Petro de Natalibus in historia Sanctorum vitam habes descriptam à Lippeloo in vitis Sanctorum, Surio, Cogitoso & alijs.. Esse Scotam testantur omnes pœnè authores Sigebertus Gemblacensis, *Virgo Dei Brigida Scota.* Rodulphus de Breda Tungrensis Diaconus in Calendario generali, *Ex Scotia Brigida virginis.* Antonius Sabellicus enneade 8. lib 2. *In Scotia Brigida virgo nata.* Calendarium Romanum Kalend. Febr. *In Scotia S. Brigidæ virginis.* Ado in martyrologio ad hunc diem, Vsuardus, Beda, Maurolicus, & alij. Vvandelbér. Prumiens. Martyrolog.

Brigida virgo potens Februi sibi prima Kalendas
Scotorum poscit, miro celebrata fauore.

Videantur Massæus in Chronico lib. 12. Petrus de Natalibus loco citato. Franciscus Rosier tom. 3. stemmatum Lotharingiæ, Antonius Possevinus in Apparatu, Surius & Lippeloo citati, Gualterius in Chro-

nologia, Genebrardus in Chronico, Ribadeneira in vitis Sanctorum. Del-rio.2.tom. Disquis. magic. lib. 4. Iacobus Gretserus in præfatione Commentarij Exegetici in Serenissimum Iacobum magnæ Britanniæ Regem. Theuetus lib. 16. Cosmog. in descriptione Scotiæ, qui omnes esse Scotam testantur. Ex nostris pro hac eadem re, vide Boëtium, Leslæum, Maiorem, Fordanum, & alios. Induit monialem S. Brigida in Mona Insula, quæ Regum Scotorum erat sepultura, Boet. lib. 9. Obijt Abrenethi in Scotia vbi corpus miraculis in Canonicorum Cœnobio, multis sæculis claruit, vt ex Ioanne Leslæo, & ex ciuitatis illius regiæ archiuis declarat. Dempsterus in mendicabulis repressis Hibernorum pag 5. & 6. qui ibidem testatur ex Fordano in historia Scotica, Parentes Sanctæ Brigidæ Orcades rexisse, in Cathenesia Scotiæ prouincia domicilium habuisse, & sub Congallo Rege fœliciter Saxones cum Hengisto, ne Insulas occuparent, arcuisse: & denique fuisse sacras reliquiarum S. Brigidę memorias, & partem illius virescentis ligni in Candida Casa, cum hæresi furente sacra omnia prophanata.

2. die. HOdie cœlestia petijt Toparcha Ladilandiæ, à Sathanę Ministris ad martyrium petitus, & in mare actus non simplici defunctus est exitu, plumbeis glandibus à Ministello transfossus & demersus Ailzenæ.

3. die. SAnctus Fothadus Episcopus & Confessor, qui Malcolmo Scotorum Regi huius nominis II. erat à confessionibus & consilijs. Ad principum res obeundas videbatur natus hic Sanctus, adeò rationis consilio omnia ad prudentię normam diligentissimè exigebat, & ad finem altissimum coram Deo erigebat quæque, quo fiebat vt à viris principibus summè dilectus sit, & in conspectu Dei thesaurum inæstimabilem diuinæ gratiæ rectèque factorum congesserit. Circiter annum 1002. grauissima dissidia inter Grimum & Malcolmum Scotorum Principes de iure regni exorta sunt, adeò vt Scotia tota in duas factiones diuisa sibi exitium, hostibus verò prædam pararet optatam. In hoc animorum motu S. Fothadus Episcopus (teste Buchanano lib. 6. historię Scotorum) magna tum apud omnes ob sanctitatis opinionem auctoritate, rem componere aggressus est, sæpeque inter factiones commeando tandem perfecit, vt inducijs in tres menses datis, Grimus in Angusiam, Malcolmus in Cumbriam (quę tum ad Scotos spectabat) secederet, nec cessauit Fothadus Sanctus, donec per eos hæ pacis conditiones conderentur vt Grimius quoad viueret regium nomen teneret, eo verò defuncto Regnum ad Malcolmum rediret: interea communis vtrique

terminus esset vallum Seueri. De Fothado S. agunt Leslæus lib. 5. hist. in Grimo Boëtius lib. 11. historiæ. Du Chesne lib. 9. hist.

4. die **S**Anctus Modanus Abbas Drijburgensis. Hic Dei famulus in Religiosum Abbatiæ Drijburgensis album adlectus sub annum Christi 522. ad pietatem, cœpit animo esse propensissimo, sibique iam inde à principio persuasit, huius vitæ perfectionem eo potissimum vitæ genere, quæ contemplatione & vnione cum Deo alitur, collocandam esse, vnde quotidie senas septenasque orationi tribuebat horas; multus insuper erat in castigando corpore, & in solidarum virtutum sibi acquirendi studio, humilibus ad hęc lubens exercebatur officijs tantà alacritate vt in omnibus rebus dicto superiorum semper audiens, neminem vidisses qui tam facilè alieno arbitratu fingi flectique se sineret: his igitur & huiusmodi à Deo insignibus donis ornatus, S. Modanus omnium consensu in Abbatem Drijburgensem eligitur, electus adeò suauitatem in gubernandis suis subditis cum fortitudine coniunxit vt suauitas non in laxitatem, fortitudo non in rigorem (vt fit sæpe) degenerarent, sed fortitudinem cum suauitate ita prudenter miscebat, vt se non flecti sineret ab eo quod disciplinæ religiosæ spiritum & vigorem conseruare iudicabat, & tamen religiosis ipsis ita compati nouerat in rebus necessarijs, vt hæc non deesse, superflua non adesse, vlla ratione permitteret; sicque erga subditos se gerebat, vt qui reprehenderentur agnoscerent sibique persuaderent, reluctante licet natura, Modanum Sanctum prudentia quæ de sursum est agi, suoque fungi officio ex spiritus S. dictamine. Fuit Drijburgus in quo hic Sanctus egit Abbatem, vna ex celeberrimis Scotiæ Abbatijs non procul à Mailrosa, quas vtrasque, direptis prius rebus sanctis, Rex Angliæ cum suis circa annum 1114. etiam cęsis monachis infirmioribus, qui vel defectu virium vel senectutis fiducia soli remanserant impiè concremauit. De Sancto Modano agunt Chronica Sconensia, Breuiarium Abredonense. Celebris habetur in occidentali Scotiæ parte, vt in Stirlingensi agro, Fal-Kirk, Dumbartane, & Lochgarloch. Solebat præterea Modanus Sanctus post prædicatum hinc inde Euangelium, monasteriorumque quibus præerat visitationem solitudinem quærere, & in altissimas Dumbartanas rupes triginta aut quadraginta dierũ spatio in summa vitæ austeritate meditandisque diuinis scripturis Christique misterijs summa mentis dulcedine tempus transigere. Videantur de eo Leslæus, & Regius: ille in historia Scotica, hic verò in Calendario.

5. die. SAnctus Buo Apostolus Islandiæ, eius diem festum alij alio die ponunt. Videantur de eo Arngrin, Ionas, Nauigatio Anglicana paginâ 304.

6. die. SAnctus Ronanus, quem Beda Ronan & Ronanum vocat, hic Sanctus relicta Scotia Apostolorum limina quæ in summa apud Scotos semper veneratione fuere, inuisenda suscepit. Ex Patria egrediens Angliam pertransijt, vbi disputationi de Paschatis obseruatione duorum Regum iussu susceptæ, interfuisse testatur Beda libro tertio historiæ cap. 27. relicta Anglia Scotiam repetijt Ronanus, & in Insula Hebridarum vna, cui in hodiernum vsque diem à Ronano Sancto, Ronan nomen est, Abbas sanctitate vitæ & miraculis clarus obdormiuit in Domino circa Christi annum septingentesimum septuagesimum octauum, estque in hodiernum vsque diem Sacellum in hac Insula Diuo Ronano sacrum. Fertur scipsisse librum de celebratione Paschæ. De eo agit Regius in Calendario & Episcopum vocat. Agit etiã de eodem Aberdonense Breuiarium & similiter Episcopum vocat.

7. die. SAnctus Tresanus Confessor apud Rhemenses in Campania Galliæ, miraculorum gloriâ celebris. Hic Dei seruus honestis simul & sanctis in Scotia natus parentibus à tenella ętate religiosis viris traditur educandus. Quapropter tanta eius animam cœlestis gratiæ & spiritualium dulcedo rerum possederat, vt iam tum loca ab omni strepitu remota quæreret vt liberius Deo, omnium creatori inseruiret; cumque multa ad id assequendum in paterna domo obstacula cerneret, cum sex fratribus, tribusque sororibus relictâ Scotiâ in partes Galliarum venit: audierat enim Dominum dicentem Abrahæ: Egredere de terra & cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Elegitque secretum locum ad habitandum vt Deo soli militaret secretius, quo posset scandere cœlestia liberius. Erat enim prędictus Dei famulus literarum ignarus, sed quamuis idiota, cultor Dei deuotissimus. Sed quia cum diximus cum sex fratribus & tribus sororibus in Galliæ aduenisse fines, vt eorum nomina recitentur dignum duximus: fuerunt itaque fratres, Gibrianus, Helanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus: & sorores, Frauda, Promptia, Possenna. Hi sex fratres cum tribus sororibus in Dei vocantis laudibus terrena despiciebant, ad cœlestia anhelabant, peritura contemnebant, & æterna desiderabant, itaque sancto viro pro eo quod erat idiota incidit cogitatio sancta, vt famulatu corporeo cibum quæreret, quem in Ecclesiastico ministerio habere non posset: adhæsit vni regionis incolarum in pago scilicet Rhemensi super

Matronam fluuium. Et cum vidisset eum Dominus eius francigenæ linguæ pœnitus ignarũ, commisit illi curam porcorum, quod ille humiliter suscipiens & fideliter exequẽs non immemor apostolici præcepti, serui subditi estote in timore Domini, vigilabat supra gregem & à prauis cogitationibus custodiebat mentem. In eo ergo loco Dei famulus, qui dicitur Montiniacus, vbi & est Ecclesia beato Martino dicata, cum Sacerdos expleret Matutinorum & Missarum solemnia, aderat S. Tressanus ad fores Ecclesiæ cupiens discere Ecclesiasticæ regulæ ministerium. Pius ergo Dominus qui custodit diligentes se, videns famulum suum sibi deuotissimum instruebat eius animam peritia literarum eumque ornabat multitudine virtutum. Antiquus ergo hostis qui non cessat persequi famulos Christi, incitauit homines proximi loci qui dicitur Agenis & inuidiæ stimulis accendit: qui cum audissent quadam die beatum Remigium aduenisse in villam quæ dicitur Villaris in sylua, adeunt præfatum Pręsulem rustici, queritantque Tressanum virum genere Scotum, vineas suas vastasse, campos & prata depascere, omniaque sua deripere. Sanctus autem Remigius Tressanum accersit, causam inquirit, vt Tressanum inculpabilem agnouit accusatores & inuidos à se repulit, Tressanum verò verbis dulcibus consolatum à se dimisit, suaque benedictione signatum abire permisit. Sanctus igitur Tressanus colligens in vnum, gregem porcorum, dum reduceret ad domos possessorum suorum stetit in loco qui hodie dicitur mons Sancti Tressani, aspiciensque locum qui dicitur Agenis: vos, inquit, qui me apud summũ Dei Sacerdotem mendaciter accusastis, postquam triginta annorum circulum transieritis, nunquam in ſęcularibus pecunijs crescatis. Melius enim est in hoc ſęculo puniri, quam in futuro sine fine cruciari. Volens ergo Dominus ostendere populis quod exaudiret vocem serui sui, adimplet in pręfatorum inuidorum sobole quod Sanctus prędixerat, & constat, quod postquam transierunt tricesimum ætatis annum egestate laborarent, indigere & mendicare cœperunt. Paruo autem interuallo temporis transacto Sanctus Tressanus Landunum petens, Sanctum Pontificem Genebandum adijt, & vt à beato Remigio ad sacros ordines promoueretur humiliter postulabat. Sanctus Genebandus videns viri Sancti bonum desiderium, eumque in modico tempore non mediocriter literis eruditum, perrexit ad Sanctum Remigium, desideriumque viri iusti pandit, & quod suppliciter pro eo petit velociter impetrauit. Statutis ergo temporibus à beato Remigio ordinatur Sãctus Tressanus, ab electo eligitur, à Sancto sanctificatur, & vt inseruiat sacris Christi altaribus permittitur.

permittitur. Quantū vero in Dei famulatu se exercuerit, corpus ieiunijs attriuerit, vigilijs & orationibus indesinenter inhæserit, pauperibus eleemosinas largiter distribuerit, sæculum contempserit, opera diaboli odio habuerit, Christum toto corde dilexerit difficile fuerit enarrare. Igitur ad ordinem sacerdotij promotus Sanctus Tressanus elegit locum super Matronam fluuium qui dicitur Marogilus, in quo est Ecclesia beato Hilario Pictauiensi Episcopo dedicata. Hanc elegit ad seruiendum Deo, ad sacrificandum Regi altissimo. Est præterea prope locum illum Ecclesia in honorem beati Martini Turonensis Præsulis consecrata, vbi similiter diuinum complens officium, immolabat Deo sacrificium laudis. Cum autem ibi prædictus S. Tressanus moraretur, & se totum mā ciparet diuino cultui, accessit ad eum quidam eiusdem loci incola apud Sanctum confiteri peccata sua volens, & vt pro se ad Dominum preces funderet humiliter implorans, cumque varia beneficia à Deo intercessione Sancti Tressani se accepisse experientiā didicisset, statuit pratum quoddam quod habebat Deo consecrare. Hoc ergo pratum est infra terminos villæ quæ dicitur Agenis, & ex nomine Sancti nomen obtinuit. Huius beati viri merita quam Deo grata & acceptabilia fuerint demōstrant miracula quæ per eū in vita sua sunt mirabiliter operata. Euigilans semel post somnum vidit baculum suum viriditati pristinæ restitutum, & cortice folijsque viridibus ornatum, qui hucvsque per tot annorum curricula durat. Quodam tempore quidam incola prædictæ villę præfatam arborē præscidit, sed non terrà tenus truncauit: quā cum voluisset aptare fabricæ domus suæ morbo corripitur, septimaque die post perpetrationem sceleris miserabiliter moritur. In radice prædictæ arboris eâ horâ quâ solo infixit eam vir Dei ortus est fons miræ dulcedinis qui decurrit vsque ad imum montis. Hoc præfatus Sanctus vt vidit Deo gratias retulit & de fonte bibit petijtque à Deo vt nulli hæc aqua noceret, sed potius omnibus esset vtilis, & sane in hodiernum diem nihil furto sublatum aqua fontis huius potest coqui. Quodam etiam tempore quædam fœmina prædictæ villæ volens in prædicto fonte vestes suas abluere, quod cupiebat non potuit implere, nam vt prædictas vestes in aquam misit factus est fons rubei coloris in similitudinem sanguinis de corpore humano prodeuntis. Plures itaque laborantes febribus tertianis aut quartanis eò adueniebant, de fonte bibebant, & salutem recipiebant. postquam ergo his & huiusmodi signis Redemptor mundi merita serui sui in hoc mundo publicasset ad honorem nominis sui & gloriam, de carcere huius sæculi eum vocare decreuit. Itaque vir San-

ctus Tressanus infirmitate corporis prægrauatus lecto decubuit & vsq; ad extrema deductus finem corporis sui imminere persensit. Cõuocauit itaque Sacerdotes & sacri ordinis Ministros oleumque sacræ reconciliationis expetit: & cum cordis intima contritione & spiritus humilitate suscepit. Confortans autem fratres, aiebat, confortamini in Domino fratres charissimi & in fiducia bonitatis eius ambulate, bonus quippe Dominus diligentibus se. Quæ postquam expleuisset viaticum petijt, quo ante se lato surgens è lecto & prostratus humi, dixit corde deuotissimo, Aue fidissima spes nostra, Aue sancta redemptio nostra, Aue caro Christi sanctissima & super mel & faum dulcissima, quo dicto corpore Dñi pretioso percepto repositus in lectulum oculis & corde intentus in coelum Sanctum emisit spiritum penetrans regnum sine fine mansurũ: eadem vero hora qua sancti viri beata anima est carcere corporis soluta tanta odoris flagrantia ibi mox affuit qualem nullus omnium qui ibi aderant vnquam antea senserat. Nec mirum neque incredulum, quippe qui in hoc sæculo per bona opera bonus odor fuit Christi in omni loco. Postquã igitur beatus Christi Sacerdos Tressanus corpore exutus mundum dimisit & ad cœlestia transiuit. Sacerdotes & hi qui eius morti adfuerunt de corporis sepultura tractare cœperunt, proposueruntque vt sepeliretur Marogilis in Ecclesia Sancti Hilarij in qua militauerat multis diebus. Volentes leuare feretrum nihil proficere potuerunt, propositum est ergo vt ferretur ad Altuillarense cœnobium, sed hoc tentantes secundum laborem similem priori repererunt. Sapientiori autem consilio Deo inspirante concepto propositum est, vt plaustro corpus imponeretur, duæque bubulæ iungerentur, & secundùm Dei voluntatem à bestijs ad locum sepulturæ duceretur. Legimus enim in libro Regum, Arcam Domini Satrapas Philistinorum plaustro nouo imposuisse vaccasque ad plaustrum iunxisse: ita & hic vir Sanctus Ecclesiæ filius & Ecclesię seruus, ab Ecclesię doctoribus flentibus & psallentibus ducebatur ad locum quem disposuerat Dominus. Erat namque in proximo, locus qui dicitur Aueniacus vbi aduenerunt bubulæ plaustro iunctæ cum Sancti corpore, steteruntque immobiles nullo modo longius procedere volentes. Quod videntes Sacerdotes cognouerunt Domini esse voluntatem vt ibi sepeliretur Sacerdos cuius sancta anima iam penetrauerat cœlos. Ibi ergo sepelierunt corpus Sancti Sacerdotis in die iudicij in gloriam resurrecturi, Præstante Domino nostro Iesu Christo cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Hæc fere ad verbum ex codice monasterij Sancti Remigij apud Rhemenses. Vide Bœtium lib. 9. Flodoardum &c.

EOdem die Sanctus Augurius vel Augulius siue Aulus. De eo videantur Constantinus Guinius, vita Dernargillæ. Reliquiæ Dundrani in Brigantibus asseruabantur.

8. die. SAnctus Burchardus Episcopus Herbipolensis. Alij alio die eius diem festum ponunt. De eo videantur VVolf. Lazius præfatione ad migratio. gent. Dempsterus & alij.

9. die. SAnctus Erehardus vel Erchardus, Confessorqui cum Hildulfo & Alberto fratribus Germaniam prædicandi Euangelij causa petijt, nullam ibidem bene merendi de proximis occasionem prętermittens, & sane tanta de huius Sancti Sanctitate & doctrina fama creuerat, vt ad eundem varijs morbis laborantes deferrent multi, quod cum videret Sãctus Regio-Noburgum aufugit, ibique monasterio prępositus & editis miraculis pluribus ac vitæ innocentiæ clarus ex hac vita migrat. De eo videantur Pãtaleon parte 1. Prosopographiæ & Marcus Velserus lib. 5. Boicar. rerum ad annum 753.

10. die. SAnctus Erlulpus Martyr & Episcopus Verdensis. De eo Damochares in Catalogo Episcoporum Verdens. lib. de sacrificio missę ita loquitur. Sanctus Erlulpus Scotus Martyr in loco Eppeæstorp. &c. Relictà Scotià exemplo aliorum Scotorum quos Carolus Magnus post initum fœdus cum Achaio Scotorum Rege ad conuersionem Saxonum euocauerat è Scotia, eo omnia sua consilia conferebat, vt Saxones in Germania lucri faceret Christo. Fuit hic Sanctus ordine decimus Verdensis Ecclesiæ Episcopus. De eo videantur Crantzius lib. Motropol. cap. 30. Pantaleon & alij.

11. die. SAnctus Betta primus Apostolus Merciorum. Alij alio die eius festum colunt. Videatur Florent. VVigorniens. ad annum 653. pag. 560.

12. die. SAnctus Maneteus Abbas, celebris habetur in Hebridibus Insulis præcipuè in Iona Insula. Fit eius mentio in vitâ S. Columbæ claruitque sanctitate & miraculis eodem quo Columba tempore.

14. die. SAnctus Bernardus Apostolus Edessanus, bello sacro copias Scotorum duxit. Scoti-Chronicon & alij.

15. die. SAnctus Conranus vel Conrannus Episcopus & Confessor qui Orcadensium animos (exemplo Sancti Palladij Scotorum Apostoli, Sernani & Kentigerni, quibus Orcadensium salus mirificè cordi fuerat) cum ad omnem Christiani officij fidem tum ad mutuam inter se cõcordiam & animorũ vnionẽ inflammabat. Oppida & vicos in

prędicandoDei Euangelio pedes obibat,& si quid a prędicatione Euangelij superesset otij, id omne varijs animarum remedijs per colloquia sancta de Deo impendebat, in subleuandis etiam corporibus pauperum præcipuè & orphanorum suscepta cura: quibus in laboribus exacto die, de necessaria sibi noctis subducebat quiete, quod precibus & orationibus pro suo grege cum Deo tribuebat. Huiusmodi pietatis officijs exactis, sese recipiebat ad Culdeorum monasterium in Pomonia (Scoticè Kirkuual quæ omnium Orcadum Insularum maxima est, patet enim in longum triginta ad minimum millia passuum excurritque tota in promontoria altissima) ibique ad tempus manebat. Magnâ sanctitatis famâ floruit apud Orcadenses Conranus. De eo agunt Leslæus lib. 4. historiæ Scoticæ. Arnoldus VVion in additionibus in lib. 3. Ligni vitæ. Regius, & alij.

15. die. Sanctus Erualdus Martyr, Apostolus Franconię in Germania vbi non inutiliter in prædicandâ Christi doctrinâ tempus exegit magno populi accedentis ad Christum plausu & numero, vnum illud crucis amatorem Erualdum angebat, quod martyrium subeundi pro Christo deesset occasio, quo si diu careret, videbatur non fideliter militare Christo Domino, quod & ipsum affirmabant Erualdi socij è Scotiâ in Germaniam cum ipso progressi; quos, deuotio singularis & sitis ipsa Martyrij traxit vt se mitterent in laborem ad brauium supernæ vocationis. De hoc Sancto videantur Crantzius lib. 1. cap. 9. &c. Tritemius de viris illustribus ordinis Sancti Benedicti.

16. die. Sanctus Tanco Episcopus Verdensis (sunt qui Tatto scribant) & Martyr de quo ita Crantzius in Metro. cap. 22. lib. 1. Tanco tertius Ecclesiæ Verdensis Pontifex, Scotus & ipse natione, & in eadem prouincia monasterij Abbas Amarbaricensis in vtroque loco Pattoni succedens, & ipse pro diuina religione peregrinatus, dignum locum in quo Christo militaret, exoptans in feroci gente coronam capere martyrij. Vir planè Apostolicus qui cum in efformandis Saxonum moribus ad Christum, & Catholica religione plantanda nullis laboribus parceret, nec partem vllam quietis caperet, rebus conficiendis arduis & operosis, quæ vt plurimùm in conuertendis Ethnicis intercedũt; ex alterâ verò parte innumera ferret incommoda quæ oppressa per id tempus bello Caroli Imperatoris Saxonia augebat: post incredibilem animarum messem tot laboribus partam, cupiens dissolui & esse cum Christo, Martyrij palmâ donatus est circa Christi annum 815. illud sæpe repetens: Domine Iesu ne statuas illis hoc peccatũ. De hoc Sancto

videantur Crantzius loco citato, Leslæus lib. 5. historiæ. Arnoldus Vuion & alij.

17. die. SAnctus Finnanus Episcopus & Confessor. Vir diuinæ gloriæ percupidus & alienæ salutis sitientissimus, cuius conuersatio perennis in cœlo, vsusque perpetuus cum Christo Domino, Virgine, Angelis, quicquid ei accidebat mente continuò ferebatur in cœlum gratiasque de omnibus agebat Deo, tantaque in eius dictis vis, existimatio & pondus quoddam inerat, vt omnium cum quibus ageret compleret pectora pietate, quo factum vt Sigbertum orientalium Anglorum Regem (teste Beda lib. 3. cap. 22.) primo congressu ad fidem Catholicam derelictis Idolis tradaxerit, & Pendum Mediterraneorum etiam Regem Anglorum cum omnibus qui secum venerant comitibus ac militibus eorumque famulis vniuersis (teste Beda lib 3. cap. 21.) Baptismatis sacramento primus initiaret; Diumam gentilem suum & virum Apostolicum Episcopum crearet, & Mediterraneorũ Anglorum simul & Merciorum populis præfecerit, Cedam orientalibus Anglis in Episcopũ dederit. De hoc Sancto videantur Beda citatus, Arnoldus Mermannius in Theatro conuersionis Gentium, Leslæus lib. 4. historiæ, Maior lib. 2. de gestis Scotorum, Breuiarium Abrædonense in parte hyemali, Regius in Calendario, Tritemius & alij.

EOdem die Sanctus Fintanus Confessor. Alij Finanum seu Sinanum vocant. De eo ita loquitur Romanum Martyrologium ad hunc diem. In Scotiâ Sancti Fintani Præsbyteri & Confessoris. Ex Culdeorum Patrum numero fuit. Paupertati fertur fuisse addictissimus, non solum vt interdum fit rerum tolerando penuriam patienter, sed etiam recusando earumdem copiam frequenter, quod primis illis Culdæis Patribus in prædicando Dei verbo familiare fuit, vt potè qui Apostolicam ducerent vitam. Orationibus assiduis, vigilijs, ieiunijs seruiendo, verbum vitæ quibus poterat prædicando, cuncta huius mundi velut aliena spernendo, tantùm quæ victui necessaria videbantur, ab eis quos docebat, accipiebat. De hoc Sancto vide Vsuardum in Martyrologio ad hunc diem, Posseuinum, Regium, & alios.

18. die. SAnctus Colmannus Episcopus & Confessor paternarum traditionum & auitæ religionis tenacissimus, quod cernere est in disputatione illa de Paschate ad annum 564. de quâ videatur Beda lib. 3. hist. cap. 27. post disputationem in Angliâ habitam, relictâ Angliâ Scotiam repetijt & primò venit in Insulam Huy vnde erat ad prædicandum verbum Dei Anglorum genti destinatus, deinde secessit ad

T 3

Insulam quandam exiguam quæ sermone Scotico Insula vitulæ albæ nuncupatur (quam puto esse quæ hodie Calfa vocatur in Septentrione Orcadum collocata) in quam perueniens construxit monasterium & monachos inibi tam Scotos quam Anglos quos secum adduxerat, collocauit: qui cum inuicem concordare non possent quæsiuit Colmannus huic dissentioni remedium & circumiens omnia propè vel longè inuenit locum in Hybernia Insula nomine Magio (vocat Beda lib. 3 cap. 4. dum hoc describit Scotiam Hyberniam, nam constat Magio, Orcadum Insularum vnam esse, & in hodiernum vsque diem ad Scotos spectare) aptum monasterio construendo, & Anglos ibidem collocauit, relictis in Insula Vitulæ Albæ Scotis. Totam hanc historiam narrat Beda loco citato qui lib. 3. cap. 27. charitatem eximiam Scotorum in docendis & erudiendis Anglis obiter perstringit. Erant (inquit) ibidem eo tempore multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum qui tempore Finnani & Colmanni Episcoporum relictâ Insulâ patriâ, vel diuinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratiâ illò secesserant. Et quidem quidã mox se monasticę conuersationi fideliter mancipauerunt, alij magis circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant, quos omnes Scoti libentissimè suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum & magisterium gratuitum præbere curabant: hæc Beda. Magna fuit Colmannus in authoritate apud Ferchardum Scotiæ Regem hoc nomine secundum, quem & intrepidè admonuit vt à flagitijs quib⁹ erat addictus abstineret, sed frustrà: Communione tamen Christianorum Colmanni authoritate exclusum Regem Proceres Regni punire volentes, inhibuit Sanctus Episcopus, eosque prudenter & religiosè admonuit, *In vnctum Domini manus inferre impium esse, & à diuinis mandatis alienum*: & sanctissimè, quid enim magis impium quam manus violentas in Regem superiorem & Dominum inijcere? deinde Prophetico spiritu prædixit Colmannus Deum tot scelera acerrimè in Ferchardo vindicaturum; quibus sanctissimi Colmanni verbis (inquit Leslęus lib. 4. hist.) euentus fidem fecit, nam paucis post diebus, cum animi gratiâ Rex venaretur, Lupus Regis latus dente petiuit, vnde abiecta spe omni recuperandæ sanitatis, cœpit pristinæ suæ vitæ eluendæ rationem inire. Ad sese ergo rediens, diuinam vltionem iustam confirmare, multisque lachrymis D. Colmannũ obtestari, vt anathematis vinculo quo obstringebatur illum liberaret. Quod cum fecisset Colmannus, Rex sacris Ecclesiæ Sacramentis munitus, vitam placidè cum morte commutauit, Anno regni sui duodecimo. Fuit hic

Sanctus amantissimus paupertatis Euangelicæ quam in Colmanno & cæteris etiam Scotis qui in Angliam ad prędicandum Euangeliũ Christi causa processeruut mirificè laudat Beda lib. 3. hist. cap. 27. quem consule. Vide etiam Regium in Calendario, Sigibertum in Chronicis, Tritemium de viris illustribus ordinis Sancti Benedicti, Maiorem lib. 2. hist. Scoticæ, Leslæum lib. 4. Boëtium lib. 9. hist. Surium, & alios.

EOdem die passa est Martyrium Maria Stuarta Serenissima Scotorum Regina quæ ob Catholicæ fidei constantiam & inuictum contra hæreticos animum, dono & pollicitationibus impijssimæ Iezabelis Elizabethæ Anglorum Reginæ in Angliam pellecta, post viginti annorum incarcerationem & longum quasi martyrium hoc die cruento martyrio coronata est. De quà Baronius Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalis illustrissimus tomo 5. Annalium ad annum 429. ex occasione Scoticanæ Ecclesiæ sic loquitur: Qui igitur (de Scotis sermo est) Euangelium primo à Victore Pontifice Maximo accepere eâtenus Christi gratiâ profecere, vt postea omnium prętantissimi euaserint Christiani, Christianamque fidem summâ diligentiâ excolentes, Apostolico munere (vt suo loco dicturi sumus) in exteras gentes longè positas latissimè atque locupletissimè propagarint. Porrò eandem Ecclesiam nobilissimam hoc nostro sæculo Deus tentari permisit vt Christianæ constantię præclarissimum specimen ederet, cum inter alios martyres, habere etiã meruit (quod nulla hactenus christiana gens habuit) ipsam Reginam catholicæ fidei eximium decus & ornamentum, diutissimà confessione in carcere ante probatam, & nobiliori coronâ martyrij auctam. Hæc Baronius cui subscribit Bozius lib. 22. de signis Ecclesiæ cap. 3. signo 21. Christus (inquit) hoc maximum laudabilissimumque bonum dedit Septentrioni, vt Scotia haberet Reginam Martyrem, Regis filiam, coniugem, & matrem: hoc sanè bono nullum regnum sese efferre toto orbe potest. Vide ea quæ superius de hac Serenissimâ Reginâ dicta sunt, vbi & eius Epitaphium cultissimum ab VRBANO 8. nunc Summo Pontifice compositum lectori subieci. Iam vt meæ in illam deuotioni satisfaciam aliud hic ego subijciam.

Regibus orta, dedi Reges, Reginaque vixi,
Ter nupsi, tribus orba viris, tria regna reliqui,
Gallus opes, Scotus cunas, dedit Angla sepulchrum.

14. die BEatus Bodeca seu Dudoco Episcopus Bathoniensis. Alij alio die eius festum ponunt. Videantur Franciscus Goduinus, Scoti-Chronicon, & alij.

20. die. SAnctus Cælius Sedulius Episcopus Dei amans cognomento. Alij diem eius festum ponunt decimo tertio Iunij. De eo vide Gropperum de Sacramento Altaris pag. 460. Gennadiū, Gesnerum, Simlerum, Antonium Nebrissensem, & alios.

HOc eodem die Sanctus Coganus Abbas. Fuit hic Sanctus Sanctę Kentigernæ frater. De eo agit Aberdonense Breuiarium in vitâ Sanctæ Kentigernæ ad septimum diem Ianuarij.

21. die. SAnctus Chunialdus Præsbyter & Confessor: fuit is socius peregrinationis & meriti magni illius Ruperti Salisburgēsis Ecclesiæ Antistitis, in cuius die translationis quæ ad octauum Kal. Octob. fit, celebratur etiam pia Chunialdi memoria, licet in Scotiâ hoc coleretur die.

22. die. BEatus Brixius Episcopus Morauiensis. De eo videatur Scoti-Chronicon lib. 9. cap. 37.

23. die. SAnctus Boisilus Confessor & Abbas Mailrosiæ in Scotiâ, cui crebra fertur in ore fuisse Sanctæ Trinitatis & augustissimi Iesu nominis vsurpatio ex redundantiâ pietatis solidæ erga Christum Dominum, de quo tam tenero mollique animo tamque vberi fletu cogitabat & loquebatur, vt in fletum ipsos quoque auditores & inspectores adduceret, illud sępe tenerrimo animi sensu repetens, Quam bonum habemus Iesum. De hoc Sancto agit Tritemius lib. de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 126. Extant adhuc in Scotiâ prope Tuedam fluuium huius monasterij vestigia. Fuit hic Sanctus Sancti Cudberti pręceptor, eumque fuisse Prophetiæ dono insignem testatur ipse Sanctus Cudbertus apud Bedam in eius vitâ ad vigesimum Martij. Qui cum Cœnobitarum vitam affirmasset admirandam quod Abbatis per omnia subijcerentur imperio, & ad eius nutum cuncta, vigiliarum, orationis & ieiunij momenta moderarentur, subiungit. Quorum plurimos noui paruitatem meam longè & munditia mentis & culmine gratię prophetalis anteire, è quibus est venerabilis & cum omni honorificentiâ nominandus Christi seruus Boisilus, qui me in Mailrossensi monasterio quondam senex adolescentem nutriebat, & inter nutriendum, cuncta quæ mihi erant ventura, prophetica veritate prędixit, & vnum tantummodo restat ex omnibus ab eo mihi prædictis, quod vtinam nunquam impleatur, &c. Magno ferebatur hic Sanctus deuotionis affectu in legendo S. Ioannis Euangelio quod septem quaternionibus distributum successiuis legebat horis. Sanctum Cudbertum religiosorum Mailrossensium precibus à graui morbo liberatum in sanitate confirmauit & non amplius

non amplius morbum illum mansurum Prophetico spiritu longè antea prædixit, teste Beda in vitâ Sancti Cudberti. Vides frater (aiebat) quia liberatus es, à molestiâ qua laborabas: & dico tibi ea vltrà iam tangendus non es neque hoc moriturus in tempore: simulque moneo vt quia me mors vicina præstolatur, discere à me aliquid quamdiu docere valeam non omittas; Non enim plusquam septem dies sunt quibus mihi sanitas corporis, & linguæ suppetat virtus. Respondit Cudbertus nihil hæsitans de veritate dictorum ipsius: & quid rogo optimum est legere quod tamen vnâ valeam consummare septimanâ? at ille, Ioannem, inquit Euangelistam (ex cuius frequenti lectione erga Iesu nomen singulari ferebatur affectu) est autē mihi codex habēs quaterniones septem, quos singulis diebus singulos possumus Domino adiuuante legendo & quantùm opus est inter nos conferendo percurrere; quā ideò lectionem tam cito explere volebat, quia solam in ea fidei quæ per deuotionem operatur, simplicitatē, nō autem quęstionum profunda tractabat. Completâ ergo per dies septem lectione, memorato morbo correptus, vir Domini Boisilus diem peruenit ad vltimum, & hoc magnâ exultatione trāscenso ad gaudium lucis perpetuæ intrauit. Magna huic Dei famulo etiam post mortem cura fuit Scoticanæ Ecclesiæ, vt pote qui Egbertum Sanctum gentilium ad Christum conuersionem, opus licet angelicum non modo meditantem, sed etiam conscensâ naui vnâ cum duodecim viris Apostolicis iter ingressum tempestate iniectâ deterruerit, ac Hoyensis Insulæ monasteria Diuo Columbæ sacra potius inuisenda & de Paschatis obseruatione legitima edocenda diuino iussu imperarit. Visionem vero ipsam refert Beda lib. 5. hist. cap. 10. his verbis. Cum expletis hymnis matutinalibus (loquitur ille cum visio facta est) in lecto membra deposuissem, ac leuis somnus mihi obrepsisset, apparuit magister quondam meus & nutritor amantissimus Boisilus, interrogauitque me an eum cognoscere possem. Aio etiam, tu es enim Boisilus. At ille; ad hoc inquit veni, vt responsum Domini Saluatoris Egberto afferam, quod te tamen referente oportet ad illum venire. Dic ergo illi quia nō valuit iter quod proposuit implere: Dei enim voluntas est vt ad Diui Columbæ monasteria magis docenda pergat: erat enim Columba primus Doctor fidei christianę transmontanis Pictis ad aquilonem, primusque fundator monasterij quod in Hu Insula, Scoticè Hoy multis diu Scotorum Pictorumque populis venerabile mansit (fuit quippe vsque ad Malcolmi tertij Regis tempora Scotorum Regum Mausæolum). Audiens autem verba visionis Egbertus, præcepit fratri qui hæc retulerat

ne cuiquam hæc alteri referret. Egberto verò hanc visionem negligente apparuit secundò Boisilus dicens, quare tam negligenter ac tepidè dixisti Egberto quæ tibi dicenda præcepi ? at nunc vade & dic illi quia velit nolit debet ad monasteria Columbæ venire, quia aratra eorum non rectè incedunt (die quippe Paschatis secundum Romanum ritum ex ignorantia terram scindebant aratro) oportet autem eum ad rectum tramitem eos reuocare, & licet iam secundò Boisilus Sanctus, Egbertum officij, iussu diuino admoneret : nihilominus tantus huic Sancto inerat animarum zelus, vt nauim cum duodecim discipulis ex Hebridibus Insulis soluens conscenderet, sed frustrà nam vi tempestatis in periculum actus reuersus est ad dilectæ locum peregrinationis & solito in silentio Domino vacare cœpit : & quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis amplius virtutum exemplis prodesse curabat. Porrò cum Beda reuersum dicat in dilectæ locum peregrinationis, certum est ad celeberrimam illam Insulam Orcadum cui Magio nomen redijsse, & monasteriorum quæ in Orcadibus & Hebridibus Diuo Columbæ erant dicata curam de obseruando Paschate suscepisse : testatur quippe Beda lib. 4. cap. 4. Sanctum Colmannum Episcopum Anglis monasterium in Insula Magio quæ vna est Orcadum ædificasse. In extremis constitutus Boisilus Sanctus, supremis monitis Mailrossenses instruit scilicet vt gratias agerent summas de religiosę dono vocationis, vt à iudicio proprio tanquam à capitali hoste etiam atque etiam cauerent: orationem cordisque puritatem ad virtutis culmen viam esse breuissimam aiebat. Hæc & similia documenta inculcans, pestilentiâque (qua se moriturum longè ante prædixerat) interiora depascente, illud Diui Stephani Domine Iesu suscipe spiritum meum sępe repetens, obdormiuit in Domino. Agit de Boisilo Beda citatus, & post ipsum Ioannes Maior lib. 2. de gestis Scotorum cap. 12. quem consule.

24. die. SAnctus Berectus Monachus & Confessor, qui profuit & vitę sanctissimæ exemplo & prædicatione. De eo agunt Vvion lib. 3. pag. 59. Galesinius ad hunc diem, & alij. Eius consilio narratur Mordacum Scotorum Regem ordine 59. Scotiam in summa pace, subditorum gaudio & commodo, annos rexisse multos. Præter cæteras huius Sancti virtutes magna illi fuit animarum zelus, in summisque se habere delitijs aiebat, si Deo suo vel vnius peccatoris animam lucri faceret. Esca quippe iustorum (vt bene Sanctus Gregorius lib. 31. Moralium cap. 22.) est conuersio peccatorum. Vitam hanc cum beatiore mutauit, Anno Christi 720.

25. die. SAnctus Cailtanus Abbas. De eo vide Adamannum lib. 1 cap. 17. & alios.

26. die. SAnctus Ioannes Scotus discipulus Sancti Galli & postea Constantiensis Episcopus. Fuit is monachus in Scotia ordinis Sancti Benedicti, cuius Patriarchæ Sanctissimi institutum multa habuisse monasteria in regno Scotiæ testatur Miræus in orig. Benedic. cap. 81. Multosque ex eo regno iisque monasterijs viros Apostolicos in Germaniam superiorem & inferiorem transmigrasse testantur Hundius in Metropoli Salisburgensi, Molanus in natalibus Sanctorum Belgij. De eo agunt Tabulæ Ecclesiæ Constantiensis, Iodocus Metzler, vita S. Galli Scoti, & alij.

27. die. SAnctus Hildulphus Confessor qui cum Sanctis Arbogasto & Theodato ad flumen Halesum erecto Oratorio se totum contēplationibus & meditationibus diuinis tradidit. Vide de hoc Sancto Surium ad 7. Nouembris, Bruschium, Irenicum, & alios. Aduerte alium hunc esse à S. Hildulpho Treuirensi Episcopo item Scoto de quo agit Vvelserus rerum Boicarum libro 5.

28. die. SAnctus Nennius Abbas Benchorensis Monasterij in Insula Hæbridum Hu. Adolescentiæ annis nondum egressus, dum procellosis actionum motibus secularium hominū vitam agitari, & ab internæ sapientiæ quiete ac dulcedine disiungi cerneret, se ab omnium sæcularium occupationum fluctuatione abstrahere, solique Deo vacare firmiter statuit; quod vt securus faceret in Hoyensis Insulę Benchorēse monasterium se contulit, sub annum Christi 600. vbi se totum superioris arbitrio efformandum dedit, crebris insuper ieiunijs corpus atterere & interiora cordis per assiduam compunctionem in secretiori sacrificio mactare non destitit. In Abbatem electus omnibus neruis contendebat vt salus & perfectio propria simul & proximorum cordi esset suis subditis, quorum aliquos, vt Anglorum saluti seriò & viriliter incumberēt, in Angliam misit Finnano Sancto Duce & Antesignano, qui in illo munere adeò se Apostolicè gessit, vt Sigbertum Orientalium Anglorum Regem cum omnibus qui secum erant in Curia, & Pendam Mediterraneorum Anglorum etiam Regem, Baptismatis Sacramento primus initiarit. Abeuntem in Angliam Finnanum & socios pręclaris sane monitis Dei famulus Nennius muniuit, videlicet vt ob oculos haberent semper, hominum licet infidelium animas non auro vel argento sed pretioso sanguine filij Dei redemptas esse. 2. nullum esse sanctius apud Deum obsequij genus quam sit animarum conuersio. 3. triplici genere

gaudij vt plurimum viros sanctos in hac lachrymarum valle perfundi solitos, internis consolationibus, familiaritate cum Sanctissima Christi humanitate in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, animarumque multarum ad Creatorem Deum, conuersione. 4. vt in conuersatione familiari vbicunque fuerint, semper sibi præsentes essent, præsentemque Deum haberent semper. 5. vt se totos rebus non traderent, sed accomodarent, nec vnquam se nimium effundi in res etiam optimas sinerent. 6. vt vbi res perfecerint, redirent ad se statim, & negotia aliquantulâ quiete interrumperent, magna enim virtus est inter strepitus viarum & negotiorum Deo sibique esse præsentem. 7. cum mentis nostræ feruorē in hac lachrymarum valle sensim sine sensu veterascere cernamus, curandum vt diligenti studio pefectionis & crebræ mentis renouationi inuigilent, semper orando, legendo, meditando, psallendo, & prædecessorum vestigijs inhærentes bene viuendo, sic enim fiet vt post varios pro Christo in animarum conuersione labores susceptos, magno animi gaudio illud Paulinum dicere quivis eorum possit, Bonum certamē certaui, non ego, sed gratia Dei mecum, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Vide de hoc Sancto Langæum libro de vita & moribus hæreticorum nostri temporis in præfatione, impios Centuriatores Centur. 7. cap. 10.

EOdem die Sanctus Cormachus Præsbyter & Confessor de quo fit mentio in vita Sancti Columbæ apud Henricum Canisium tomo quinto. Celebris habetur in Hæbridibus Insulis, claruit eodem quo Columba sæculo.

EOdem etiam die Sanctus VVulferus Confessor & Præsbyter qui celebris habetur in ea Scotiæ prouincia cui Argathelia nomen. Eius fit mentio apud Capgrauium & alios.

MARTIVS.

1 die. SANCTVS MARNANVS Episcopus & Confessor cuius ductu & consilio Aidanus Scotorum Rex ordine quadragesimus octaus de Ceulino Orientalium Saxonum & Ethelfrido Northumbriæ Regibus non citra miraculum victoriam reportauit: ob inopinatam quippe multitudinem Saxonum infidelium exterrito Aidano Rege animos iam prope despnderant Scoti, cum Marnanus Sanctus perculsos metu milites cohortatur, vt in Christum Dominum Deum exercituum spem omnem reponant, & vt salutari signo crucis frontibus communi-

tis impauidi Iesum Christum inclamantes ferantur in hostem; factum vt imperarat Marnanus, tantisque in hostem (signo crucis communiti Christumque Iesum nominantes) animis irruerunt, vt ingentē stragem ediderint, cæsis è primoribus Saxonum Ceulino & Vitellio, cæteris in fugam versis. Hanc victoriam crucis labaro, & Sanctorum Columbæ (qui & eandem longissimè distans in Iona Insula Prophetico spiritu annunciauit) & Marnani precibus attribuendum omnium vna vox. Marnanus Sanctus mortuo Aidano Rege annos superuixit multos, & EugenioRegi huius nominis quartò & Aidani filio author fuit vt aduenas Anglos, etsi suos & Christiani nominis hostes infestissimos summa cum humanitate & liberalitate exciperet, quod magna esset charitatis & humanitatis vis infidelibus Christo agregandis, quod & fecit Eugenius Rex, Ethelfredi Anglorum Regis recens ab Anglis occisi filijs profugis perhonorificè exceptis & Christiana religione diligenter imbutis, nec frustrà; Ethelfredi quippe filij Osuualdus & Osvvi a Scotis fidem edocti, magno studio rem Christianam in Reges euecti, apud Anglos promouerunt. Marnanum verò post varios in Scoticana Ecclesia susceptos labores cœlo dedit Annandia Scotiæ Prouincia, anno Eugenij Regis. 14. qui eratChristi annus 620. Habebat Morauia Sancti Marnani caput, quod summa cum pompa & honore (comitante præsertim Innesiorum tribu nobili & perantiqua, quæ tenerrimo in Marnanum ferebatur affectu) ad aëris serenitatem à Deo postulandam circumferri solebat. Refert præterea Aberdonense Breuiarium B. Marnani caput diebus Dominicis magno concursu populi, sacrisque mysterijs præmissis aqua lauari solitum, quà epotà ab infirmis, grauissimis corporis, & sæpe animi infirmitatibus liberabātur. Cumque quidam bonis ad Ecclesiam Sancti Marnani spectantibus furto subreptis excommunicatione etiam iniecta eadem restituere differrent, cum alijs tamen ad celebranda Marnani solemnia de more conuenirent, horum cerei quos sicut cæteri gestare volentes, nulla arte ignem concipere licet sæpius appositi potuerunt. Quocirca commissi criminis sibi conscij surrepta bona reddiderūt, & penitētiā de cōmisso crimine egerunt. Extat Ecclesia Aberxerdoure Duuerno amne irrigata Marnani nomine, peregrinantiū ad sacras ibidē Marnani reliquias celebris. Vide de hoc Sācto Breuiarium Aberdonense, & Sconensia Chronica, Regium in Calendario & alios.

HOc eodem die S. Monanus Martyr in Fifa prouinciā & adiacentibus Maiæ Insulæ regionibus ob miracula celebris. Adolescentior factus relictis parentibus diuino impellēte numine, se totum S. Ad-

driani Episcopi Andreopolitani nutui efformandum tradidit, sub cuius ductu eos in virtute solida progressus fecit, vt postea cum eodem Sancto Hadriano & aliis sex millibus constantissimè pro Christi nomine sanguinem effuderit. Quanti autem meriti apud Deum Beatus Monanus fuerit, multa quæ fiebant ad eius sepulchrum testantur miracula, quorum & illud omnibus notum. Cum Dauid Scotiæ Rex hoc nomine secundus in bello contra Anglos sagitta ferrea & hamata grauiter vulneratus esset, nullaque Medicorum aut Chirurgorum arte extrahi posset, Rex Dauid spem omnem in Deum collocans, & miracula quæ per Monanum seruum suum operabatur in memoriā reuocans, ad Inuerny vbi erat ipsius sepulchrum comitantibus regni nobilibus deducitur, effusisque ibidem ad Deum & S. Monanum precibus, sagitta statim illa ferrea è dicti Regis vulnere sine dolore vltro prosiliit, & absque cicatrice vlla vulnus remansit. In huius beneficii perennem memoriam Rex Dauid sumptuosissimam ibidem Ecclesiam in Beati Monani honorem extrui curauit; Sacerdotesque collegiatæ illi Ecclesiæ ad diuina celebranda mysteria assignatis reditibus primus collocauit. Passus est martyrium Monanus sub annum 874.

2. die. SAnctus Dauid Episcopus Meneuensis duodecim monasteriorum fundator, Apostolus Vvallorum. De eo vide Houedenum, Millum, & alios.

3. die. SAncta Christiana Virgo Soror Sanctæ Margaretæ Scotorum Reginæ. De ea vide Polydorum lib. 9. Mathæum paris anno 1010. Annales Scotorum, &c.

4. die. SAnctus Adrianus vel Hadrianus Archiepiscopus S. Andreæ & Martyr. Hic palma martyrii, vt supra vidimus, donatus est sub annum Christi 874. à Danis infidelibus, quibus in Scotia sacra quæque euertentibus occurrit Hadrianus, Christianæque fidei excellentiam, sanctitatem, miraculorum vim & maiestatem dum enuntiaret, singularem famuli Dei oris modestiam & suauissimam grauitatē summopere admirantes Barbari, sensim erga Christiana dogmata non modo affici, sed & eadem publicè profiteri eiurato idolorum cultu aliqui cœpere. Hadriani tamen Sancti animarum sitis, & in prædicando Christi Euangelio insignis fructus & emolumentum, inuidiam apud primores Danorum conciliauit haud mediocrem, vnde & eundē post sacrosancta mysteria iam peracta Deumque orantem & dicentem: Domine Iesu quem dilexi, quem cognoui, & pro quo lubens morior, suscipe me seruum tuum, capite obtruncarunt in Maia Insula, quæ in æstuario Forthæ

cernitur. Refert Aberdonense Breuiarium ad hunc diem sexties millies & sexcentos ex Adriani Episcopi Diocesanis à Danis infidelibus pro Christi fide martyrio vnà cum Pastore suo affectos. De hoc Sancto vide Breuiarium Aberdonense citatum, Sconensia Chronica, Leslæum lib. 5. hist. & alios. Extat in prædicta Insula Maia in honorem Christi Sanctorumque eius martyrum monasterium amplissimum quadrato lapide: visitur & Ecclesia quæ à fideli populo, præsertim à mulieribus spe prolis habendæ magna religione frequentatur.

5. die. SAnctus Claudius Episcopus Altissiodorensis, Academiæ Parisiensis fundator. De eo vide Posseuinum pagina 321. Chronica Altissiodorensia, Tritemiũ de Scriptoribus Ecclesiasticis, Vvionem, Cardinalem Zabarellam, Paulum Merulam, &c.

6. die. SAnctus Fridelinus Abbas & Confessor qui cognomento Viator dictus est, cuius accensa charitas in proximum tanta fuit, vt paternis opibus & honoribus postpositis se totum proximorum saluti quærendæ per varias regiones peregrinando dicarit, alios in auita & Catholica religione sanctissimisque ritibus continendo, alios ad eandem fidem quam per summam impietatẽ eiurarant reuocando: quo factum vt nullum neque mortis neque seruitutis periculum subterfugeret, vt cuique laboranti succurreret, modo prædicando Dei verbo infidelibus, modo ministrando sacrosancto Eucharistiæ Sacramento. Galliam in prædicando Euangelio peruagatus, ad Mosellam in Belgio erexit monasterium, virisque Euangelicis impleuit. Apud Vosagos etiam (est hic Lotharingię populus) & Burgundos varia extruxit monasteria. postremò denique in Germaniam profectus ædiculam (quæ postea in celebre creuit monasterium) prope Castellum Seconis condidit teste Volfango de gentium migratione in præfatione. Tradit autem idem author Castelli Seconis incolas multis annorum centuriis S. Fridelinum singulari reuerentiâ, magno suo commodo veneratos fuisse, postea tamen beneficiorum à Deo meritis Beati Fridelini acceptorum oblitos, igne diuinitùs immisso consumptos fuisse exceptis duabus vel tribus domibus, si credendum sit Chronicis Colmariensium Dominicanorum parte secunda. Vide de hoc Sancto Posseuinum in Apparatu sacro, Vvolfangum de gentium migratione in præfatione, Chronica Colmariensium Dominicanorum parte secundâ citata, Petrum Cratepolium de Episcopis Germaniæ, Molanum in additionibus ad Vsuardum, Ægidium Tscudum in descriptione Rhetiæ alp. cap. 12. Arnoldum in Theatro conuersionis gentium, Vvionem lib. 4. ligni vitæ, Leslæum lib. 4. historię Scoticę in

Conrauo Rege; qui omnes ferè authores agnoscunt illum filium Cositani Regis Scotiæ.

7. dic. BEatus Hugo ex sanguine Regum Scotiæ. Alii tamen existimant illum Regis cuiusdam Scotię filium, quibus suffragatur Epitaphium mox citandum. Fugit hic ex Scotia dum adhuc adolescens esset, & in Belgium veniens, sacrum S. Dominici institutum, Valēcenis amplexus est anno Christi 1258. ętatis verò 18. circiter. Tradit Ioannes Lalou ipsum fuisse Regis Scotię filium, patremque eius Regem Scotię per varias mundi plagas requirendum curasse. Cum autem Valencenis repertus esset, ad eum accessisse ait patrem, eo fine, vt illi persuaderet, vt in Scotiam secum remigraret, sibi in regnum successurus. verùm cum Regi filius id responsi daret, meliorem se elegisse partem, ac proinde vt sibi Deo liberiùs & securiùs famulandi potestatem faceret, Regem rogabat: neque, sed inuitus, abnegat Rex, qui in huiusce heroici facti monumentum Fratrum Prędicatorū conuentui, templo inquam S. Pauli, diadema argenteum auro rutilum, maximi pretii venerabilis Sacramēti tabernaculo aut tegumento superponendum legauit. Quam coronam Prior frater Nicolaus de Hęc penuria coactus, Seniorum consensu Ioanni Le Clerc Mercatori, quadam ab eodem pecuniæ acceptâ summâ quoad satisfaceret oppigneratus est anno 1551. vel 2 apud quem verò iam lateat, id omnes de conuentu latet. Mortuus est autem hic Dei seruus anno Christi 1286. Ad caput autem tumulati in sacristia seu sacello ipsorum templi extant hodie Regis Scotiæ depicta insignia & ad pedes structa corona, vbi etiam habetur sequens ipsius Epitaphium.

Hugo Deo charus, Regali sanguine clarus,
Hic de Beuerna meruit sibi dona superna,
Nam iuuenis Christum sequitur, mundum terit istum
Hic frater factus, pauper fratremque sequutus,
Vt fieret tutus, à Sancto flamine tactus,
Hic animum quo se minimum tenuit, sibi fixit,
Sic humilis cum vix similis sibi sanguine vixit,
Vir fidei, qua Christus ei meritò benedixit,
Post patiens, miseros faciens crebrò releuari,
Sic per opes proprias, inopes voluit recreari,
Anno milleno deno cum septuageno,
Atque ducenteno iuncto numero sibi seno,
Martius est mensis quo mortis eum necat ensis.

Hoc eodem

HOc eodem die Sanctus Colmannus Episcopus Lindisfarnensium, Apostolus Nordanimbrorum & Hæbridum. Vide de hoc Sancto Vvestmonasteriensem, Vvionem, Ioannem Maiorem, Franciscum Goduuinum, Leslæum, Boëtium, & alios.

8. die. SAnctus Duthacus Confessor & Episcopus Rossensis, in Rossia & Morauia Scotiæ prouincijs sanctitatis opinione clarus. Multa commemorantur ab eo prædicta diuinitus vt de calamitatibus belli Scotis inferendi ab Anglis & Danis, nec fefellit euentus; nam anno 1263. (10. scilicet à suo cœlesti transitu) Acho Rex Noruegię cum 160. nauibus ad Aëram Coilę in Scotia oppidum maritimum applicuit: verum Sancti Duthaci precibus, vt par est credere, duplici infortunio eodem fere momento percussus est Acho: Primùm, cum Alexandro Stuarto eius qui ex Stuartorum familia primus in Scotia regnum gessit proauo congressus, ab eodem Sanctum Andream Apostolum Scotiæ tutelarem in conflictu Scotorum more sæpius inclamante victus ac fugatus est. Deinde nauibus fœdissima tempestate vexatis desideratisque in prælio Noruegijs ad sexdecim millia mœrore animi confectus Acho, interijt. Huius Sancti consuetudine vsus fertur Alexander Scotorum Rex huius nominis tertius, qui si vllus Scotorum Regum alius omnibus corporis & animi virtutibus à Deo ornatus fuit, & Catholicæ ac auitæ religionis tenacissimus, cui familiare fuisse fertur diebus singulis sacrosancto missæ sacrificio interesse & manus Sacerdotis offerentis ab eleuatione hostiæ deuotissimè deosculari, quod eundem Deum & hominem qui in cœlo adoratur ab Angelis, in altari, Sacerdotis contrectari manibus firmissimè crederet & teneret. Porrò Sanctus Duthacus mortalis vitæ pertæsus, & æternæ videndæ cupidus, senio iam pœne confectus in morbum incidit, cuius incommoda cum ęquissimo subiret animo, morbusque ipse velut solidæ virtutis æternæque materia gloriæ, ab eo in diuini beneficij loco numeraretur, illud Dauidicum sæpe repetens: Et quæ est expectatio mea nonne Dominus? Cœlestia petijt sub annum Christi 1253. De eo vide Leslæum lib. 6. historiæ, Regium in Calendario, & alios.

9. die. SAnctus Columbanus Episcopus in Scotia. Vide Leslæum lib. 4. Decreta Honorij primi PP. cap. 19. tom. 3. consil. & alios.

10. die SAnctus Himelinus Confessor & Sancti Rumoldi Scotię Regis filij affinis. Hic singulari Dei munere ad Apostolicum vitæ statum prædicando Brabantibus Euangelium, ex ipsa sæculi fecemunde

vitiorum multitudine veluti senescente, à Deo segregatus, animum in eam curam totum ac mentem intendit, minimè nescius quanta sibi res esset imposita, quantique apud Deum esset meriti animas ad Dei imaginem creatas, pretiosoque Christi sanguine redemptas ad veram fidem, sine qua impossibile est placere Deo conuertere. De hoc Sancto vide Molanum in Annotationibus ad Vsuardum & in Indiculo, Regium in Calendario, & alios.

EOdem die Sanctus Makkessogus qui & Kessogus dictus est, Confessor & Episcopus, in Boina Scotiæ prouincia miraculorum gloriâ celebris, qui cum magna apud Congallum Scotorum Regem hoc nomine secundū esset in gratia, multa per eum gessit ad Dei gloriā, multaque publicum ad exemplum: multis etiam viris Principibus author fuit concordiæ & pacis, Regemque adeò pietati addictum Scotis efformauit, vt is, moderatione animi morumque probitate cum ipsis monachis decertasse videretur. Superis dedit Makkessogum Boina prouincia sub annum Christi 560. anno Congalli Regis secundo. Agunt de Sancto Makkessogo, Paslatentia Chronica & Aberdonense Breuiarium quod ita de illo loquitur, Beatus Christi Cōfessor Kessogus nobili natus familiâ à primæua ætate multis fertur claruisse miraculis, & inter cætera dū adhuc puer vnà cum alijs duobus sibi coętaneis nobiliumque filijs ludēdo iuxta quēdam lacum tempus tereret, accidit Deo permittente vt, socij illi duo ad ripam propius accedentes in lacum deciderent, & ab aquis suffocarentur; quod cum audiuissent parentes, in Kessogum innocentem licet, culpam omnem mortis filiorum reijciunt, acriusque illatā iniuriam vlcisci statuunt. Re auditâ vir quidam Sanctus & Kessogi parentibus perfamiliaris, sanctitate pueri diuinitùs cognitâ, eidem imperat vt noctem insequentem in precibus apud Deum transigat: & ecce nocte mediâ apparuit Kessogo Angelus Domini dicens, Kessoge exaudiuit Dominus preces tuas, nam socij pro quibus deprecatus es viuunt. Mane itaque facto Kessogus rediuiuos parentibus pueros tradidit, tantumque beneficium mente recolens, sese arctius diuino obsequio tradidit, relictisque parentibus monasterium ingressus est, multisque ibidem in vita & post mortem claruit miraculis. Extat celebris Ecclesia in Lus Kessogo dicata.

HOc eodem die passus est martyrium non ante multos annos Ioannes Ogilbæus Societatis Iesu Sacerdos. Glascuæ captus fuit & multarum noctium insomnio maceratus, quod strenuè Pontificis dignitatem ac Catholicæ fidei puritatem tueretur. Martyrium eius extat

Duaci typis excusum

HOc etiam die cœlestia petijt Beatus Richardus à Sancto Victore, vir planè sanctissimus, cuius mentem mirum in modum à Deo illustratam suauitateque diuini spiritus totam vndique perfusam, quæ posteris consignauit, testantur scripta, quæ venerabilis hic Pater non tam atramento quam fusis ad Deum lachrymis, nec tam humano studio quam accurata & sæpius iterata prece, nec tã magistrã prudentiã quam Deo dictante scripsisse videtur. Hic ille est, qui, vt ait Ioannes Maior gentilis noster & Theologiæ Doctor Classicus in quodam sermone de Deipara Virgine omnium expresè primus eam originalis noxiæ expertem tenuit: quo etiam nomine in Anglum quendam Andream à Sancto Victore dictum immaculatę Virginis Conceptioni & S. Petri primatui reclamantem, non minus eleganter quam neruose calamũ strinxit. Scotiã egrediens Richardus, Alexandrum Scotorum Regem huius nominis primum conuenit, (erat enim parentibus non minus pietate quã generis claritate nobilibus) cui inter cætera duo commendasse fertur: vt in pauperes & iniuria oppressos more maiorum benignus esset & mitis, deinde vt in Ecclesiæ pastores se liberalem ostenderet: quorum vtrumque non excidisse Alexandro Regi toto vitę tempore probauit euentus: iniuria quippe oppressos, si quis Regum Scotorum protexit ipse, nam redeunti à Rossensi quadam expeditione per Merniam prouinciã occurrit mulier paupercula grauiter querens maritum à Comitis Merniæ filio, quem in ius ob æs alienum vocasset, loris cæsum: Rex Alexander indignabundus ex equo desiliens non prius conscendit quam supplicio facinoris author fuisset affectus; nec minor in Ecclesiasticos liberalitas, quippe qui Abbatiam Regio sane opere ad Sconam à fundamentis reædificauit Diuo Michaëli sacram, in qua ad nostra fere tempora Scotorum Reges inaugurabantur: in Amona etiam Insula quæ Forthæ æstuario vndique alluitur augustissimum erexit Diuo Columbæ templum: Santandręanum monasterium antiquissimum donarijs & agris Regijs auxit, Dumfermelinum denique Cęnobium multis prouentibus locupletauit. Parisios igitur ex Scotia appulsus Richardus, Canonicus regularis Sancti Augustini in Monasterio Sancti Victoris à quo nomen accepit, factus est; vbi & sanctissimè vixit, & deuotissimè multa scripsit. Sed post varios de hoste triumphos reportatos, huius vitæ pertæsus etiam in ætatis flore, Sanctissimæ Trinitatis in quam tenerrimo semper affectu ferebatur, videndæ cupidus in stomachi dolores incidit acerbissimos, quibus ingrauescentibus corpus Christi sacratissimum Catholicorum more

deferri sibi curat: Fratribus hostiam non consecratam quod pro infirmitate consecratã retinere non posset, deferentibus dixisse fertur spiritu diuino: Deus vobis parcat fratres amantissimi, quare me decipere voluistis? quibus stupentibus & verum Christi corpus adferentibus cernens prę infirmitate nimia se vero corpore communicare non posse, eleuatis in cœlum manibus & adoratâ sacratissimâ hostiâ, dixisse fertur: Os meum aperui & attraxi spiritum: ascendat filius ad patrem & spiritus ad Dominum qui fecit illum, inter quæ verba spiritum emisit & corpus Dominicum euanuit. Cœlestia petijt anno redemptionis 1130. Sepulchro hoc Epitaphium in Monasterio Sancti Victoris Parisijs insculptum cernitur.

Moribus, ingenio, doctrinâ clarus & arte,
Puluereo hic tegeris docte Richarde situ:
Quem tellus genuit fœlici Scotica partu,
Te fouit gremio Gallica terra suo.

De illo videantur Ioannes Maior lib. 3. de gestis Scotorum cap. 12. Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Tritemius, Leslęus & alij.

HOc eodem etiam die Sancta Kennocha Virgo in Coila Scotiæ prouinciâ celebris, vt pote quæ propagandæ disciplinæ religiosę & monasticæ apud Coilensium virginum monasteria, studio flagrarit maximo, cui etiam magna vitæ accedebat puritas, erga pauperes & orphanos tenerrima animi affectio; nec defuere varia quibus Christus spõsam suam ornaret miracula, vnde & varias huic Virgini in Orientali etiam Scotiæ tractu cernere est dicatas Ecclesias, & Glascuâ non procul extat vna. Migrasse fertur sub annum Christi 1007. Malcolmo secundo Rege Scotis imperante. Extat precatio peruetusta qua S. Kennochę patrocinium Scoti inclamare consueuere. Deus amator castitatis & auctor, S. Kennochæ Virginis tuæ precibus, mentis & corporis eam nobis tribue puritatẽ, per quam ęternã valeamus euadere corruptionẽ. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Vide de hac Sancta Regium in Calendario, Breuiarium Aberdonense, & Sconensia Chronica.

11. die. SAnctus Constantinus Martyr & Scotorum Rex secundus hoc nomine. Hic cum videret Danos infideles Classe magna in Scotiam transmisisse, & obuios quosque ob Christiani nominis odium sine discrimine trucidare, sacra religiosorum ædificia euertere, Virginibus Deo dicatis vim inferre, cumque fama accepisset Sanctissimam Ebbam Coldinghamiæ Cœnobij Abbatissam, vt horum infidelium feminas manus euaderet, arrepta nouacula (ô castitatis amor!) nasum sibi

eum superiori labro (quod & cæteræ virgines Ebbę exemplo nihil hæsitantes fecere) præscidisse, posteroque die à Danis infidelibus de spectaculo attonitis, omnes simul concrematas & martyrij palma (intacta tamen virginitate) donatas; zelo zelatus pro domo Domini Constantinus aduersus Danos armato milite proficiscitur, & primo quidem Hubbam (alij Stubbam vocant) Danorum Regis fratrem, Leuini amnis incremento, cum suis vires coniungere prohibitum facile vicit fugauitque. At Humbum (alijs Hengar) alterum Danorum Ducem adortus loci iniquitate Danorum desperationem iuuante ab ijsdem occiditur, illud sæpe repetens: Domine Iesu ne tradas bestijs animas seruientes tibi. Constantini loculum in Ionam Insulam magnâ pompâ translatum Deus multis ornare dignatus est postea miraculis: Martyrio donatus fuit anno Christi 874. Vide Regium in Calendario, Boëtium lib. 10. historię & Leslæum lib 5.

EOdem die S. Attala Abbas Bobij. De eo vide Bernardinum Saccum, Sigonij Italiam, historiam Sinclarij, & alios.

12. die SAnctus Fetno Confessor. Vir fuit eruditione præstans qui in ipso pietatis tyrocinio, qualis postea euasurus esset multis virtutum ijsque heroicis actibus probauit. Postea vero vbi virum sapere, altioresque in omni virtutum genere radices iacere cœpit, se totum prædicando Pictis Euangelio deuouit, socijsque sibi ascitis, vitia quæ quorundam erroribus & contaminatis moribus irrepsissent, radicitus extirpauit: quo factum vt ingens animarum collecta sit messis, & ad veterem sanctitatem quam Sanctus Ninianus Pictorum Apostolus plantauerat, redintegrata sint multa. Ad Fetnonis Sancti sepulchrum miracula per multa sæcula ostendere dignatus est Deus, eundemque sibi asciuit sub annum Christi 580. Vide Leslæum, & Boëtium in historia, & alios.

13. die. SAnctus Viganus Confessor & Anachoreta in Leuina prouincia celebris. Hic diuinæ voluntatis exequędę auidus, occasionē mundo valedicendi primo quoque tempore nactus, se totum ad alterius nutum apud Cluniacenses tradidit, vbi quotidianis experimentis probatus cum esset, ab ijsdem repertus est dignus qui sibi ipsi legem posset imponere, vnde in Insulam Louinij siue Loumundi Lacus (à quo Leuina prouincia nomen accepit) se contulit vt solus soli Deo vacaret gustaretque quam suauis sit dominus diligentibus se. Annos multos in hac vita solitaria, summa vnione cum Deo & interna mentis quietudine, non sine miraculorum gloria transegit. Malcolmum hoc nomine secundum

Scotorum Regem in regno fœliciter administrando precibus multum iuuisse dicitur Viganus Sanctus, cuius ille pietatis monita animo nunquam excidisse suo testatus est; cum Grimo regia sceptra iniuria molienti & armato iam exercitu stipato, ipsaque Ascensionis die bellum irreligiosè commitere cogitanti obuiam miserit Malcolmus, hortatusque fuerit ne Christianus homo memoriam diei tam celebris cruore suorum ciuium pollueret, cum hoc die naturæ nostræ infirmitas per Christum ad Dei Patris sit prouecta consessum (ferebatur quippe Malcolmus singulari pietatis affectu in Ascensionis Christi diem) sed Grimus nihilo secius suo damno aciem in Malcolmum duxit, quo magna in Christum fiducia illud Dauidicum in ipso conflictu inclamante, dissipa gentes qui bella volunt qui ascendis super cœlum cœli ad Orientem, Grimus à suis desertus capitur & in delicti pœnam & diei festi violati memoriam oculis priuatur. Cœlestia petijt Viganus sub annum 1012. fuitque ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cluniacensis. De Vigano Sancto agũt Boëtius & Leslęus in hist. liber Plusquartensis, & alij.

14. die. SAnctus Comnanus Abbas Huensis. De eo vide Vvionem & Annales omnes Scoticos aliosque plurimos authores quorum aliqui aiunt ipsum fuisse Ferquhardi Regis præceptorem.

15. die. SAnctus Conleatus Sodorensis Episcopus. De illo vide Alexandrum Millum, Georgium Neutonum, vitam Sanctæ Brigidæ, & alios.

16. die SAnctus Bonifacius Rossensis Episcopus, cuius animi candor vitæ integritas, alienæ salutis amor, fecere vt ex Italia in Scotiam sese conferret vt videlicet Scoticana Ecclesia per omnia Romanæ in externis etiam ritibus sese conformaret, cuius rei gratia varijs illius regni peragratis locis Rossensem sibi selegit prouinciam, in cuius vrbe primaria (Rosmarkium nomen est) Episcopi munia non sine sanctitatis laude & miraculorum gloria annos multos exercuit, quibus fœliciter percursis necessitati religiosè concessit sub annum Christi 630. Refert Aberdonense Breuiarium Bonifacium centum & quinquaginta templa erexisse in Scotia, vitaque functos numero septem diuina ope vitæ restituisse. Vide de hoc Sancto idem Breuiarium ad hunc diem, Boëtiũ lib. 9. historiæ, Leslęum lib. 4. historiæ, Regium in Calendario.

17. die SAnctus Patricius Confessor, Episcopus, & Hibernorum Apostolus. Dequo ita Sigebertus in Chronico ad annum 394. S. Patricius Scotus, in Hybernia cum suis [illegible] venditur, vbi cum esset Regis Portarius Angeli alloquio [illegible]ur. hæc Sigebertus & ta-

men paulò post vocat Britonem. Ex quo obiter hic collige quod quamuis aliquando aliqui Sancti Scoti Britones vocentur, hoc tamen non impedit quominus sint Scoti, nam nomine Britonum Britannos intelligũt. Fuit hic Dei famulus vir plane apostolicus & diuinę gloriæ promouendæ in animarum ad Deum Creatorem suum conuersione sitientissimus. Prope Glascuensem ciuitatem in Scotia liberalibus ortus parentibus ac à puero pietatis igniculos & Sancti Spiritus instinctus sentiebat. Palladio Sancto & Scotorum Episcopo à Cælestino Pontifice in Scotiam misso successit (inquit Cardinalis Baronius in Annotationibus Martyrologij ad hunc diem) Sanctus Patricius consecratus ab eodem Cælestino Papa, qui & ad Hybernos missus ibi per annos 40. in signis atque mirabilibus prædicans totam Insulam Hyberniæ conuertit ad fidem. Habebat vero iam tum Scotia viros apostolicos & Sancto Patricio coætaneos non paucos, Sernanum Orcadensium Apostolum, Ternanum Niniani Sancti successorem, Queranum Benchorensem Abbatem, Kentigernũ Culrossiani monasterij antiquissimi gloriã & discipulum, aliosque qui Scotorum gnauiter excolentes Ecclesiam, Hybernis Hirlandicis nondum ad Christum conuersis Sanctum Patricium lubenti concessere animo. Agunt de hoc Sancto Syluester Giraldus Itinerarij Cambriæ libro primo, Sigebertus loco citato, Cardinalis Baronius loco citato & tomo quinto Annalium, Marianus Scotus in Chronico, Iacobus Tyrius in libello de antiquitate religionis Christianæ apud Scotos, & Camdenus hęreticus Anglus in sua Britannia vbi, testatur ipsum natum fuisse in Cluydsdalia, quę Scotię prouincia est.

18. die. SAnctus Constantinus 3. R. Ethi. F. 35. annis ad Diui Andreę Monachus. De illo videantur Vvion lib. 4. Boëtius & Lesłæus in historia, & alij.

19. die. SAnctus Clemens Episcopus Dumblanensis in Scotia non Dublinensis in Hybernia. Ordinem Sancti Dominici in Scotiam intulit, ab ipso Sancto Patre indutus. De hoc Sancto vide Michaelem Plodium, Stephanum Sampayum, Philippum Vvolfium lib. 3. de peritorum virorum vitis, Alexandrum Millum, Scoti-Chronicon libro 10. cap. 11.

20. die. SAnctus Cormanus, vel Cornanus primus Apostolus Nordanimbrorum. Alij eius diem festum ponunt 12. Martij, alij 15. De illo vide Scoti-Chronicon, Vveſtmonasteriensem & Vvigorniensẽ ad annum 635. Goduinum pagina 91. Polidorum, Boëtium, Lesłæum, & alios.

21. die. SAnctus Isengerus Episcopus & Martyr, quem Demochares inter Verdensis Ecclesiæ Episcopos recenset. Crantzius in Metropoli ait de illo prẹter merum nomen nihil esse in fastos relatum. Septimus fuit ordine Episcopus Verdensis Ecclesiæ in qua post varios labores perpessos, mortem pro Christo subijt, anno 828.

22. die. SAnctus Ibar, vel Ibarus Episcopus & Confessor, in quo dum adolescens esset documenta non leuia diuini Spiritus apparebant, vt in electis plerumque fieri solet: ætate prouectior, maior etiã & firmior in eo cernebatur virtus. Episcopus factus varia suę sanctitatis edidit indicia, & Angelico monitu Filanum puerulum aquis ereptum baptizauit & in virum perfectum per virtutis tramitem deduxit, cumque Christi Euangelium non sine ingenti animarum lucro varijs locis prædicasset Ibarus Sanctus, eundem cœlo dedit Tifedaliâ Scotiæ prouinciâ. De illo vide Aberdonense Breuiarium, & vitam Sancti Filani Abbatis.

23. die. SAnctus Theodatus Confessor, de quo ita Surius. Cum Dagobertus Rex ad regni Francorum gubernacula sederet S. Florentius cum BB. Arbogasto, Theodato & Hildulfo è Scotia venit in Alsatiam &c. Hic Sanctus reclamantibus parentibus, paternâ domo posthabitâ mundo relicto vitam integram Deo, cui seruire regnare est, volēs dicauit & in Germaniã vt liberiùs Deo vacaret se contulit, vbi omnibus charus, & virtutis nomine venerandus. Post Euangelium diu ibidem prędicatum onustus victorijs obdormiuit in Domino redemptionis anno 684.

24. die. SAnctus Duumchadus vel Dunichadus Abbas Hoyēsis Insulæ virorum Sanctorum fertilissimæ. Præfuit annos multos Hoyensi monasterio non sine sanctitatis & miraculorum fama: orationis dono singulari fertur fuisse prędìtus, quam virtutum omnium fulcrũ & munimen affirmabat, multùmque referrre ad euagationes mentis orationis tempore expellendas aiebat, si Dei præsentia orantis menti occurrat sæpe. 2. actu etiam externo Deum præsentem adorare & agnoscere. 3. cæteris negotijs tantisper subductis ad orationem prius cogitatione & interna mentis recollectione quam pronuntiatione conuerti. 4. Dei Angelum præsentem (vt verè est) agnoscere, qui quemadmodũ in oratione quis se gerat, animaduertat, malum etiam Angelum qui quo plures habeat ad accusandum ansas in oratione errata rimari, distractionesque suggerere solet. 5. oranti abijciendã omnis lucis crastinæ & subsequētis operis sollicitudinem, etiam rerum optimarum, persuadeatque sibi

adeatque sibi certissimo orans, hoc res suas Deo magis curæ fore, quo magis ab ijsdem ad Deum inter orandum cogitationem traducet suam. Magna intercesserat Duumchado Sancto cum Egberto necessitudo, quo docente, tradit Beda lib. 5. historiæ cap. 23. Monachos Insulæ Hoyensis ad ritum Paschę ac tonsuræ canonicum Domino procurante perductos. Duumchadus Dei famulus post strenuam atque salutarem, vt Abbatem decebat, nauatam operam, his consilio, illis studio ac labore, omnibus verò vitę exẽplo in extremis positus, & sæpe repetens, Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Iesum in gloria videre meruit sub Christi annum 736.

25. die. SAnctus Theodnanus Martyr in Franconia Germaniæ prouincia ob effusum sanguinem in prædicandâ fide Catholicâ celebris. De eo vide Democharem de Missæ sacri ficio n Catalogo Episcoporum Vvormassensium in fine, & alios.

26. die. SAnctus Dauid Episcopus Banchorensis Sancto Henrico Imperatori erat à Confessionibus. Vide Malmesburiensem lib. 5. Iuretum ad Iuonem, & alios.

27. die. SAnctus Archibaldus Abbas Monasterij cui Carnaminum nomen (cui longe ante Archibaldum Sanctum præerat Brandanus Sanctus & in eodem S. Maclouio religiosæ disciplinæ præcepta tradiderat.) Hic ergo magna constantia Episcopatus varios obfirmato recusauit animo, quanquam ab admittendo Carnamini Abbatis honore, quem eius loci Monachi & viri prudentes illi tanquam viro Sancto & ad gubernendum aptissimo deferendum curarant, non abhorruit; quod ea muneris functio non tam honoris esse, quam multi oneris videretur, nec tam dignitatis & copiæ quam humilitatis & tolerantiæ. Post præclara prudentiæ sanctitatisque vestigia in gubernandis subdictis relicta, cœlestium cœtui aggregatus est sub annum Christi 708.

EOdem die Sanctus Rupertus (qui alijs Rudbertus & Robertus) Episcopus Salisburgensis, vir sane Sanctissimus & apud Bauaros celeberrimus de quo in hæc verba Chronica Salisburgensia. Sanctus Rudbertus Sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Antistes, ex Regali prosapia Francorum Ducumque Scotię originem duxisse antiqua tradit historia. Hic vnà cum fratre Trudberto & sorore Erintrude (quidam autumant neptem fuisse) in Scotia à Sancto Patricio baptizatus, nec non literis Ecclesiasticis imbutus est, ac vbi adoleuit in Deum mentem conuertit & non sibi sed vtilitati hominũ honori diuino consulere statuit. Assumpto

inquam Trudberto fratre suo nec non Erentrude sorore sua tantis fratribus non indigna, eiusdem videlicet desiderij & amoris in Deum spretis opibus, posthabitis voluptatibus, pari voto pariliqué consensu patriē relinquentes & patriam exules esse decreuerunt in terris, vt ciues Sanctorum & domestici Dei fieri mererentur in cœlis, &c. Vide reliqua de vita huius Sancti apud Chronica Salisburgensia manu scripta in Monasterio S. Petri Apostoli à S Ruperto ædificato, & apud Henricum Canisium tomo sexto Antiq. lectionis. Vide præterea Auentinum lib. 3. Aunnalium Boiorum, & alios.

28. die. SAnctus Ganinus Martyr, qui in Maia Insula & adiacentibus regionibus magnam sanctitatis opinionem ob fusum pro Christo sanguinem sibi comparauit, auxitque opinionem miraculorum fama, quæ postea diuinitùs apud huius viri Sancti sacra pignora ad nostram fere ætatem patrata cernebantur. Martyrio affectus est à Danis sub Christi annum 870.

29. die. SAnctus Baldredus Confessor, Episcopus Glascuensis apud Dinastas & Principes viros magnæ auctoritatis & gratię. Hūc Sanctum cœlo dedit Laudonia prouincia sub annum Christi 610. post cuius obitum tres parochiales Ecclesię de conseruando huius viri Sancti corpore inter se certasse dicuntur, videlicet Aldham, Tyningham & Preston, & eiusdem Sancti precibus tandem effectum esse (non enim est impossibile apud Deum omne verbum) vt illarum vnaquæque thesauro illo frueretur. De hoc Sancto vide Ioannem Maiorem in quarto sententiarum distinctione decima quæstione quarta vbi exemplo corporis Sācti Baldredi probat idem corpus posse esse in diuersis locis simul & semel per diuinam potentiam. Vide etiam eundem authorem lib. 2. de gestis Scotorum cap. 7. Boëtium lib. 9. historiæ, Leslęum lib. 4. hist. librum Paslatensem, Regium in Calendario, & alios.

EOdem die Sanctus Gisolarius, vel Gisibarius. De hoc Sancto vide Sanctum Hartuuicum lib. de Synodalibus decretis, Gisibarius (inquit) Noricis ad pietatem clarissimus habetur. Cōtinuatorem Fordani, vitam Sancti Ruperti, & alios.

die. 30. SAnctus Patto Episcopus Verdensis in Germania ordine secundus, Abbas antea Amarbaricensis (erat hoc apud Scotos celeberrimum monasterium) in Scotia. Affirmat Crantzius Metrop. lib. primo cap. 21. fuisse virum sanctitate præcipuum & zelo Dei transito mari in apertæ vitæ pericula Euangelij causa se proiecisse. De hoc Sancto vide Crantzium loco citato, Demochatē lib. de Missæ sacrificio

in Catalogo Episcoporum Verdensium, Molanum in Appendice ad Vsuardum, Brusseum in Catalogo Episcoporum Germaniç, Lesl̨eum lib. 4. historiæ Scoticæ, Henricum Pantaleonem prima parte Prosopographiæ ad annum 791. qui affirmat hunc Sanctum martyrio fuisse coronatum.

HOc eodem die Sanctus Paternus Episcopus. De illo vide Sigebertum, Tritemium, Florentium Vvigorniensem, Lesl̨eum & alios.

31. die. SAncta Daria mater Sanctæ Vrsulæ. Probant illam esse Scotam ijdem authores qui ipsam Vrsulam.

APRILIS.

1. die. SAnctvs Gilbertvs Episcopus & Confessor in Cathanesia Scotiç prouincia in hodiernum diem celeberrimus, quippe qui Cathanensium patronus & tutelaris habetur, & meritò, cum Sancti huius viri hortatu & vigilantia è cœno vitiorum emerserint, pauperumque hospitia non pauca in illa prouincia erecta sint; variaque alia pietatis monumenta ab ipso constructa cernere est, quæ huius viri Sancti pietatem & in Cathanenses paternũ amorem intuentium oculis detegunt. Fuit Gilbertus Sanctus patria Morauus & libertatis Scoticanæ Ecclesiæ contra audaces Eboracensis Archiepiscopi conatus defensor acerrimus: vnde & Episcopatum postea Cathanensem tanquam libertatis Scotici Cleri constanter defensæ fortiterque euictæ tesseram accepit. Fuit prçterea Gilbertus Sanctus Guillielmo Scotorum Regi charissimus ad quem Clemens tertius Pontifex maximus in confirmationem libertatis Scoticanæ Ecclesiæ (à Gilberto defensæ) dedit literas in hunc modum. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Guillielmo Scotorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Cum vniuersi Christi iugo subiecti &c. Ea propter charissime in Christo fili reuerentiam ac deuotionem quam ad Romanam te habuisse à longis retro temporibus Ecclesiam, nouimus, attendentes, præsentis scripti pagina duximus statuendum vt Scoticana Ecclesia Apostolicæ Sedi, cuius filia specialis existit, nullo mediante debeat subiacere, &c. Adijcimus vt nulli de cætero qui de regno Scotiæ nõ fuerit licitum sit in eo legationis officium exercere &c. Cœlestinus verò tertius Pontifex hoc idem priuilegium confirmauit sub annum Christi 1192. Ferunt Gilbertum Sanctum sub mortem astãtibus dixisse: Tria vobis commendo quæ & ipse in vita semper seruaui;

Neminem lædere & si quis læsus fuerit de lędente vindictam non expetere. 2. Patienter ferre quæ Deus immittit in nos flagella, castigat enim omnem filium quem recipit. 3. Obedire præpositis & rectoribus vestris & nemini esse offendiculo. De Gilberto Sancto vide Leslæum lib. 6. historię, Reginm in Calendario, Azorium Institutionum Moralium tomo secundo Par. 2. lib. 3. cap. 36. vbi affirmat Gilbertum Sanctum pietate & doctrina singulari instructum orationem habuisse in qua multis rationibus & argumentis ostendit Ecclesias Scotiæ, quæ semper fuerant eo (Anglicano) iugo & onere solutę & liberæ, non esse aliqua seruitute premendas. Porro Gilbertus Sanctus ex hac vita migrauit sub Christi annum 1176.

2. die. Sancta Ebba Virgo & Martyr, Abbatissa, dono castitatis & martyrij, in Scotia celeberrima, quippe quæ incredibili animi magnitudine, & erga castitatem affectu non impari, Danorum infidelium vt effugeret intemperantiam, sibi ipsi arrepta nouacula nasum labrumque præscidit, idque suo exemplo cæteræ virgines omnes constāti fecere animo: quo facinore duplici laureola virginitatis & martyrij à cœlesti sponso donatæ sunt: rem totam narrat Mathæus VVestmonasteriensis in historia Angliæ. Anno (inquit) gratiæ 870. (alijs anno 874.) applicuerunt in Scotiam Danorum innumera multitudo, quorum Duces fuere Hengar & Stubba diræ peruersitatis homines & fortitudinis inauditæ, qui totius fines Angliæ in extremum adducere conantes pueros & senes quosque sibi obuios iugulabant, matronas, sanctimoniales, seu virgines ludibrio tradendas mandabant. Cumque per omnes regnorum fines tanta tyrannorum immanitas disseminata fuisset, Ebba Sancta Coldingamiensis Cœnobij Abbatissa, metuens ne & ipsa cui sollicitudo regiminis & cura pastoralis commissa fuerat cum sibi subiectis virginibus ludibrio traderetur paganorum, vt pudicitiam amitterent & virginitatem: conuocatis Sororibus ad Capitulum vniuersis in hanc vocem prorupit dicens: *Aduenerunt nuper ad partes nostras Pagani nequissimi & totius humanitatis ignari qui loca huius regionis singula perlustrantes, nec sexui muliebri, nec paruulorum quidem parcentes ætati, Ecclesias & personas Ecclesiasticas destruunt, virgines sanctimoniales prostituunt, & obuia quæque sibi conterendo consumunt. Itaque si consilijs meis acquiescere decreueritis, spem certam de diuina clemētia concipio, quod & barbarorum effugere rabiem valebimus, & perpetuæ virginitatis pudicitiam custodire.* Cui cum vniuersa virginum congregatio certis promissionibus spopondisset, sese maternis in omnibus

velle obtemperare præceptis: illa admirandæ animositatis Abbatissa, palam cunctis Sororibus exemplum castitatis præbens, non solum sanctimonialibus illis proficuum, verum etiam omnibus & successuris virginibus ęternaliter amplectendum: arrepta nouacula nasum proprium labro superiori ad dentes vsque pręcidens, horrendum de se spectaculum astantibus præbuit vniuersis. Quod factum memorabile cum congregatio tota videns admiraretur, simili de se opere à singulis perpetrato sunt materna vestigia consequutæ. Ex his ita gestis cum mane crastinum illuxisset, peruenerunt tyranni nequissimi vt fœminas sanctas Deo deuotas ludibrio traderent, simul & ipsum Monasterium spoliatum ignibus concremarent. Sed conspicientes Abatissam illam & Sorores singulas tam enormiter mutilatas cum festinatione recesserunt de loco illo, sed inde recedentes præceperunt satellitibus suis nefandis vt iniecto igne Monasterium cum omnibus officinis & ipsis sanctimonialibus concremarentq; sicque exequutione completa à ministris iniquitatis, Sancta Abbatissa & omnes cum illa Virgines sanctissimæ ad martyrij gloriā peruenerunt. Hæc ille. Porrò quę fuerit harum Virginum & Martyrum multitudo, ex eo videre est quod hæc Coldingamiæ Abbatia (quæ ab vrbe Scotiæ antiquissima Coldingā Ptolomæo Colonia nomen accepit) vt erat à multis retro sęculis Virginibus velatis sacra, omnium totius Scotiæ fuit vna ex amplissimis ambituque maximis, quam Edgarus Scotorum Rex ordine 89. anno regni septimo licet iam satis amplam, regie auxit extenditque. Ioannes verò Angliæ Rex illud ipsum impiè concremauit sub annum 1216. Hæc Danorum in Scotos persequutio & sæuitia annos sex integros cœlo multos dedit martyres, dedissetque hāud dubiè plures nisi Gregorius Rex Dei fultus præsidio, & zelo zelatus pro Ecclesia Dei Danis, in Fifā, Laudoniā, & Merciā deuictis, Beruicoque Præsidio deturbatis, in Northumbria cum Hardunto Dano fœliciter conflixisset, in quo conflictu tantam Danorum stragem edidit, vt eorum vires toti nuper Britanniæ formidabiles ab illo prope confectæ sint, eisque deuictis Norrhumbriam, Cumbriam, & Vvestmariam suo addidit imperio, licet longe ante hæc tempora Cratlinthus Rex sub annum Christi 322. Vvestmariam & Cumbriam Scotorum regno adiecisset. Ob has contra Danos victorias, & ob animi virtutes quarum nulla abfuit, quæ virum Principem deceret, Magni cognomentum Gregorius Rex à posteris adeptus est. Et sane magna hæc fuit, vt notat Bozius, in Scotiā diuinæ prouidentiæ tessera, Danos gentem potentissimam Angliā potitos tota, annos 28. aut 30. & in Gallia

inuitis Gallis fixisse sedem, variaque Europæ loca suo adiecisse imperio, Scotiam tamen adijcere tentasse sæpe, nunquam potuisse. Nulla (ait Bozius, agens de diuinis benedictionibus in Scotia quamdiu Catholica permansit) est natio, cuius gesta monumentis fuerint consignata, quæ non fuerit adducta in potestatem gentis diuersam contrariamque religionem professæ præter vnam Scotiam. Neque vero putet aliquis non tentatam à barbaris olim nationibus irruptionem in Scotiam, nam sub annum Christi 860. Dani qui sunt ijdem cum Northmannis, Constantino secundo, Etho & Gregorio repugnantibus nihil non contenderunt vt subigerent, sed frustrà, & cõcludit, Sit igitur hoc Scotiæ præcipuum, vt nunquam succubuerit barbaricis irruptionibus & meritò; Nam quę hæreticis opinionibus locum nunquam dedit (ab anno quippe 203. Victore Pontifice sedente, quo Scoti Christi cultum sunt amplexati, in eo constantes fuere) populo ac Rege Catholica sentiente, neque par erat vt barbaris cederet nationibus. Hæc ille. Prætermitto recensere Virgines quæ in varijs orbis partibus simili animi magnitudine factoque simili martyrij coronam adeptæ sunt, de quibus Scriptores Ecclesiastici de Sancta Pelagia Antiochena, Ambrosius de Antonina Virgine, Surius de Sancta Euphrasia Virgine & Martyre, Nicephorus, & alij. Illas verò fœcunda Sanctis Scoticana Ecclesia dedit Virgines, quæ vitam ipsam virginitati posthabentes, iam cœlo cum Virginum sponso duplici insignitę corona lętantur & sequuntur agnum quocumque ierit. Vnum addo, Baronium deceptum dubia de his Virginibus VVestmonasteriensis narratione, qui vt lectori persuadeat has Virgines Anglas fuisse, Danos illos applicuisse quidem in Scotiam scribit, sed Scotia veluti prętermissa Angliam aggressos, Angliæque monasteria solo æquasse. Sed fallitur, cũ constet Constantinum secundum Scotorum Regem etiam secundo cum hisce Danis Hengar & Stubba manus cõseruisse, & ab ijsdem martyrio coronatum, Coldingamiæ etiam Abbatiam (in qua Virgines fuere) in Mercia Scotiæ prouincia fuisse semper & adhuc eiusdem ibidem superesse vestigia. Fuit, scio, alia Ebba Virgo & Abbatissa Northumbria orta Osvvaldi & Osvvi Regum soror quæ apud Scotos relictà idololatrià fidem catholicam edocta fuit sub annum 614. de qua Boëtius. Ebba vnica Elfredi filia capta, raptorem diuinà euadens ope Scaphà arreptà in mare absque humanà ope euecta est: ac tandem in Forthææ ostijs ad promontorium quod ab ea Ebbæ nomen ad nos tulit, in terram exposita sacro ab Antistite loci accepto velo inter sanctimoniales ibidem degentes est numerata. Mater tandem ac Antistita sancta-

rum virginum effecta sese virtutum exemplar omnibus imitandum præstans, probatis moribus ac Sancto viuendi instituto, ad vitæ exitum fœliciter perseuerauit, Ebbæ autem Virginis illius & Matyris, fit etiam commmemoratio ad 25. Augusti diem.

3. die. SAnctus Dimaus vel Dinaus Episcopus in Scotia. Vide de illo Vvionem lib. 3. & alios.

4. die. SAnctus Guillielmus Scotorum Rex cuius Sanctitatem eximiam mirum in modum, miraculis à Deo confirmatam fuisse testantur Coccius, Boëtius, Leslæus, Maior, & alij. Viro nobili ac locupleti filius erat isque hæres vnicus quem & vnicè diligebat, cuius alter oculus madebat sanie, altera manus arescebat, alteroque pede claudicabat. Patrem iuuenis angoribus deditum & dolore penè demētem, hortantur ad Guillielmum Regem sanctitatis fama præstantem opem imploraturus accederet. Pater desiderio sanitatis filij ad Regem aduolat & madentibus vberi fletu genis obtestatur & orat vt opem aliquam filio & hæredi præ infirmitatum multitudine penè extincto porrigat. Rex hominis alioqui nobilis statum miseratus, inuocato numine efformatoque in hæc verba crucis signo, Dominus Iesus Christus te sanet & saluet, filium sanum & incolumem patri reddidit obstupescentibus nobilibus qui aderant vniuersis. Patrem filium ex integro sanatum cernens manantibus prę gaudio lachrymis, Regi gratijs suppliciter peractis se diuino cultui solito sinceriùs mancipauit. Magna fuit huius sanctissimi Regis erga Sedem Apostolicam obedientia, vnde & Lucius tertius Pontifex maximus Guillielmo tanquam Regi Catholico, & habēti communionem Apostolicæ sedis, honorem congruum impendendum iubet, & in omnibus in quibus secundum Deum possumus (ait Pontifex) honorandum, misitque Pontifex Guillielmo Regi (teste Boetio lib. 13. historiæ, Bzouio in hist. Ecclesiastica, & alijs) tanquam fidei protectori ensem cuius capulus vaginaque aurea gemmis distincta erant, & Galerum purpureum. Sed fusius Clemens Tertius literas ad Regem Guillielmum beneuolentiæ & amoris plenas sub initium Pontificatus dedit in hæc verba. CLEMENS Episcopus, seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio Guillielmo illustri Scotorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Cum vniuersi Christi iugo subiecti, &c. Ea propter charissime in Christo fili reuerentiam ac deuotionem quam ad Romanam te habuisse à longis retro temporibus Ecclesiam nouimus, attendentes, præsentis scripti pagina duximus statuendum vt Scoticana Ecclesia Apostolicæ Sedi cuius filia specialis existit, nullo mediante de-

Sterlingi obijt Sanctus Rex, ætatis anno 74. & regni sui 49. anno verò Christi Domini 1214. & apud Arbroth monasterium, quod iam diximus illum exstruxisse, honorificè regio splendore inhumatus est.

HOc eodem die Beatus Conuallus Rex hoc nomine primus, qui S. Moduuennæ Virginis adiutus precibus & consilio, vitam transegit Christiano Rege dignissimam. Quoties aliquo proficiscebatur, crucem argenteā cum crucifixo ante se, veluti Christiani Principis vexillū, deferri iubebat: quam, priusquam equum ascenderet, osculatus, totā cū præsente multitudine adorare cōsueuerat. Lamina argētea crucis stipiti affigebatur: in ea incisū aureis caracterib⁹ GLORIA CHRISTIANORVM. Nunquam Sacerdotem quempiam sine magna reuerentia est alloquutus. Nunquam in templo tecto capite est conspectus. Leges tulit, vt qui Sacerdotem manu percussisset, eadem ei manus ferro adimeretur; qui occidisset Sacerdotem, publicatis fortunis cremaretur viuus. Edixit ad hęc vt decimas omnium terra nascentium cuncti in Sacerdotum horrea deferrent, & qui sacris, Sacerdotum authoritate, fuisset prohibitus, is hominum prohiberetur congressibus, salutaretur â nemine, petentique ius negaretur. Denique hic ille est Conuallus Rex de cuius sanctitate magnus ille Columba (postquam ex Hæbridibus in Scotiam traiecisset) interrogatus quid in Albione vidisset, respondisse fertur miraculum in Albione, quod cætera quæ antea vidisset vinceret, cum ingenti admiratione à se prospectum, Regem, videlicet Conuallum, in medijs constitutum delitijs, cuique multo plura essent ad malum, quàm ad virtutem incitamenta, cum Sacerdotibus, Monachis & Venerandis Episcopis de vitæ sanctimoniā contendentem. Vide Boëtium, & alios.

5. die. SAnctus Tigernacus Episcopus & Confessor: qui vbi primùm diuino radio illabēte in Episcopalis officij dignitatē mentem intendit suam, maturè cœpit dispicere, Episcopum talem debere esse, qualis cupit haberi, referréque plurimùm vt Euangelicus præco opinionem virtutis ac probitatis, suis sibi conciliet moribus; est enim (teste Augustino lib. 4. de doctrina Christiana cap. 27.) quantacunque granditate dictionis, maius pondus vita dicentis, quam ob causam hoc Sancto Tigernaco ratum firmumque non se nimium dare in familiaritatem hominum, quæ enim propius inspectantur, ea quoque manifestiùs quid in se habeant vitij demonstrant: sed vt spiritualis postularet vtilitas cū proximo conuersandum, vt ita nec deesset proximi iuuandi, nec offendendi adesset occasio. Tigernacus verò multis ac magnis pro Christo laboribus functus ad extremum diem vltimum clausit sub annum 879.

in Eskedalia prouincia. De eo videantur Regius in Calendario, Boëtius in historiâ, & Chronica Sconensia.

6. die. SAnctus Berchamus vel Berthamus Episcopus Orcadensis & Confessor: magna fuit is sanctitatis opinione in Sterlingensi prouinciâ. Adolescentiæ annos in celebri illo D. Columbæ monasterio non procul Sterlino siue Striuilingo transegit. Ad Episcopatum euectus statim peruolutandis Sanctorum vitis (Vironis præcipuè, Rumoldi, Plechelmi, & Kiliani Episcoporum, qui apud exteras gentes & miraculorum gloriâ & vitę sanctitate celebres habebantur,) diligenter insistere, pręclarissima eorumdem dicta & facta excerpere, & præ oculis semper habere, horum frequenti meditatione seipsum velut in speculo contemplans, magno eos imitandi ferebatur desiderio, & limpidissimâ è cœlo perfundebatur dulcedine: & certè ad imitationē illorum plurima eáque præclara gessit Berchamus Sanctus. De eo vide Regium in Calendario.

7. die. SAnctus Sigenius Abbas Benchorensis monasterij in Insulâ Hoyensi (fuit enim Benchorense aliud monasteriū in aliâ Insulâ Hoy Orcadū vnâ) ex cuius institutione & magisterio ad insignem sanè pietatem & virtutum cumulum profecit Aidanus Sanctus, quem ad Anglorum conuersionem à Scotis missum testatur, Beda lib. 3. hist. cap. 3. De hoc Sancto vide Leslæum lib. 4. historiæ in Donaldo, impios Magdiburgenses centur. 7 cap. primo, & alios.

HOc eodem die martyrium pro fide Catholica subijt Ioannes Hamyltonius successor in Episcopatu, Dauidis Betonij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Sancti Andreæ Archiepiscopi & martyris, suspensus enim ab hæreticis ad cœlestia gaudia volat anno Christi 1571. Notus versus ille impij Poëtæ.

Restis Hameltonum necat, ensis vt ante Betonum

8. die. SAnctus Dysignatus, veriùs Designatus Episcopus Traiectensis, Ducis Dalensis ex filiâ Regis Scotiæ filius. Vide Demochareṃ lib. 2. cap. 53. Dempsterum, & alios.

9. die. SAnctus Dotto Abbas apud Orcadenses celebris, vnde & Orcadum Insula vna ab eo indigitatur, & in hodiernum diem Sanctus Dotto nominatur: habebat illa Insula Ecclesias & monasteria perampla S. Brandano dicata, & celebre monasterium cui S. Dotto primus præfuit Abbatis officio. Post varia in vitâ & post mortem edita miracula, senio potius confectus quam vi grauioris morbi labefactatus lætabundus illud Dauidicum, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in

domum Domini ibimus, sępe repetens, animam Deo reddidit sub annũ Christi 502.

10. die. SAnctus Paternus Monachus Paderbonensis ciuitatis in Germania. Vir singulari modestiâ, & in domandis animi passionibus in primis acer, qui cùm multis alijs donis cœlestibus à Deo ornatus esset, tùm vnione cum Deo, in eumdem fiduciâ & prophetiæ spiritu multum excelluit. In Germaniam conuertendarum animarum causâ exemplo Sanctorum, Tanconis, Fredilini, Isingeri, Theodnani, & Kiliani, suorum gentilium se contulit, vbi post magnam animarũ messem se sibi tradidit, solique Deo cellulæ annos inclusus multos vacauit. De hoc Sancto vide Tritemium de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 524. Bozium lib. 22. de signis Ecclesiæ cap. 3. Marianum Scotum lib. 3. Chron. Sigebertum in Chron. ad annum 1058. Leslæum lib. 5. historię. Vvionem lib. 3. ligni vitæ, & alios.

11. die. SAnctus Gudlocus Confessor in Merchiâ Scotię prouinciâ vitę sanctitate & miraculorum gloriâ celebris. Parentibus natus est (patre Pennualdo & matre Tecta) non minus pietate quam generis claritate apud Mercios nobiles: Erat solitudinis & secessus amantissimus: vnde nocte quadam cum vir sanctus vigilijs & precibus deuotis insisteret, infinita propemodum Dæmonum multitudo assumptis brutorum animantium formis locum in quo fuit Gudlocus intrauit, & intrando circumquáque concussit. Ingrediebantur domum leo rugiens, taurus mugiens, aper grunniens, lupus vlulans, equus hinniens, aries balans, & coluber sibilans, &c. Vir autem Dei signo crucis se muniens dixit, cur me tẽtas Satana? Dominus mihi adiutor est, & ego despiciam inimicos meos, &c. In quamcunque autem speciem te transformes, certus sum quia neque mors neque vita, neque gladius, neque Angelus, neque Potestates, neque Principatus, neque creatura aliqua poterit me separare à charitate Dei. His dictis tota illa phantasia disparuit. Vixit in solitudine annos 15. quibus omnibus sub mortis horam Berthelino cuidam Clerico fassus est se à primo die, quo Eremum ingressus est, semper manè & vesperi Angelum suæ consolationis habuisse, qui labores & tẽtationes suas cœlesti solatio releuaret, futura prædiceret, indicaret absentia, & arcana cœlestia, & quæ nec licet nec expedit homini loqui reuelaret, verùm inter hæc solitarię vitæ gaudia deficiente iam vita, spe & in Deum fiducia plenus, extensis ad cœlum oculis & manibus, obdormiuit in Domino anno Christi circiter 716. ætatis vero 47. nam annos natus 32. se totum cœlestibus rebus meditandis in solitudine tradidit, in

qua annos 15. vixisse constat. Eius nomen idem est Scotis ac bonum omen Good Look.

12. die. Sanctus Dobanus socius Sancti Bonifacij Scoti Episcopi Trehetensis. Sanctus Vuillibaldus, vita eius pagina 387. & alij.

13. die. Sanctus Elias Abbas monasterij Scotorum Coloniæ Pantaleoni Sancto dicati. Duo fuere Coloniæ Agrippinæ Scotorum monasteria, in quæ Scoti duntaxat Monachi admittebantur, & in alijs Germaniæ locis fuere varia, quę soli Scoti inhabitabant, quod his & horum prædecessoribus in prædicanda Saxonibus fide Carolus magnus, vt plurimùm vsus sit, cæterasque Germaniæ regiones peruagati Scoti Christum prædicando magnam sanctitatis opinionem miraculis innumeris confirmatam posteris reliquerint, & fuêre quidem propemodum hi omnes Benedictini Monachi, qui cum Scotiam monasterijs repleuissent, nec angustijs diutiùs coërceri possent, in Germaniã latè redũdarunt, & varijs in locis Viennæ in Austria, Herbipoli in Franconia, Coloniæ in Vbijs & alibi liberalitate aliqua ex parte Principum, suorũ popularium seminaria excitarunt. Henricus tamen Austriæ Dux anno Christi 1121. monasterium censu lautissimo auctum Viennæ in fauorem Scotorum excitauit, atque edicto cauit, ne quis extra Scotos in illo monasterio vel Abbas crearetur, vel Monachus asciscceretur. De Eliæ in gubernaculo prudentia vitæque sanctitate, ita Trithemius: Elias Abbas monasterij Sancti Pantaleonis in Colonia, natione Scotus, vir prudens & Sanctus, cuius merita etiam post mortem in multis fuêre comprobata: religionis feruentissimus obseruator, multa bona fecit in ordine, cuius tanta erat industria, vt duo nostri ordinis monasteria pariter regeret in Colonia Sancti Pantaleonis videlicet, quod à Brunone Archiepiscopo Coloniensi fundatum & erectum fuit, & Sancti Martini. Nõ paucas à peruersis sustinuit iniurias, moritur anno 1042. pridie Idus Aprilis; & alibi. Elias Abbas monasteriorũ Sancti Martini & Pantaleonis natione Scotus obijt, vir doctus & sanctus, qui cum Monachis suis vitam arctam duxerat. De eòdem Leslæus, Episcopus Elias Abbas Diuorum Pantaleonis ac Martini, quæ sunt Scotorum monasteria in Colonia, creatur. Cuius honori ac virtuti inuidentes quidam, multis conuitijs eum ad Piligrinum Archiepiscopum Coloniensem proscinderunt, vnde Archiepiscopus Eliæ odio acerrimo infensus illum statuerit occultis insidijs delere, & omnes Scotos Monachos expellere. Verum Elias Scotus Abbas (vti Marianus scribit) cum hoc rescisset, dixit cum cæteris Scotis: si Christus in nobis peregrinis est, nunquàm viuus Coloniam redeat Piligrinus, & ita Do-

De viris Illustri. lib. 3. cap. 241

In hist. Hirsau. Monst. ad annũ 1042. lib. 5. hist.

In Chron. lib. 3. ad annum 1035.

minus compleuit: nam mors repentina hanc ſcelcratam mentem illi breui pòſt euertit. Eliam cum cæteris Scotis Eccleſiæ ſeruauit.

EOdem die Sanctus Guinochus Confeſſor & Epiſcopus: Kennentho huius nominis ſecundo Scotorum Regi fuit à conſilijs, apud quem & dignitas conciliabat reuerentiam, & vitæ ſanctitatis obſequium, eoque perſæpe vtebatur Rex Principum animos ſibi conciliando (Picti quippe, cum quibus grauiſſimum erat bellum Scotorum Principum animos à Rege auertere tentarant) vel exquirendo conſilio, vel commendandis regni negotijs apud Deum pia prece & aſſidua: in quibus officijs parati Guimocho ſemper erant Scotorum principum aditus, obuia comitas & prompta beneuolentia, & quod caput eſt, fœlix exitus, Deo Kennethi Regis conatus Sancti Guinochi precibus benedicente & promouente, quibus effectum vt Kennethus vno die ſepties cum diuerſis Pictorum turmis manus conſerens non citra miraculum victor ſemper euaſerit, qua clade Pictorum vires penitùs fractæ, ac comminutæ ſunt: vnde & poſtea ad internecionem fere deletis reliquiæ regno exturbatæ ſunt iuſto Dei iudicio, quod pro Romanis alienigenis in Britannia ſub Maximo tyranno contra Scotos, à quibus Euangelium & regnum accepêre, bellum ſæpe geſſerint, quodque cum Saxonibus idololatris contra Scotos & Britones Chriſtianos caſtra ſępe mouerint, poſtremò denique, quod viros Eccleſiaſticos, non quâ par erat reuerentiâ reueriti ſint, ſed inſtar ſeruorum violatis eorumdem priuilegijs, penes ſe habuerint. Guinochum Sanctum miraculorum fama, ſanctitatis opinione celebrem cœlitibus adiunxit, Buchania prouincia ſub annum Chriſti 838. qui erat Kennetho Regi ac regno inito quartus. Agit de Guinocho King.

14. die. SAnctus Eberhardus Epiſcopus Ratiſbonenſis, Apoſtolus Bauariæ. Vide Cratepolium pagina 52. & alios.

15. die. SAnctus Mundus Abbas, ſanctitate vitæ & miraculis celebris ad hæc noſtra tempora in prouincia Argathelia, vbi & Eccleſias ſuo nomini dicatas multas inuenire eſt. Varios hic Sanctus in vita ſpirituali diſcipulos magiſtro non diſſimiles habuit, quibus perſæpe commendaſſe dicitur, vt purum pectus, & in amore Dei ſincero flagrãs perpetuò cuſtodirent. 2. vt de Deo rebuſque diuinis duntaxat cum externis loquerentur, hoc enim ſæculares homines multitudine miſeriarum huius ſæculi oppreſſos iure à religioſis expectare, religioſos verò inſtituti ratione ſæcularibus hoc ipſum debere, cumque qualis vnuſquiſque ſit, ſermo manifeſtum faciat, nam ex abundantia cordis os loquitur, vita & verbo talis debet eſſe religioſus, qualis à ſæcularibus ha-

beri cupit. 3. vt loquendi tempus pariter ac modum præscriberet ipsa necessitas, & vtilitas seu propria seu aliena, cum sit tempus loquendi & tempus tacendi. 4. nihil agere quod non ante oculos diuini conspectus cunctorumque hominum auderent, cum Deus sit instar omnium testis & iudex, qui nec falli potest nec fallere. 5. vt hoc maximè cordi esset, se inuicem sincero, non fucato amore diligerent, eáque à se quam citissimè repellerent quæ à mutuo fraternoque amore diuellerét, memores semper præcepti diuini. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Plurima erexit hic Dei famulus monasteria in Argathelia prouincia. Ex hac vita migrauit sub Christi annum 962. De eo Regius in Calendario & alij.

16. die. SAnctus Mãnus siue Magnus Episcopus & Martyr qui fidem Catholicam quam Sernanus Sanctus Orcadensium Apostolus in Orcadibus plantauerat, non modo rigauit strenuè, sed & sanguinis effusione rigatam confirmauit: siquidem cum Nouergorum Rex Duncanum Scotorum Regem bello lacesseret, & Orcadas pertransiens magnam ibi Christiani sanguinis copiam effudisset, Sanctum Magnum Orcadensium Pastorem & Episcopum comprehendi iubet, cui cum mors intentaretur intrepidè respondit. Ego pro Deo meo millies mori paratus, verum ex parte Dei omnipotentis, cui breui seruiam in sanguine, præcipio, vt pusillo gregi meo sanguine adhuc madẽti ampliùs non noceatis: postea carnifici gladium educenti magnâ animi constantiâ caput submisit hęc nouissima proferens verba. Domine Iesu, tibi, Sanctæ Mariæ, Sanctis Palladio & Sernano commendo meipsum & gregem meum. Vide Chronica antiqua, Leslæum & alios. Passus est Sanctus Mannus Christi anno 1104. in Insula Orcadum cui Eglisia nomen est, vbi & miraculorum gloriâ ad nostra fere tempora celeberrimus ab Orcadensibus celebrabatur. Agit etiam de Sancto Magno Aberdonense Breuiarium, quem refert nobilibus ortum parentibus post laxiorem in adolescentia vitam transactam totum se diuino mancipasse obsequio, coactúmque à parentibus vxorem ducere, sed cum eâdem annos decem in magnâ vixisse castitate, vxore vero mortuâ mundo valedixisse, & postea ad sacras Insulas euectũ, martyrij corona pro fide Catholica redimitum: Quę omnia hæc peruetusto carmine apud Orcadenses cani solito contenta cernere est.

Hymnis prædulcibus Magni praconia,
Cordeque vocibus pangamus inclyta,
Eius mirifica promentes opera,

Ius dignæ memoriæ.
Vt Paulus Domino Magnus conuertitur,
Christum ex animo toto consequitur,
Ardere creditur, sed non exuritur,
Rubus dum florens cernitur.
Sic in cubiculo sponsus cum Virgine,
Insigni titulo præcontinentiæ
Vixit à Venere Diuino munere
Annis decem continuè.
De templo trahitur Magnus domini.e:
Repletus patitur ex sacrificio,
Migrat de prælio Rubius martyrio,
Castóque candens lilio.
Huius vt passio nostrorum criminum,
Fiat ablutio poscamus Dominum,
Vt nobis gaudium post hoc exilium,
Largiatur perpetuum.
Honor, laudatio per mundi Climata,
Vni sit Domino, trinóque gloria,
In trinâ machinâ, qui regit omnia,
Per cuncta semper sæcula. Amen.

17. die. SAnctus Donanus Abbas Tanglandiæ, qui in religiosâ palæstrâ tantũ breui temporis spatio in scholâ Christi profecerat, tantóque ardore cucurrerat Christi viam, vt virtutum omnium cumulo æquales suos longo post se interuallo relinqueret. Submittebat se omnibus, & hoc beatum se arbitrabatur si despiceretur ab omnibus, nec vlla eius auribus vox dulcior quam obiurgantis & reprehendentis, longéque ardentius Donanus Sanctus contumelias & ignominias, quam cæteri gloriam & sui nominis honorem sitiebat. In edomando etiam, & macerando corpore nullus apud Donanum finis. Et vt erat infirmâ valetudine, in ipsis etiam morbis, in quibus fractior esse solet animus ægrotantis, & constantiam & animi æquitatem sic semper tenuit, vt nec acerbioris morbi frangeretur incommodis, nec vsitata pietatis & deuotionis munia desereret. Fuit Donanus Sanctus magno in pretio ob virtutum ornamenta apud Duncanum Scotorum Regem, qui Donani Sancti exemplo, admirabili fuisse dicitur lenitate animi, & ad ignoscendum paratissimus. Ad superos abijt Donanus Sanctus Christi anno 144. De illo vide Regium in Calendario, & alios.

18. die. Sanctus Eduardus Episcopus Aberdonẽsis. Vide de ipso Boëtium in vitis Episcoporum Aberdonensium, Leslæum Brunum, Sinclarum & alios.

Hoc eodem die Sanctus Florentinus Regis Scotiæ filius. Hic ex Scotiâ clàm fugiens in Lotharingiæ partes peruenit, vbi in conuertendis ad Christũ animabus mirabilia operatus est. Quiescit sacrum eius corpus in Pago Bonnet in Diœcesi Tullensi in finibus Campaniæ tribus tantum leucis à ciuitate Ianuillanæ. Celebris est ad sacras eius reliquias stultorum peregrinatio, & vix vllus est qui inde, sanitate non recuperata, recedat. Vita huius Sãcti circa templi parietes descripta est.

19. die. Sanctus Columbanus Abbas reclusus. Alij eius diem festum ponunt 13. Februarij. De eo Molanus & alij.

20. die Sanctus Adelarius Episcopus Erfordiensis, Franconiæ Apostolus Martyr socius Sancti Bonifacij ex Melrosia. De eo Scoti-Chronicon, & alij.

Hoc eodem die Sanctus Sernanus Episcopus & Confessor & Orcadensium Apostolus: hic honestis in Scotia ortus parentibus, Culrossani monasterij Monachis educandus traditus est sub annum Christi 426. (fuit enim Culrossa Monasterium ante Palladij Sancti in Scotiam aduentum apud Scotos celebre, & virorum Sanctorum fœcundum) Vbi post humanas sacrasque disciplinas, quas Sanctos Kentigernum & Ternanum ibidem docuit, Sancto Palladio (hic quippe à Cœlestino Pontifice ad Scotos missus fuit sub annum 431. vt Pelagianam hæresim pullulantem supprimeret) in opus Euangelij disseminandi se deuouit. Corruptores Catholicæ religionis detestabatur grauissimè, & insectabatur acerrimè, nihil etiam non moliebatur vt Orcadenses nondum Christi initiatos Ecclesiæ Catholicæ coniungeret. Magno igitur labore sæuientis maris incommoda nihil formidans ad Orcadas à Palladio Sancto missus est, vbi infidelitatis errore deprauata inuenit omnia: itaque Sernanus frequenti celebratione Missarum conciliato sibi numine inchoandam sibi animarum salutem à cura corporum statuit, vnde vinctos in custodijs & necessitate oppressos officiosè statis temporibus inuisebat: viris etiam primarijs diuinâ prædicatione verbi, colloquijsque priuatis non deerat, Domino vbique cooperante & sermonem confirmante signis & miraculis. His & huiusmodi Apostolicæ charitatis officijs eò vsque celebrari peruulgarique cœpit Sernanus, vt iam tum Orcadianorum Apostolus nominaretur, varias scripsit epistolas ex quibus luce clariùs appareret, quanta Sernano esset cum diuina mente coniunctio, quam affluens quamque

quámque redundans diuinarum suauitatum copia, quã crebris quámque perpetuis à Deo splendoribus spiritualibus mens eius illustraretur, quantáque eius in proximum charitas, qualis etiam pro Christo martyrij subeundi sitis & ardor. De illo agunt Sconensia Chronica, Arnoldus in Theatro conuersionis gentium, Leslæus lib. 4. historiæ Scoticæ, Maior in eadem historia, Regius in Calendario, & alij quorum multi tradunt huius viri sanctissimi precibus effectum, vt nullus serpens, venenatum animal nullum, ne quidem quod venenatorum speciem referret, cuiusmodi est rana, apud Orcadenses reperiri sit.

21. die. SAnctus Domitius Abbas. De eo Vvion, Leslæus & alij.

HOc eodem die Sanctus Vvalaricus Confessor qui Sancti Columbani Abbatis & magistri vestigijs inhæsit strenuè, quique non modo in familiari de rebus diuinis colloquio verùm etiam in sanandis Christianorum suo exemplo moribus vicariam Columbo Sancto dabat operam. Et quamuis raro hic Dei famulus agendi cum Deo per orationes & lachrymas etiam in medijs congressibus consuetudinem intermitteret, secedebat tamen sæpe in loca a strepitu remota, vt ex tot peregrinationum molestijs paululum respiraret, sibique vacaret & proximo sanctis apud Deum precibus & postulationibus. De eo Bozius lib. 22. de signis Ecclesiæ cap, 2. & alij.

22. die. SAncta Ethelreda Virgo in Coldingham. De ea Polidorus lib. 4. pagina 4. & alij.

23. die. SAnctus Adelinus Martyr & Episcopus qui relicta Scotia summo prædicandæ fidei desiderio æstuans in Germaniam concessit vnà cum Kiliano Sancto Franconiæ Apostolo, vbi Euangelici præconis obiens munia, quocunque pergebat suæ vestigia sanctitatis relinquebat. De ipso Sigebertus in Chron. ad annum 694. & alij.

24. die. HOdie cœlestia petijt Beatus Patricius Franciscanus, qui direpto suo Deidonensi ab hęreticis monasterio, cum ægrè ferret augustissimum Christi corpus violari, multis vulneribus confossus ante defensa altaria occubuit perituræ pietatis victima ãno Christi 1559.

25. die. SAnctus Cunibertus Episcopus & Cõfessor, hic religiosis Bammirini monasterij educandus à puero traditur (est quidem Bammirinum Cœnobium non procul à loco cui Vvood Heauuin nomẽ iuxta Taijęstuarium) eorumque documentis & vitæ exemplo adeò in omnem virtutem excreuisse dicitur, vt postea ad sacras Insulas, licet inuitus euectus sit. Verùm tanto solitariæ vitæ ducendæ tenebatur desi-

derio, vt Episcopatu relicto in Eremum se contulerit, & vsque ad extremum spiritum (quem Deo fœlicissimè reddidit sub annum 690.) in eadem permanserit vbi & aquam è saxo euocauit. De eo agitur breuiter in Theatro vitæ humanæ lib. 1.

26. die. SAnctus Erenæus Abbas. De eo Adamānus lib. 71 cap. 3 Scoti-Chronicon lib. 3. cap. 14. Brunus, Sinclarus, & alij. Alij eius diem festum ponunt 15. Februarij.

27. die. SAnctus Eusebius Sancti Reguli socius. De eo Sinclarus, Brunus, & alij. Eius diem festum alij ponunt 30. Septembris.

HOc eodē die cœlestia petijt Iacobus Vvood Bonytonię Toparcha, inducentibus Edimburgi Satanæ Ministellis, ferale sed lætum theatrum conscendit, Deoque vitam sub solis ortum beatissimus reddidit anno 1601.

28. die. SAnctus Kortillus Episcopus Verdensis & Martyr qui fidem Saxonum populis prædicauit. De eo Demochares in Catalogo Episcoporum Verdensium, Crantzius lib. 1. Metrop. cap. 29. Cœlestia petijt sub Christi annum 826.

29. die. SAnctus Middanus Abbas monasterij Sacrum Boscum dicti, ordinis Sancti Benedicti in Niddisdalia Scotiæ Prouinciā, in quo insignis ille Mathematicus Ioannes à Sacro Bosco à teneris annis educatus fuit. Magna fuit Middanus Abbas apud suos subditos sermonis efficaciā, cum eosdem officij admoneret, referreque plurimùm (aiebat) ad fructuosam correctionem subditi, si superior seipsum examinet, & coram Deo sincerè humiliet priusquam corrigat, vt tantò temperantiùs humili corde corrigat, quantò veriùs seipsum in eo quem emendat agnoscit. De eo Leslæus lib. 5. historiæ Scoticæ, Dempsterus, & alij.

30. die. SAncta Mathildis Regina Angliæ, Sanctorum Malcolmi & Margaretæ Scotiæ Principum filia, & Henrico primo Anglorum Regi connubio iuncta. Hæc vt erat omnibus naturæ & gratiæ donis à Deo ornata, vnde & cognomento Sancta & bona dicta est, sic erga pauperes infirmos & præsertim lepra infectos singulari amoris ferebatur affectu. Itaque nec Noscomiorum pædores horrebat, nec ægrotantium spiritum quibus se ministram dabat, quin & leprosorum plagis pia dabat oscula & quod non minimum diuini amoris indicium est, adeò diuinā consuetudine colloquióque ducebatur, vt horas tres quatuorue continuas, licet cætero regni negotijs distracta, summa spiritus consolatione quotidiè transigeret. Hæc & huiusmodi pietatis officia & chari-

tatis munia à matre Sancta Margareta in Scotia edocta fuit. Flos de huius Reginæ virtutibus versus posteritati reliquit scriptor Anglus:

Prospera non latam fecere, nec aspera tristem
Aspera risus ei, prospera terror erant.
Non decor effecit fragilem, non sceptra superbam,
Sola potens humilis sola pudica decens.
Maij prima dies nostrorum nocte dierum,
Raptam perpetuo fecit inesse die.

A fundamentis ædificari curauit non procul Londino hospitium pro leprosis. Ex hac vita migrauit sub annum Christi 1118. De ea vide Surium ad decimum Iunij, Du Chesne lib. 11. Leslæum lib. 6. historiæ, & alios.

MAIVS.

1. die. SAANCTVS VVILLIBALDVS primus Episcopus Eistetensis, de quo inter alios agit Tritemius in Scriptoribus, &c. His verbis, Vvillibaldus Scotus primus Episcopus Eistetensis, frater Sanctæ Vvalpurgis, discipulus Sancti Bonifacij, scripsit vitam ipsius petente Sancto Lullo Archiepiscopo Moguntino. Idem asserit Molanus ad primum Maij in additionibus ad Vsuardum: Vvillibaldus (inquit) primus Episcopus Eistetēsis natione Scotus scripsit vitam Sancti Bonifacij Episcopi, &c.

HOc eodem die Sanctus Vvinibaldus frater Sācti Vvillibaldi, cuius vitam scripsit Reginoldus, &c. De eo Molanus, Mermannius in Theatro conuersionis gentium, & alij. Non defuerunt qui dicerent Sanctum Vvinibaldum Anglum & Richardi Anglorum Regis filium, in sequentibus versibus fundati.

Hic Vvinibaldus, Richardi filius almus,
Qui Regnum Anglorum mox linquens, hoc Monachorum,
Claustrum fundauit, Benedictique rigauit
Nomine, septingento, quinquagesimoque anno.

Falluntur tamen, nec versus hi vllius sunt authoritatis; cum certissimum sit nullum Regem Angliæ huius nominis illo tempore quo vixit S. Vvinibaldus, anno videlicet 700. & quod excurrit, in Anglia regnasse, nec Regem Angliæ nominari potuisse, cum illa quę nunc est Anglia, appellationem illam adhuc sortita non esset, primus enim qui Angliam hoc nomine vocari edicto cauit, fuit Egbertus Saxonum Occidentalium Rex anno Domini 862.

Hoc eodem etiam die Sancta Vualpurga vel Vualburga soror Sanctorum Vvillibaldi & Vvinibaldi. Vide Tritemium citatum, Dempsterum, & alios.

Hoc eodem die cœlestia petijt Ioannes Maior Doctor Sorbonicus ac Theologus eximius, vt testantur eius scripta quæ in Sacram Scripturam & Magistrum sententiarum reliquit: nobilis etiam Philosophus, vt testantur monimenta quæ reliquit. Vir fuit magnæ pietatis & Christianæ simplicitatis.

Hoc etiã die Sanctus Vltanus vel Vvltanus Abbas & Sancti Fursæi frater. De eo vide Tritemium de viris illustribus ordinis Sancti Benedicti, Regium in Calendario, Molanum in additionibus ad Vsuardum, & alios. Fuit hic Dei famulus insignis prophetiæ dono & magna sanctitatis opinione apud omnes, sed præcipuè apud Sanctam Virginem Gertrudem, quæ cum iam prope adesset dies migrationis eius vni ad se accito è fratribus, dixit: abi celeriter ad illum peregrinum Monachum qui Vltanus dicitur, degitque in monasterio quod Folluense appellant, dicasque illi: Virgo Christi Gertrudis misit me sciscitatum ex te, quo sit die ab hac luce discessura, valde enim se formidare dicit pariterque lætari. Porrò ab illo auditurus es quæ ad me responsa referre debeas. Fecit ille quod iussus erat, respondit que ei seruus Christi Vltanus: Crastino die intra missarum solemnia Christi Virgo Gertrudis è corpore abcedet: dicas verò illi ne quicquam trepidet ad suum obitum, sed læta proficiscatur, Sãcto Patricio Episcopo cum beatissimis Angelicis spiritibus cum ingenti gloria ipsam excepturo.

Hoc denique die Sanctus Asaphus primus Abbas monasterij Glascuensis quod à Sancto Kentigerno ad Colrossanæ Abbatiæ (in qua educatus fuit Kentigernus) formam erectum fuit, posteà verò Episcopus in Anglia fuit. Missus quippe fuit Asaphus Sanctus à Sancto Kentigerno in Angliam vt fidem prædicaret Catholicam. De eo Vvion lib. de ligno vitæ, Molanus in Annotationibus ad Vsuardum, Regius in Calendario, Posseuinus in Bibliotheca.

2. die. SAnctus Columbanus Episcopus apud Scotos celebris cuius virtutis testimonium insigne inter cætera hoc erat, quod oblatas Infulas non modo diu respuerit, verùm etiam viros primariæ dignitatis apud Regem, summis precibus obsecrarit, ne tantum onus suis imponeretur humeris. Celebris habetur in Hebridibus Insulis præsertim Insula Iona dicta. De eo Leslæus lib. 4. Decreta Honorij primi PP. cap. 19. tom. 3. consil.

3. die. SAnctus Vvalterus vel Gualterus Abbas Mailrossensis monasterij Scoticè Moyres dicti. Hic inuitis parentibus (erat enim Dauidis Regis sanctissimi filius) superatisque omnibus difficultatibus induxit in animum humana omnia deserere, sesque Deo in Mailrossensi monasterio dicare: in quo infra omnes sese perpetuo dimittebat, & præ omnibus sese contenebat, insignis paupertatis amator, beatissimæ Virginis Mariæ cultor egregius. Archiepiscopatum Sancti Andreæ repudiauit. Malcolmo Scotorum Regi (qui Virgo cognominatus fuit) author fuit, vt quorumdam monasteriorum fundamenta iaceret: librum inscriptum (Regulæ Ecclesiasticæ) est commantatus. Ex hac vita migrauit sub Christi annum 1160. qui erat à morte Dauidis Regis & parentis nonus, aliis septimus. Sunt qui ad secundum Augusti diem eius festum celebrari scribunt.

4. die. SAnctus Haymarus Episcopus & Martyr qui Sancti Mansueti Scoti in Tullensi cathedra successor fuit, & ordine vigesimus septimus: vir prædicandæ fidei Catholicæ zelo ardentissimo, cuius prædicationi non singularis modo doctrina visque dicendi, sed multò magis perspecta eximiarum virtutum exempla pondus dabant, duasque in eo præcipuè virtutes suspiciebant omnes, mundanarum videlicet rerum contemptum & excelsitatem animi inter quosvis terrores inuictam ex magno pro Christo patiendi desiderio pullulantem, vnde in Tullensi agro ab eodem non segniter exculto extensis brachiis ad crucis modum, oculis in cœlum intentis, matyrii palmam lanceis perfossus, adeptus est sub Christi annum 760. Vide Democharem in Catalogo Episcoporum Antisiodorensium, & alios.

5. die. SAnctus Scandalaus Confessor. De eo agitur in vita Sancti Columbæ Abbatis.

6. die. SAnctus Eadmerus veriùs Edmerus Archiepiscopus Sancti Andreæ in Scotia. De eo Rogerus Houeden part. 1. pag. 273. & alii.

7. die. SAnctus Herebertus Episcopus Frisingensis. De eo Gregorii secundi PP. literæ, Tritemius, & alii. Alii eius diem festum celebrari dicunt 6. huius mensis.

8 die. SAnctus Cataldus Episcopus Tarentinus. De eo vide tabulas Tarentinas librum de Canonicis Regularibus pagina 42.

HOc eodem die Sanctus Benignus. De eo agitur in vita Sancti Liuini Scoti.

Hoc eodem etiam die Sanctus Viro Episcopus qui conuersatione

in cœlo, operâ & labore in terris, hos Sanctos illos administratores spiritus, æmulabatur, quod sicut illi inter-ministerij, ad quod mittuntur sedulitatem, semper vident faciem Patris qui in cœlis est, ita ipse actionem externã vnioni mentis cum Deo emiuentissimè mirificè iungebat, Deum vbique & in cunctis actionibus præsentem cerneus. Ob has animi dotes dignus inuentus qui Glascuensem regeret cathedram in Episcopum electus. Verùm post Romam abit non terrenæ quidem dignitatis ambitione, sed diu cupitę peregrinationis desiderio. Comes autem & itineris & voti fuit Plechelmus Sacerdos, virtute venerabilis, nec ætate maior, nec meritis multò minor. Vbi autem Romanus Pontifex eos aduenisse cognouit, Beatum Vironem ad se asciuit, & intuitus eum in eius ruens amplexus osculatus est eum, non sine lachrymis. Deinde Pontifex nomen & patriam, animique propositum ex eo percunctatus est, postque multis auctum muneribus, remisit in patriam. Redit igitur in Scotiam Sanctus Viro, vbi miraculis & sanctitate vitæ celebris, Christum Iesum exteris prædicandi desiderio cœpit ferri maximo, vnde in Galliam se conferens apud Pipinum Gallorum Regem tanto fuit in honore, vt eidem tanquam Præsuli animæ suæ vitæque patrono propter eximiam sanctitatem sua illi peccata confiteri solitus sit, nec erubuerit ad faciendam confessionem detractis calceis eum adire, eiusque imperio parêre. Sępius volebat eum interesse communibus consultationibus Maiorum, erat enim consilio maturus, nec vnquam visus est præ indignatione aut liuore corrugasse fronté. Exstruxit beatus Viro in Gallia sanctissimę Virgini Mariæ (de que summâ animi teneritudine loquebatur sæpe) Oratorium, & Diuo Petro monasterium. Vitam huius apostolici viri fusè descripsit Surius ad hunc diem, cuius initium. Scotia fertilis Sanctorum virorum Insula, & stellarum numerum propè æquans patrocinijs sanctorum, in multorum salutem produxit beatum Vironem non infimæ sanè condirionis parentibus ortum, &c. De hoc Sancto vide eumdem Surium, Lippeloum tomo secundo ad hunc diem, Gazeum in historia Ecclesiastica, Molanũ in Chronica recapitulatione Sanctorum Belgij, Vvionem lib. 3. ligni vitæ, Baronium tomo octauo ad annum 631. Bonifacium in historia Virginali lib. 2. Stephanũ Abbatem in vita Sancti Modoaldi libro primo cap. 2. & 34. Tritemium de viris illustribus ordinis Sancti Benedicti lib. 3. cap. 263. Capgrauium Anglum in legenda Sanctorum Angliæ, Chronica Dumfermlensia, & alios.

Hoc eodem etiam die Sanctus Gibrianus vel Gibirinus Confessor, de quo manuscriptus codex Remensis in hunc modum. Fuit Sanctus

Gibrianus de Scotia oriundus parentibus secundùm sæculi dignitatem non infimis, Christianissimis tamen. Qualis fuerit à pueritia Christi sequendo vestigia in eius ætate declaratur adultâ, in quâ ad Præsbyterij prouehi meruit diuino instinctu fastigia. Parcimoniæ verò cæterarumque virtutum, qualis interim obseruatur, extiterit scriptum quidem minimè reperimus. Floruit autem beati Remigij temporibus, reliquerat autem hic solum natale causa peregrinandi, expetens pro Christo nationem exteram, & ductus amore Sancti Remigii in ipsius diœcesi, hoc est in territorio Cathalaunensi super fluuium Matronam honorabilem sibi habitationem elegit: propositi autem sui tenax, sedulum Christo ibi exhibebat officium, atque vt beati Remigii, dum adhuc superesset, frui & instrui meruit eruditionibus, itaque quoque post obitum eius corpori associari dignus fuit. Siquidem à venerabili Comite Haderico diuino admonitu à sepulturæ suæ loco sublatus, in Ecclesia prefati Antistitis in Serinio argenteo decenter adornato iuxta eundem Sanctum conditus est, vbi per eius merita Dominus multis diebus plurima facere dignatus est miracula. Sed postea sacra Gibriani ossa ab illo feretro (à quo ornamenta quæque ad subueniendum extremâ fame laborantium necessitati subtracta erant) remota sunt, & in alio auro, argento lapidibusq; pretiosis iterum fabricato, reuerēter posita sunt 16. Kalendas Maii anno 1145 tempore Ludouici 7. Francorum Regis à Domino Samsone Remorum Archiprçsule, instante Resurrectionis die. Et vt ad tam sancta tamque reuerenda Confessoris Christi ossa tangenda & promouenda Dominus Archiepiscopus se prapararet, sacráque pignora cernerentur à populo, nūtiantur hæc ciuibus, & vt ad spectaculum tanti gaudii ferià 2. Paschæ reuerenter adueniant indicitur. Venit dies expectatus, adest Archiepiscopus cum Clero, Monachi cum Pastore Odone & multorum millium vtriusque sexus & ætatis turbâ. Aderant & Guillelmus Sancti Nicasii, & Viso Sancti Dionysii Abbates. Archiepiscopus autem Pontificialibus indutus vestimentis, lecto Euangelio è suggestu concionem habuit ad populū, quâ finitâ feretro nouo benedicto & aquâ benedictâ asperso, cantata est ab omnibus Antiphona. Sancte Gibriane, &c. additâ collectâ & benedictione. Quibus finitis, loculum in quo sancta ossa iacebant confregit, & nudata ostendit, postea cum ipso capite signans populum in Serinium paratum Sancti membra, vt erant pallio serico inuoluta, diligentet recondidit, sicque descendens ad diuina tractāda reuersus est. Iam de miraculis ab ipsa die inceptis & post paruo sub tempore ostensis, pauca de multis exaremus. Ipso eodē die Clericus paralyticus

cum tribus annis contractus iacuisset in Eleemosina Sancti Remigii opitulante Sancto Gibriano surrexit, & in statum pristinum rediit, & ad eius feretrum Deum & Sanctum glorificans accessit. Hic verò erat Sancti compatriota & natione Scotus, ex quo miraculorum suorum initia sumpsit. Quidam iuuenis de Baioacensi ciuitate in Morthmannia ab vtero matris suæ sinistram partẽ corporis aridam humerúmque & brachium cum manu contractum habebat, linguam etiam impeditam gestabat. Hunc mater iuxta se cum candela locauerat, & Sanctum vt operam ferret cum suspiriis orabat, infirmus verò ob doloré neruorum nimium magnas emittebat voces & gemitus, ad cuius voces territus populus aduenit, pro eiusque sanitate multas ad Deum preces fudit, populóque cernente saluus & incolumis factus est. Præterea infantulus Petrus nomine, in quamdam aquarum congeriem casu decidens, submersus est, sed postea à parentibus ante Gibriani reliquias extensus multis cernentibus & Deum benedicentibus reuixit. Constantinus quidam nomine de alba ripa ambobus cruribus vno anno contractis duos ad collum baculos, quibus innitebatur, gerens per mediam turbam irrupit vociferans se ope diuina & meritis beati Gibriani sanitatem recepisse, cúmque ad feretrum adductus fuisset, & Clerus cum populo pro curatione eius adhuc in laudibus persisteret: continuò ex aduerso tres sanati aduenerunt, mulier scilicet quæ in sinistra coxa quinque foramina vlcerosa habebat, quæ iam pene totum corpus exsiccauerant, & omnia mẽbra venis neruisque retractis debilitauerant, sed & vno crure quinque annis contracta baculo sustentata incesserat: quæ in momento curata plagísque exsiccatis hilaris ad Sanctum Dei alios præcessit. Quam sequutus est secundus homo nomine Nicolaus de Sauione villa natus, hic paralysi percussus toto corpore pessimo morbo infectus omnibúsque membris impotens & contractus tribus hebdomadis mansit, qui & ante corpus sanctissimi Confessoris Christi Gibriani iam decem diebus vigilauerat, cum supradicta vero eadem hora, eodémque momento erectus, & superna gratia vegetatus ad pignus venerabile deosculandum accessit. Tertius fuit Godefridus quidam de Birsina cui de curru decidenti rotarum pondere membra corporis confracta sunt, summosque patiebatur dolores, eo tamen ante Gibriani pignora collocato pristina corporis sanitas cunctis cernentibus rediit. Cætera quæ tribus libris integris recensentur miracula breuitatis causa prætermitto. Agit etiam de Gibriano Flodoardus lib. 4. hist. Rem. cap. 9. qui recensitis Gibriani fratribus & sororibus subiunxit. Quorum hic Gibrianus Sanctus Sacerdos

quemdam virum elegit ad habitandum cosla vocatum. Vbi plurimis annorum curriculis sobriè, iustè & piè viuens vsque ad exitum vitæ bonum striduit certamen certare, cuius corpus primo iuxta publicum fertur aggerem fuisse sepultum. Vbi postea supra tumbam istius est oratorij ædicula constructa ob insequia scilicet quædam miraculorum ibidé manifestata. Ad quam confluxere populi solita frequentia, maximè cùm depositionis eiusdé celebrarétur festa. Multa namq; mihi sanitatis tribuebantur remedia, ex quibus quædam habentur descripta, sed plurima cælantur ignota. Tres tamen mulieres nominibus ascriptis ibidé nominantur illuminatæ. Cuidam præterea nomine Grimoart manus cum integrâ est sanitate restituta. Tempore denique Regis Odonis grassante Normanorum crudelitate, terrasq; Francorum vastante hui⁹ Sancti Ecclesiola igne cremata est cum alijs multis eiusdem pagi. Post cuius combustionem sæpius auditæ feruntur voces psallentium personarum non apparentium: luminaria tamen quædam noctibus inibi videbantur ardentia. Cumque fama huiusmodi virtutum circumquaque percrebuisset, superno diutius amore, sanctiq; veneratione Stadericus religiosus comes accessit ad Rodoardum Episcopum Ecclesiæ Catalaunicæ obnixè flagitans, vt quia locus ille, vbi sacrũ hoc corpus sub dio iacebat, funditus erat destructus, daret ei licentiam illud transferendi vbi deuotius & venerabilius seruari valuisset. Qui dum diu persistens in precibus tandem suæ petitionis obtinuisset effectũ, vocato nauta fertur ei naulum dedisse eo tenore vt noctu ante galli cantum ad oram fluminis eius præstolaretur aduentum. Cumque statuto noctis tempore viri tres cum quodam sacerdote adessent fluuij ripæ missi ab hoc comite, nauta defuit naue vlteriori defixa fluminis oræ. His quoque viris aduẽtũ nauigeri diu præstolantibus, & vicissim clamanttbus cum nemo eis responderet, dolore perculsi proruunt in terrã proni deuotè precantes vt si Deo placitum foret corpus illius Sancti de loco eodem transferri, aliquibus id eis dignaretur ostendere signis. Moxque nauis soluta diuina virtute nexu quo tenebatur affixa ripę qua expectabatur mirabiliter accedit appulsa. Quod admirando perspicientes & maximas Deo gratias referẽtes ascendũt nauẽ devolũtate Dei certiores effecti. Accedẽtesq; ad locũ sepulchri & aperto saxeo in quo sacra mẽbra iacebãt sarcophago, reuerenter eleuant transponentes hęc in parato ad id opus nouiter scriniolo, sicq; ac cum ingenti gaudio remeantes ad nauem transeunt celeriter flumen hoc pignus cum laudibus deferentes ad vicum Balbiacum, vbi per triennium constat honorabiliter collocatum & conseruatum.

Posthæc ad Ecclesiam B. Remigij est honorificè delatum, & custodi Ecclesiæ deuotè commissum, iuxtaque sepulchrum huius sanctissimi patris honorificè collocatum. Post biennium præfatus Comes cum vxore sua Herisinde dominuũ Fulconem præsulem humiliter expetiit, postulans vt ei locum sepulturæ concederet in dextra huius Ecclesiæ parte iuxta ostium Cryptæ: quo impetrato, & altari statuto, atque argenteo decore cooperto illic decenter hæc venerabilia deponuntur membra. Denique postquam à præfato sepulturæ suæ sublata sunt loco quædam mulier cœca Erentrudis nomine illo candelam deferens accessit impetrandæ causa medelæ. At comperto sacrum corpus inde sublatum penitus esse nimio angore affecta cœpit flendo cõqueri cur Sanctus hic Domini abinde se permisisset auferri, & cur deseruisset vicinos quibus beneficia solitus erat præbere diuina. Subueniri ergo sibi gemitibus exposcens visum sibi est proficisci debere ad vicum matris cùm vbi frater eius sanctus quiescebat Veranus. Ad cuius sepulchrũ candelam ponens seseque in oratione prosternens cœpit flendo vtrumq; inuocare fratrẽ: Dumquè sancti crebrò nomen repetit Gibriani cœpit caligo albuginis ab oculis eius abrumpi, sicq; diuina propitiante pietate prisco redonatur lumine. Agit etiam de Gibriano Boetius in hist. Vixit (inquit) &c. tempore haud multum ab hoc diuerso Gibrianus nostras vir insigni pietate, qui Ethnicorum in Albione iniuriam declinans cum fratribus ac sororibus, quos eadem in Christo mouerat charitas, transmisit in Galliam, vbi Remensem ciuitatem vitæ sanctimonia & miraculis ornauit. Sigebertus in chron. ad am. 509. Gibrianus Scotus cum fratrib⁹ & sororibus in Galliam peregrinatus vrbem Remensem vita & morte sua illustrat, Leslæus Episcopus lib. 4 hist. in Corrano Rege, Eodem tempore (id est sub annum 530) Gibrianus nostras vir pietate insignis, veritus ne Ethnicorũ (Saxones quippe Idololatræ InsulãBritanniæ ingressi Scotos bello lacessebant) in Albione impeteretur iniuriis, fratres sorores precibus in eam sentẽtiã induxit, vt secũ in Galliã transmittẽtes in Christi veneratione reliquam vitam sanctè pacatéque collocarent, descendunt in Remensem ciuitatem, in qua Gibrianus ita pietatis laude floruit vt Christus in huius sanctitate, vita, moribus, miraculis suam gloriam ibidem maximè amplificari voluerit. Denique Maior lib. 2. cap. 5. de gestis Scotorum. Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus vitam austeram circa Remos in Gallia ducunt, & illic requiescunt.

9 die. SAnctus Ioannes Apostolus Bauarorum, Apostolus Saltzburgensium. De eo Vnion, Tritemius & alij.

10. die. SAnctus Hildebertus Abbas in Scotia & Archiepiscopus, Episcopus Cenomanensis in Gallia, & sancti Sedulij præceptor. Fuit sanctus Hildebertus eximiâ sanctitate & singulari doctrinâ prædictus. Floruit sub annum Christi 309. De eo vide Malmesburiensẽ lib. 4. pag. 75. Tritemium lib. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti, & lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. Posseuinum in apparatu sacro, & alios.

11. die. SAnctus Faustus Episcopus Regiensis in Gallia Sancti Columbani Scoti magister. Vide Notker. Balbul. & alios.

12. die. SAnctus Congallus Abbas Rathurelfigi Monasterii in Scotia. Agunt de hoc sancto Aberdonense breuiarium, & Sconensia Chronica his verbis. Sanctus Congallus in Scotia natus Patre, cui Sehethuanus nomen, & matre cui Briga nomen: quæ cum esset grauida deuotionis causa ad locum quemdam religione celebrem proficisci statuit: in itinere Episcopum sanctum, & prophetico dono insignem cui Mathissus nomen, conuenit, à quo etiam se insequenti die ante solis occasum parituram filium magnum coram Domino, cui Congall⁹ esset nomen, prophetico spiritu accepit. Congallo verò nato sacerdos quidam cœcus, & visu orbatus, sed in nouo veterique testamento, sanctorumque patrum decretis mirabiliter versatus, obnixè petiit, vt liceret illi & non alteri Congallum baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; quod cum fecisset, aquâ baptismatis cùm oculos & faciem lauasset, subitò visum accepit, & literas quas nunquam antea viderat perfectè cognouit. Congallo verò adolescentiæ annos ingresso in celebri illo apud Scotos monasterio, cui Banchora nomen, Sancto Moreno Abbati instituendus traditur, cui etiam Abbatis in officio successit. Quodam tempore dum sanctus Columba ab Insula Iona ad Benchorense Monasterium nauigaret, accidit vt vnus de suis fratribus graui præoccupatus infirmitate in naui moreretur. Cum autem ad ostium fluuii nomine Bice peruenirent defunctum inter sarcinas nauis in occulto ponentes loco ad monasterium festinanter abierunt; vbi cum magno suscepti sunt gaudio. Postquam autem se inuicem in osculo sancto salutassent, Congallus pedes peregrinorum lauit, ac deinde si aliquos extra numerum, quem vidit, haberent, interrogauit. Sanctus Columba prouida quadam delusione respondens dixit, in naui remansisse vnum. Tunc beatus Congallus feruore charitatis repletus ait, mittatur pro eo vt cum cæteris beneficio locutionis ac recreationis gaudeat, oportet enim vt vos omnes manus & pedes post nauigij

laborem foueatis: nauis namque cum rebus suis salua erit: Sanctus Columba sciens quod in omnibus esset B. Congallus à Deo audiendus, dixit, Frater ille non veniet nisi tu ipse prò eo vadas. Congallus sine morâ ad nauem properat, & fratrem statim non comparentem inter sarcinas dormire eum putans diligenter perquisiuit, & quem viuum esse putauit, mortuum inuenit. Tunc homo Dei in se stupefactus ad solita orationis suffragia recurrẽs omnipotentẽ Deũ pro illo suppliciter exorauit, dicens In nomine Dñi nri Iesu Christi surge ac festina venire ad fratres tuos. Ille verò quasi à somno suscitatus statim surrexit nullũ mortis signum in se habens. Ipsis verò ad monasterium venientibus sanctus Columba illum respiciens monoculum, statim Congallo sancto nunciauit, qui dixit, non luscum aut debilem, sed toto corpore & omnibus membris integrum donari mihi à Domino rogaui, qui mox exauditus est, nam eadem hora fons viuus in loco vbi steterunt erupit, in quo frater ille qui mortuus fuerat & ressuscitatus iussu hominis Dei faciem lauans oculum accepit meliorem ac pulchriorem cuius acies etiam in senectute non est diminuta. Hic idem Beatus quatuor alios mortuos per Dei virtutem vitæ restituit, aliaque miracula perplurima Deo cooperante fecit. 80 ætatis suæ anno migrauit ad Christum.

13. die. Sanctus Fastidius Episcopus in Scotia. Vide Honorium Augustodunensem libro de lumin. Eccles. & alios.

14. die. Sanctus Eligius Episcopus Nouiocomensis, Gallis Eloy, Italis Alo. Vide auctorem vitæ Anonymum, Breuiarium Scoticum Bruni historiam, & alios.

15. die. Sanctus Chromanus presbyter & confessor in Mernia Scotiæ prouincia, doctrinâ & miraculorum famâ celebris, acerrimus fuit Ecclesiasticorum propugnator rituum, & Catholicæ Paschalis celebrandi auctor. Obiit sub Christi annum 644.

16. die. Sanctus Brandanus Abbas, Apostolus Orcadum & Scoticarum insularum, qui cum puer esset Herci Episcopi viri doctissimi lateri semper adhæsit, à quo purioris literaturæ rudimenta percepit: grandior deinde factus Monachatum suscepit. Tantam verò discipulorum suarum manuum laboribus victitantium multitudinem collegit, vt trium millium Monachorum diceretur Abbas, multaque ad monasticam vitam spectantia ex ore Angeli suscepta composuisse dicitur. Patrem habuit Finlug: mater verò dicta est Cara, quæ nocte quadam somniauit sinum suum auro obriso plenum esse, suasque ma-

millas ardere, & ingenti luce splendere: quod cùm marito suo indicaret, Episcopo Herco referre ipse curauit, qui mysterium somnij intelligens dixit, Finlug, vxor tua pariet tibi filium potentia quidem magnum, sanctitate verò illustrem, vnde te rogo vt mihi illum tradas ad nutriendum: quod factum est adhæsit enim vt diximus, sancto Episcopo. In festo vno sancti Petri Apostoli videns sanctus Brandanus pisciũ innumeram multitudinem, iussit eos Deum laudare, qui super vndas enatantes vocibus intonare cœperunt. Alio tempore ferebatur ad sepulchrum iuuenis, parentibus & cognatis miserabiliter eum plangentibus, quorum lamentis compatiens vir sanctus, pietate plenus ad loculum accedens orauit, & qui mortuus fuerat reuixit. De eo vide fasciculum temporum in sexta ætate, Vnionem lib. 3. ligni vitæ, Breuiarium Alberdonense, Sconensia chronica, Petrum de Natalibus, & alios.

Hoc eodem die S. Brandanus Abbas Culrossiæ. De eo vide breuia-Scoticum ad hunc diem, & alios.

Hoc eodem etiam die sanctus Benthus Confessor.

17. die. SAnctus Conuallus Abbas & sancti Kentigerni à teneris annis discipulus. Magno fuit in honore hic Sanctus apud Aidanum Scotorum Regem qui eiusdem suasu & consilio fidem Catholicã non domi solum, sed & apud Pictos quacunque potuit ratione amplificauit. De hoc Sancto vide Leslæum lib. 4. historiæ in Aidano. Boëtiũ qui testatur reliquias huius sancti in Incheuen haud procul à Glascuensi ciuitate à Christiano populo hactenus in magna habitas esse veneratione.

Hoc eodem die sanctus Cathanus Episcopus in Buta Scotiæ Insulâ, auunculus sancti Blani. De eo vide Georgium Neutonum, historiam Dumblanensem, & alios.

18. die. SAnctus Merolilanus Martyr in Remensi vrbe Campaniæ in Galliâ ob miraculorum gloriam celeberrimus, de quo in hęc verba Flodoardus lib. 4. historiæ Remensis. In huius Ecclesiæ (de Ecclesiâ sancti Hilarii loquitur) cemeterio quidam Scotigena Dei seruus olim sepultus est, sed cum iam à nostris & nomen & ipsius memoria sepulturæ videretur apposita, apertis cæpit sese visibus manifestare. Nam dum quidam ciuium non de inferioribus sed pauper rebus olim nostris diebus obiisset, amici eius ad Hildegarium huius Ecclesiæ Presbyterum accedentes petunt ab eo vt locum sibi sepulturæ impertiret, vbi sarcophagum reperirent in quo corpus ipsius recondere possent,

quia de rebus ipsius vnde emerent non habebant, qui dum eis petita concessisset sepulturam serui Dei aperuerunt, sed ipsum eius sarcophagum aperire nequierunt. Quo audito Presbyter accessit, & opertorium sarcophagi leuare tentans aliquantulum aperuit sepulchrum de quo mox fragrantia tantę suauitatis emanauit, vt nunquam se delectabiliorem testatus sit hausisse odorem, introspiciensque videt corpus integrum sacerdotalibus vestibus redimitum, recomponensque sepulchri pallam, non ausus est amplius violare sepulturam, Permisit tamen vt idem corpus depositis quibusdam superponeretur tabulis. Ipsa nocte visus est ei auunculus suus præsbyter in somnis, qui iam diu decesserat asserens quod valde offendisset Deum præterita die, maximè si sepulchrū sancti violare præsumpsisset. Idem quoque beatus vir cuidam sub his diebus apparuit, & quia grauaretur valde præ pondere & indignitate superiecti sibi cadaueris intimauit, & vt indicaret præsbytero iussit, quia nisi citò corpus id fœtidum sepultura suâ repelleret diuinâ quantocyus vltione plectendus esset. His pręsbyter admonitionibus pauefactus cadauer quod sepulturæ sancti superpositum fuerat, eiici fecit cum festinatione & apertâ alibi sepultura recondidit. Visus est idem sanctus Domini postea cuidam Rustico præcipiens ei, vt iret ad Episcopum Artoldum, & indicaret ei ex verbis eius vt corpus ipsius quod extra iacebat intra Ecclesiam transferret. Quod idem rusticus intimare timens neglexit mandatum, nec longè post iterum apparens euigilanti duriter increpauit illum quare præceptum neglexit, & corripiens alapâ eius percussit maxillam. Qui mox auditum amisit ipsius auris in qua percussus est parte, capitisque dolore per medium ferè vexatus est annum. Deinde cuidam etiam præsbytero in eadem Ecclesiâ sub præmisso Sacerdote seruienti apparens in visione quadam dominicâ nocte admonuit eum, vt Episcopo indicaret quatenus corpus ipsius in prædictam Ecclesiam tranferret, locum quoque vbi ponendum foret ostendere non omisit, intimans ei obitum & causam obitus, vel aduentus sui, significans se Scotigenam fuisse, Romam orationis gratiâ cum sociis petendi itinere occupatum à latronibus super Axonam fluuium fuisse peremptum, indeque corpus suum à sociis huc delatum, ibique sepultum: propalans etiam nomen suum quod vocaretur Merolilanus, iubens vt id nomen ne fortè memoriâ delaberetur, ascribere curaret, inclinansque se partem cretæ quæ fortuito iacebat apprehendens dedit ei, præcipiens vt illud continuò adnotaret in arca quæ lecto illius adhærebat: quam ille cretam visus est accepisse

nomenque descripsisse. In qua dum pro literâ I scriberet r, corrigere hoc eum monuit, & ita in crastinum hoc nomen adscriptum inuentũ est, vt testaretur idem præsbyter quod vigilando per diem tam bene scribere nequiuisset. Quibus reuelationibus monitus Episcopus Ecclesiam restaurari fecit, &c. Vide Flodoardum citatum, breuiarium Remense, & alios.

19. die SAnctus Alcuinus Abbas Turonensis, præceptor Caroli magni, fundator Academiæ Pariensis. Ipse Epistola 20. vernaculum se Scotorum vocat. Editor operum, Gente (inquit) Scotus, conuersatione Gallus. Rudolphus Boterus in Lutetia,

Et tandem egregijs Scotorum emersit ab oris,
Alcuinus.

Vide Bozium de signis Ecclesiæ tomo secundo lib. 21. cap. 9. *Qualis* (inquit) *Beda ex antiquis Anglis, è Scotis verò Ioannes & Albinus siue Alcuinus, per quos Carolus Magnus in Occidente publicas Academias omnium doctrinarũ primus aperuit Parisiis & Ticini*. Iaquinum in Carolo Magno, *Delati* (inquit) *naue ex Scotia Claudius & Ioannes, Rabanus quoque & Alcuinus &c.*. Giraldum Ferrariensem, Hermanum, Kirchnerum lib. secundo de Legato cap. 9. *A Scotia* [inquit) *Rege ad Carolum Magnum missus.* Thomam Sailly in libello cuius titulus est *Sagittæ hæreticorum.* Ex nostris Annales Scoticos, Dempsterum, Leslæum, & alios. Nec refert quod dicatur alicubi Eboracum suam patriam appellare, hoc enim non magis probat ipsum Anglum esse, quam omnes Scotos Anglos esse, quia Scotos compatriotas contraymen familiari sermone appellant. Adde potuisse illum Eboracum patriam suam appellare, propterea quod esset in Britannia quæ Anglis & Scotis communis est patria eodem planè modo quo Hispanus aliquis Neapolim ex Hispaniâ proficiscens Italo in Hispania commoranti, & quo iret petenti, iure responderet, in patriam tuam.

20. die. SAnctus Colonatus Martyr, celebris apud Scotos in Ainziâ prouinciâ Scotiæ. Fuit hic Dei famulus sancti Kiliani Franconiæ Apostoli in prædicando Dei verbo Franconibus, & in subeundo apud eosdem martyrio socius. Vide de ipso Democharem de missæ sacrificio, Ioannem Maiorem lib. 1. de gestis Scotorum cap. 6. Tritemium lib. 3. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti.

21. die. SAnctus Sidonius Confessor in Normanniâ, Galliæ prouinciâ non procul Rothomago, in pago cui Sancem nomen gloriâ miraculorum percelebris, nec non prope Deipam loco cui Butellis

nomen, in hodiernum diem sanctitatis famâ clarus. In Scotiâ Comanum Sodorensem Episcopum præceptorem habuit, & sanctum Fiacriũ Eugenij hoc nomine quarti Scotorum Regis filium in studiis condiscipulum. Vterque Scotiâ egreditur sub annum 646. Fiacrius sanctus à Meldensibus peramanter accipitur, Sydonius à Normannis non miminori animi beneuolentiâ. Vide Hunterum in lib. de Sanctis Scotiæ. Fuit & alius Sidonius natione item Scotus, Virgilij sancti socius in prædicando apud Boios in Germaniâ, fide Catholicâ celebris & sanctitate vitæ clarus, de quo Marcus Velcerus rerum Boicarum lib. 5. Floruit hic Sidonius sub annum Christi 748.

22. die. SAnctus Nortyla Martyr & Episcopus Verdensis ordine quartus, à quo in Verdensi Ecclesiâ nauatum est animabus Christo lucrandis studium diligenter non minori Verdensium gaudio à quibus colebatur & ferebatur in oculis, quàm malorum inuidiâ à quibus passim ei parabantur insidiæ. Passus est martyrium sub Christi annum 816. De illo vide Pantaleonen parte primâ Prosopographiæ & alios.

23. die. SAnctus Guillelmus Martyr gloriosissimus, de quo Capgrauius Anglus in libro de Sanctis folio 32. & Chronica Sconensia. Beatus Guillelumus Martyr in Scotia natus est in vrbe Pertha, quæ vulgo dicitur sancti Ioannis, qui cùm adhuc iuuentutis flore vernaret lasciuiam amplexus sæcularem vsque ad tempus quod Pater cœlestis in sua potestate disposuit, tanquã lignum aridum infructuosus permansit. Verùm germinauerunt speciosa deserti dùm hoc lignum in tempore suo fructum attulit aquâ sapientiæ irrigatum: prouectiorque factus & iam vir virum sapiens & euacuans ea quæ erant paruuli, castigansque corpus suum carnem spiritui seruire coëgit: arte pistoris quam a iuuentute didicerat, familiolam suam sustentabat, decimum panem charitatis intuitu in pauperes erogabat, vt inter Cœlicolas Angelorum pane refici mereretur. Vir ergo iste simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo in populo mitissimus apparuit. Orphanorum pater, viduarum defensor, pauperum sedulus auditor existens. Cumque quotidie sanctæ matris Ecclesiæ limina frequentaret, quodam autem diluculo cùm adhuc tenebræ essent, ante fores templi Domini causa deuotionis aduentans infantem vagientem reperit vilibus villosisque panniculis inuolutum. Cuius verò inopiæ sanctus compatiens clanculo pusionem arripuit, arreptum mulieri nutriendum dedit, nutritum & adultum arte panificâ diligenter instruxit, instructũ quoque

quoquè dilexit. Accidit itaque vt idem vir voto se obligaret, dominicæ passionis visitare locum, & disponens domui suæ, vocauit seruos suos, & tradidit illis omnia bona sua. Et auditâ cum deuotione catholica missa, fecit sibi (vt moris est peregrinis) peram & baculum consecrari, vt statim proficisceretur non ignorans quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Cœlorum, omnibusque tam vicinis quàm consanguineis valedicens, itineris comitem nullum secum adduxit præter supra memoratum Iuuentitium, in quo tanquam pater fidelissimus piissimusque in filio suo carnali confidebat. Sic vir Israëlita Christi cohæres egressus de terrâ & de cognatione reliquit fratres & sorores vniuersamque substantiam suam vt centuplum acciperet, & profectus est. Transeuntes autem primam & secundam prouinciam, viaque regia per Angliam incedentes venerunt ad vrbem Roffensem, quæ Saxonum lingua Roffeæstria nuncupatur. Est autem Roffa municipium in Cantiæ prouincia super Medneyam amnem, optimo loco situm, distans ab vrbe Londoniarum Angliæ Metropoli viginti quatuor milliaribus versus Doroberniam, quæ antiquitus Caorcalec, nunc autem Cantuaria nuncupatur. Cùm autem in vrbe supradicta morarentur per triduum, artus solutos vt quies labori aptos redderet, intrauit satanas in cor serui nequam, vt auaritiæ inebriatus veneno mortem Domino suo penitus intentaret. Quærebat autem parricida & proditor opportunitatem vt eum perimeret sine turbis, ne fortè tumultus fieret in populo. Post triduum egredientes ab vrbe versus Cantuariam cùm ad quoddam biuium peruenissent beato Vvillelmo viam rectam carpere volenti, præ perfidia proditor haud potuit acquiescere, sed illum procaci vultu respiciens dixit, vt quia viæ perditio hæc, vt quid in vacuum laborauimus viam rectam deserendo, quam heri dum ad Missarum fuisti solemnia ab incolis huius prouinciæ didici? absit, vt per viam quam desideras gradiamur ne fortè nobis aliquid aduersum contingat. Hæc & alia superflua susurrone suadente secum intrepidus perrexit. Euntibus autem illis per deuia nactus est proposito suo tempus opportunum scurra subdolus, securimque vibrans Spurius & degener alumnus piissimum patrem & peregrinum cælestià meditantem in occipite percussit, percussum prostratumque imbecillem impiissimè iugulauit. Sicque agnus innocens lupo laceratur, sic granum frumenti cadens in terram mortuum, nec non proditionis obtectum palea multum fructum affert. Sic beati Vvillelmi spiritus egressus de tenebris & vmbra mortis amictus est

lumine velut vestimento, & quia legitimè certauit sufferens tentationem, accipere meruit coronam vitæ quam Deus promisit diligentibus se. Quid plura? Nebulo nefarius, quem nefas fugat, fugit vt profugus, non refugio sed fune dignus.

Prænotato beati Vvillelmi Martyris glorioso triũpho, operæ pretium esset miracula scriptis inserere; quę ob illius meritũ operatur potentia cœlestis, sed cęteris prętermissis vnũ tãtũ recẽsebo, vt lucerna gloria miraculorũ accẽsa nõ ponatur sub modio sed super cãdelabrũ vt luceat, & fracto alabastro tota domus odore repleatur vnguenti. Fuit igitur iisdẽ tẽporib⁹ in Cãtię finib⁹ prędfatis quędã mulier vesana toruo spiritu necnõ & à dęmonio adeo vexata, vt mõtes & colles trãsiliens & per plateas & vicos nuda discurrẽs insanię suę notas miserabiliter omnibus ostenderet. Cumque quadã die per locum vbi iacebat corpus exangue gloriosi Martyris inter spinas & tribulos pertransiret in illud intuens dixit, Amice vsquequò dormis? dormias iam & requiescas. Quare lasciue iuuenis cùm sis candidus coronâ florida non vteris? Hæc & his similia tanquam pica loquax astando garriens, coronam de caprifolio plexam beati Martyris capiti circumposuit. Reuersa deinde & malè a dæmonio vexata, tanquam leæna raptis catulis ardua quæque montium transcendens in ima vallium desiliens & ignorans vnde veniat, aut quo vadat, postero die loco vbi sanctum corpus reliquerat iterum appropinquans, redde, ait, mihi somniator quã tibi dedi coronã. Proh pudor! stertis adhuc piger? mihi non loqueris? hæc & alia indigna relatu proferens à Martyris capite coronam cerebro necnon cruore cruentatam, imò consecratam abstulit, capitique proprio supposuit. O mirabilis Deus in sanctis tuis! mulier quippe fatua cruento corollario coronata, dicto citius ferali rabie deposita rationis vsum adepta est; vnde & præ verecundia tota die vsque ad vesperam inter fruticeta latuit, & ad se reuersa dixit: nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Sathanæ meritis istius Martyris, vt manifestentur Dei opera in illo præstante Domino nostro, qui cúm Patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Et prædictus gloriosus Martyr iacet apud ciuitatem Roffensem prædictam.

24. die. Sanctus Ferranus Episcopus Culdęus in Scotiâ. De eo Leslęus & alij.

25. die. Sanctus Adelinus siue Anthelinus Abbas in Scotiâ, & postea Episcopus Schireburnensis seu Salisburiensis in Anglia, vir

deuotus & sanctus (inquit Tritemius) atque in diuinis scripturis valde eruditus. Fertur de hoc Dei famulo cùm quodam die in Lateranensi Ecclesia missam celebrasset casulam exuens porrexit eā retro se, existimans alicui ex ministris eam se tradere, nemo autem ministrorum illic aderat, sed non aberat diuina prouidentia. mox enim radius solaris per fenestram penetrans casulam illam diutius tenuit: in cuius miraculi memoriam casula illa in Meldimensi Ecclesia conseruatur. Romę summo fuit in honore apud Sergium Pontificem, nec immeritò, siquidem sub annum 699. púer quidam ex incœstu genitus Romani Pontificis famam nonnihil contaminauerat, quod vulgus [vt fieri solet) sparso rumore vano malè persuasus, eum Pontificem habere patrem existimaret. Anxius igitur sanctus Adelinus vel Anthelinus (ita enim ipsum aliqui vocant) multúmque dolens Pontificem haud vulgari amicitia sibi deuinctum eiusmodi infamia fœdari, puerum nonnisi nouem habentem dies exhiberi iubet, eique in virtute & nomine Iesu Christi imperat, vt edicat num Sergius Pontifex eo se scelere obstrinxerit? Respondit infans absolutissimo sermone, Pontificem nequaquam illi crimini affinem esse, nihil illum cum fœmineo sexu commercij habere. Scripsit librum de laudibus virginitatis, de celebratione Paschæ alium, alium etiam de virginitate Sanctorum metrice, & epistolas, plures ad diuersos.

26 die. SAnctus Odunaldus Abbas Mailrossensis monasterij in Scotia. De eo vide Bozium lib. 22, de signis Ecclesię. Moribundo fertur astitisse Angelus eumdem trepidantem his verbis confirmans. Quid times Odunalde fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? veni securus, quoniam Deus noster cui fideliter seruisti, dabit tibi coronam gloriæ. Vide chronica Sconensia & Elfistonium.

27. die. SAncta Fintana virgo. De ea breuiarium Scoticum, & alij auctores.

28. die. SAnctus Ionas Abbas & Confessor, & sancti Columbani Abbatis discipulus eiusque peregrinationis socius, Multa præclara scripsit. De eo vide Tritemium de scriptoribus Ecclesiasticis, & alios.

29. die SAnctus Dagamus Episcopus & Confessor, in Galloidia Scotiæ prouincia vitæ sanctitate celebris, paternarum traditionum retentor fuit. A teneris annis in celeberrimo illo apud Scotos Benchorensi monasterio rudimenta pietatis percepit. De eo Leslæus lib. 4. historiæ, & alij multi.

Cc 2

sácto Anselmo alijsq; multis qui pro Ecclesiæ libertate fortiter sese opposuerant) post pacis conditiones iuramento firmatas fœdifragus militem in Scoticas oras immittit. Annicense Scotorum castrum, cæsis ad vnum præsidiarijs militibus expugnat, sacra quæque profanat & diruit, Anglumque quendam subornat qui Malcolmo Regi nihil insidiarum metuenti sub specie componendæ pacis arcem dedere (obsederat enim Malcolmus Annicense castrum, quod fraudulenter Rufus interceperat) se simularet, castrique claues cuspidi lanceæ suspensas dum Macolmo porrigere simularet, eumdem ferro in oculum adacto interimeret, quod & fecit Anglus, Comitatuque Northumbriæ postea ob facinus a Rufo donatus est. Verùm vterque suæ perfidiæ pœnas diuinitus postea dedit, & Rufus quidem Rex (ait Nenbergensis Anglus) homo vecors & inconstans in omnibus suis vijs, Ecclesiæ grauis, nuptias spernens & passim lasciuiens, in venatione sagitta proprij militis, homo ferocissimus pro fera confossus interijt. Miles verò Anglus (cui Robertus Aubri nomen, agnomen Perse) diem miserrimè obijt. Singulis diebus ad minimùm duo vel tria sacra audiebat sanctus hic Rex. Ipse & sancta eius coniux sancta Margareta 300 inopes quotidie alebant, sex pauperum pedes quolibet die aduentus & quadragesimæ lauare consueuerāt. Fertur cùm grauissimos ex inflicto vulnere dolores pateretur sæpius dixisse: Deus meus da mihi patientiam hic, & postea indulgentiam. Corpus eius translatum fuit Dumfermlinum, vbi per miracula plurima eius sanctitatem Deus testatus est.

3. die. SAnctus Trefanus Confessor. De eo Dempsterus, & alij. Hoc eodem die sanctus Dunstanus Abbas. De eo Leslæus in historia, & Vnion lib. 3.

4. die. SAnctus Fothardus, vel Fothadus. De eo vide vitam sancti Dunstani, Capgrauium & alios.

5. die. SAnctus Bonifacius Archiepiscopus & Martyr & Germanorum Apostolus. Scotum esse natione testantur Tritemius de viris illustribus ordinis sancti Benedicti lib. 2. cap. 24. *Bonifacius* (inquit) *ex Monacho primus Archiepiscopus Moguntinus natione Scotus, adhuc 5. annorum in Cœnobio Angliæ nostri ordinis, quod Muschellæ dicitur, à parentibus Domino seruiturus oblatus est.* Et libro de scriptoribus Ecclesiasticis. *Bonifacius* (inquit) *primus Archiepiscopus Moguntinus natione Scotus, Monachus ordinis sancti Benedicti cùm esset puer quinque annorum à parentibus suis monasterio in Anglia, quod Mischelæ dicitur oblatus est.* Maria-

huius virginis sanctissimæ mentem amoris Christi redundantia possederat, vt multas interdum horas nixa genibus hæreret immota, cordis summa dulcedine & iubilo. In Trecense territorium Campaniæ se contulit, vbi monasterio erecto, cui etiam postea præfuit, multis in vita & post mortem claruit miraculis. Sed præsertim in pago vbi eiusdem requiescit sacrum corpus ab illa Siancte-Syre dicto, vbi calculo & herma laborantibus præsentissimo est remedio. De ea vide Leslæum lib. 4. historiæ, Boëtium lib .9. historiæ, Regium in Calendario & alios. Circunfertur hymnus peruetustus sane quo campaniæ populi, quorum ad hanc virginem frequentissimæ sunt peregrinationes, sanctæ Syræ decantant encomia & postulant suffragia.

O Syra virgo pura,
Regis Scotiæ filia,
Sancti Fiacrij soror,
Tu es stella eximia,
Præfulgens virginum gemma,
Campaniæ laus & honor.
Ad sepulchrum confugiunt tuum
Populi, & sentiunt sanitatis remedium.

Hoc eodem die celebris habetur apud Scotos sanctus Columba Abbas, cuius vitam scripsit sanctus Adamannus Scotus, cuius titulus hic est, *Sancti Adamanni Scoti libri tres de sancto Columba Scoto.* Habes hanc vitam apud Henricum Canisium tomo 5. ant. Lect. Vide præterea chronica Sconensia. Vnionem lib. 3. & alios.

9. die. SAnctus Comus Abbas. Vide Adami Regij calendarium & alios.

10. die. SAncta Margareta Scotorum regina, & sancti Malcolmi coniux, quam in vxorem sibi accepit Malcolmus sanctus ob singulares animi dotes, quod grauiter tulit Guillelmus Normannus, Anglię conquestor dictus: qui propterea Malcolmo sancto bellum indixit. Verùm Malcolmus Dei auxilio Virginisque Mariæ (de qua summa animi reuerentia semper loquebatur) exercitum Guillelmi egregiè profligauit & vicit. Porro Margareta sancta in loco vbi nuptiæ cum Malcolmo Rege celebratæ fuerant, in honorem sanctę Trinitatis nobilem Ecclesiam construxit. Fuit hęc Regina sancta in precibus cum Deo assidua, & principio quidem de nocte surgebat, & Ecclesiam adiens nocturnas preces, quas matutinas vocant, primò de sacro-sancta Trinitate, deinde de sancta Cruce, tertiò de beatissima Maria ab-

soluebat. Illis finitis officium defunctorum incipiebat, ac deinde psalterium perlegebat. Quando Clerus preces canonicas celebrabat, illa psalterium vel iam cœptum finiebat, vel primo absoluto alterum inchoabat. Finitis precibus horarijs in cubiculum rediens sex pauperum pedes lauabat, eisque pecuniam dari iubebat. Deinde parumper quieti & sopori indulgebat. Mane facto surgens pijssima Regina nouem infantulos orphanos omni auxilio destitutos, prima diei hora ad se introductos cibis mollioribus flexis genibus reficiebat, & cibos in ora eorum immittebat. Prçter hæc quotidie 300. pauperes in aulam consuetudo erat introduci, & clausis ostijs Malcolmus Rex sanctus ab vna parte, Reginaque sancta ab altera, Christo in pauperibus seruiebant, ciboſque specialiter præparatos offerebant. Quo facto Regina sancta ad Ecclesiam se conferens prolixis precibus & lacrymis atque gemitibus seipsam Deo in sacrificium immolabat, & ante summum sacrum quinque vel sex priuata sacra audiebat. Quando Margareta sancta de salute animæ confessario suo, & de sempiternç vitç dulcedine loquebatur, verba ei⁹ plena erát omnis gratię, tantumq; iter loquendum compungebatur, vt tota in lacrymas resoluenda putaretur. Interdum quicquid erat Regis proprium egenis erogandum auferebat, quam pietatis rapinam sanctus Rex Malcolmus omnino gratam & ratam semper habebat, seque nescire simulabat. Erat Reginæ codex quidam Euangelicus gemmis & auro ornatus, in quo studere & legere solebat, qui custodis negligentia in aquam cecidit, & per diem ac noctem sine aliqua iniuria vel læsione inuiolatus permansit. Turgoto sancto confessario suo ad se accersito prædixit mortis suæ diem, filijsque benedictionem impertita, præsente Turgoto eis commendauit vnicè millies potius mori quam peccato graui Deum offendere. 2. Erga sanctissimam Trinitatem & Mariam virginem singulari ferri teneritudine animi. 3. Pauperes & misellos amare & protegere. 4. Impudicitiæ occasiones omnes cõstanter & viriliter superare & fugere: nihil enim regno pestilentius adulterina prole. 5. viros sanctos apud se habere, qui consilio & apud Deum precibus regnandi difficultates mitigarent. 6. Vt in fide Catholica & prędecessorum cõstantes essent. Deinde Confessario suo ait, Et tu, ô Turgote, qui post me paruo tempore viues, duo sunt quę à te postulo: vnum, vt quoad vixeris animę meæ in Missis & orationibus tuis meminisse velis, Alterum, vt liberorum meorum curam habeas, Deum præcipuè timere eos doceas, & cùm ad culmen terrenæ dignitatis quemlibet eorum euehi cõspexeris,

illius

illius vel maximè patrem ſimul & magiſtrum te exhibeas, ne propter mundi proſperitatem æternæ vitę fœlicitatem ſua negligentia amittat. Propter magnum ieiunij rigorem (40. enim ante Paſcha & Chriſti natiuitatem diebus incredibili abſtinentiâ ſe affligebat) acerbiſſimos ſub finem vitæ ſtomachi dolores paſſa eſt. Sex menſes integros ante mortem lecto affixa varijs infirmitatibus detenta iacuit, & octauo ante obitum die cùm Rex Malcolmus libertatem Catholicæ Eccleſiæ contra Guillelmum Rufum Angliæ Regem Eccleſias & monaſteria demolientem, propugnaret, triſtior ſolito effecta prophetico ſpiritu longè licet diſſita mortem & martyrium Malcolmi Regis & mariti præſentibus annunciauit in hæc verba. Fortè hodie tantum mali Scotorum regno accidit, cùm Regem adeo ſanctum amiſerit, quantum multis retrò ſæculis accidiſſe non legitur. Cúmque poſt aliquot dies à filio Edgaro de morte Malcolmi etiam certior facta eſſet, manibus ad cœlum leuatis dixiſſe fertur: Gratias tibi ago omnipotens Deus quod me tantas in meo exitu anguſtias perpeti, eaſque tolerantem à quibuſdam peccatorum maculis, vt ſpero, mundare voluiſti. Tum crucem Scotiæ nigram, quam magno ſemper in honore habuit, amplecti, exoſculari, oculos faciemque crebrò ſignari curauit: ſanctiſſimumque Chriſti Domini noſtri corpus ad ſe delatum cùm adoraſſet, magna animi teneritudine Chriſtum præſentem in hunc modum allocuta eſt: Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu ſancto per mortem tuam mundum viuificaſti, libera me per hoc ſacroſanctum corpus & ſanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis & vniuerſis malis, & fac me tuis inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas. Qui cum eodem Deo patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. Sumpto denique ſanctiſſimo Sacramento gaudijs perfuſa ſpiritualibus, ſæpeque iterans Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram: Domine Ieſu, quem amaui, quem dilexi, ſuſcipe me ſperantem in te, tanquam placidiſſimo ſomno conſopita exhalauit ſpiritum, anno Chriſti 1092. Fertur prophetico ſpiritu miſerrimam Scoticanæ Eccleſiæ & totius Inſulæ Britanniæ faciem, quam hodie, proh dolor! cernimus præuidiſſe, & prædixiſſe his verbis. Venient tempora in quibus diuitiæ Eccleſiæ diſſipabuntur, & Catholicus populus velut à lupis lacerabitur, & à locis ſuis & de patriâ ſua expelletur. Vnde plurimi eorum in ſolitudinem ſe conferent pauperem vitam in multâ contritione cordis deinceps ducentes, & ſic Deo humiliter ſeruientes, Deique iudicia iuſta, ſed occulta re-

colentes diemque vltionis diuinæ extremum in patientiâ expectantes.
Est non procul Edinburgo fons, cui olei guttæ, quæ contra varias cutis rupturas valent, supernatant, eâ vi, vt si nihil inde collegeris, nihilo plus confluant: si verò abstuleris, nihilo minus remaneant; quod ad sanctam Margaretam Reginam ex monte Sinai adferebatur; fidem rei faciunt fonti nomen sanctæ Catharinæ inditum, atque in eiusdem honorem sacellum à sancta Margareta non procul à fonte erectum. Agunt de sancta Margareta Dumfernulensia chronica, & Molanus in annotationibus ad Viuardum. Agunt præterea Surius & Capgrauius, Anglus, sed fabulosa quædam eius vitæ inseruerunt. Caput huius sanctæ Reginæ asseruari audio in Seminario nostro Scotico Duaci in Belgio.

11. die. SAnctus Gaius Martyr in Maiâ Insula. De eo Leslæus & alij.

12. die. SAnctus Ternanus Episcopus & Confessor, & post Ninianum sanctum Pictorum Australium veluti Apostolus. Hic à sancto Palladio cum quo annos integros in erudiendis Scotis peregrinatus, missus est ad pictos in fide Catholicâ confirmandos, & ad Pelagij hæresim quæ quorundam Pictorum animis inhæserat ob mutuum cum Britonibus commercium, euellendam. In quo opere adeo Apostolicè se gessit, vt Pictorum animos mirum in modum in Dei amorem inflammarit, sibique deuinxerit, eumque summa reuerentiâ & honore instar Apostoli postea coluerint. Fuit Ternanus sanctus instituto Culdæus, & inter Culdæos patres à tenella ætate in celebri Culrossano monasterio educatus. Vide de ipso Middendorpium lib. 8. Academiarum, Leslæum in historia Scotica, Boëtium, Duchesne & alios.

Hoc eodem die Beatus Guillelmus Elphistonius Episcopus Aberdonensis ordine 26. & vniuersitatis Aberdonensis quodammodo erector, nam ita agris & Ecclesiasticis reditibus ornauit, vt meritò velut de nouo exædificasse dicatur: opus ædificiorum ornatu & amplitudine magnificum. In eo templum tabulatum, polit. quadratoque lapide, marmoreis altaribus, & imaginibus Diuorum Pictoria arte mirificè auratis, cathedris æneis, aulæis tapetibus, quibus parietes atque pauimentum sternerentur, aliaque multa pretiosa suppellectile magnificè decoratum. Templi ornatus, quorum vsus in sacris ex auro textili, quindecim vestes sacræ quas Cappas, Casulas, Tunicas vocant. Ex villosa bysso octo supra viginti: his omnibus laterales fibræ aureis staminibus, quibus Diuorum effigies intextæ filis bissinis, coccineis, pur-

pureis, hyacintinis, auro commixtis. Septem ex bisso palmata, his laterales fibræ bissinis staminibus, stellis aureis consitis. Ex bisso palmata atque vndulata viginti ad puerorum vsum in sacris supplicationibus. Præter hæc ad quotidianum vsum complures vestes sacræ ex coxo bissoque vndulatæ. Crux cum crucifixi simulachro, candelabra, thuribula, fialæ, calices, octo ex auro purissimo, Sindones nonnullæ bissinæ aureis filis variè contextæ, nonnullæ subtilissimæ ex candenti lino, quibus intexti flores vario colore ex bisso. His sacrorum tempore sternuntur altaria. Arca ex Cypresso margaritis & gemmis consita, mirâ concinnata arte, quâ venerabiles Sanctorum reliquiæ, auro argentoque insertæ venerationis causa conseruantur. Habet campanile immensa altitudine sublatum tredecim campanas (quarum duæ immensæ sunt magnitudinis) melodiam & piam audientibus voluptatem sonantes. Hæc sciens recensere volui vt videat lector quam magna fuerit apud Scotos gloria domus Domini, dum apud eosdem Catholica & Romana floreret religio. Sed ad Guillelmum nostrum redeamus. Fuit igitur pietate, prudentiâ, & literis insigniter ornatus. De Christo Domino & beatissima virgine summâ animi teneritudine cogitabat & loquebatur: vnde testatur Boëtius in vitis Episcoporum Aberdonensium, dulce nomen Iesu nunquam excidisse animo, sed die ac nocte semper habuisse in ore. Verbum turpitudinis perinde atque turpitudinem ipsam semper detestatus est. Mulierum congressus & publicos & priuatos abhorruit: Salutiferæ Christi passionis frequenti delectabatur commemoratione, & noctem quam sancta dies veneris est sequuta, cilicium indutus suis precibus, licet octogenario maior ducere solebat insomnem. Miseris & afflictis adeo compatiebatur, vt eorum incommoda lacrymis prosequeretur sæpe. Vigilias sanctissimæ Virginis Mariæ pane & aquâ transigebat. Varia pro Dominicanis, Franciscanis, & Carmelitis extruxit monasteria, cæterosque religionis obseruationi deditos impensis iuuit ad vitam alendam & alia necessaria. Denique post varia pietatis opera cùm publica tum priuata quartum supra octuagesimum annum agens morbo lethali corripitur, mortisque diem diuinitus præsentiens sacellum ex more ad sacra celebranda mysteria (quæ tamen ex corporis imbecillitate celebrare non potuit) ingressus coram magnatibus piè doctéque de Catholicæ fidei virtute cùm disseruisset sacrum Christi corpus afferri iubet, quod humi prostratus, lacrymans, tensis in cœlum manibus, reuerenter adorat & accipit. Inde oratione ante Crucifixi imaginem de more habitâ, in

cubiculum ductus lectulo decumbit, & nocte serâ æstuante febre dolor ei vehementius creuit. Mane præter omnium opinionem vitali spiritu pene defectum offendunt: accurrunt illico amici moribundo circunstant non sine lacrymis. Tum Guillelmus paululum oculos attollens, putabam vos (inqnit) meliora facturos: ego sanitatem spero immortalem: Vestrum erit Deum timere & diligere, quia bonus Dominus diligentibus se. Me iam certissima expectat mors, nec mori timeo, nec viuere recuso quia bonum habeo Iesum. Interrogatus quo in loco sepeliri vellet. Animum, respondit, iampridem Deo deuoui, corpus vbilibet sepelitote. Posthæc nomen Iesu & Mariæ intermortuis vocibus identidem appellans placidissimè efflauit animam anno Christi 1514. anno sui Pontificatus 30. ætatis verò 84.

13. die. SAnctus Psalmetus Confessor. Fuit hic Sanctus sancti Maclouij (qui & Machutes dicitur) frater nobilibus natus parentibus, & à Brandano sancto Abbate baptizatus, & in diuinis literis ac moribus sanctis educatus. Ludebat aliquando iuuenis cum æqualibus in littore: in fascem algæ cùm incubuisset, somno correptus est. Cum autem pelagi fluctibus opprimeretur, non sine miraculo liberatus est. Nam crescentibus vndis attollebatur velut in Insulæ formam alga cui puer innitebatur, donec fluctus eum locum vt ante aridum relinquerent. Eo miraculo liberatus Psalmodius (sic enim etiam appellatus est) vitam solitariam cum Brandano magistro & fratre Maclouio egit annos multos. Deinde in celebri illo monasterio, cui Faiilis aut Vaillis nomen non procul à ciuitate Aras nobili in Scotiâ Emporio, diu hæsit. Verùm postea cũ Maclouio fratre in Santonũ fines peruenit, vbi cùm miracula quædam edidisset veritus ne propter turbam hominum ad se venientium ab instituto vitæ genere reuocaretur secessit inde, & in Lemouicum fines peruenit vbi latêre volebat, sed crebra miracula quæ ipse in nomine Domini operabatur ipsum prodebant. Tandem cùm vitę curriculum sibi præfixum religiosissimè confecisset, è vita sanctissimè excessit, sepultusque est Aëntimonasterij. Celebris habetur in hodiernum diem apud Lemouicenses. De eo vide breuiarium Lemouicense & alios.

14. die SAnctus Colmannus M. Abbas. De eo varij.

15. die. Sanctus Carnocus Episcopus Culdæus. De eo Leslæus lib. 3. & alij.

Hoc eodem die sanctus Vvandelinus, Vvandalinus, vel Landalinus Confessor, sancti Columbani discipulus & peregrinationis socius. Fuit

Mordaci sexagesimi Scotorum Regis filius. De eo vide Franciscum Irenic. German. Exeges. lib. 11. Cratepolium pag. 145. Vnionem lib. 4. cap. 24. & lib. 3. pag. 346.

Vuandelinus erat Scotorum sanguine Regum.

16. die. Sanctus Iero, vel Gero Abbas Scotorum sancti Pantaleonis Coloniæ. De eo varij, sed præter alios hystoria inuentionis sancti Maurini cap. 7.

17. die. Sanctus Botulphus Abbas apud Heknam in Normannia, alij Bodulphum vocant. De eo vide Hunterum in libro de sanctis Scotiæ.

Hoc eodem die sanctus Adulphus siue Adolphus frater sancti Botulphi. De eo vide Gazetum in historiâ Ecclesiastica Belgij.

18. die. Sanctus Dunstanus Abbas monasterii, cui Carnaminum nomen, cui sanctissimè diu præfuit. De eo vide Leslæum libro 4. historiæ, Vnionem lib. 3. & alios.

19. die. Sanctus Duthacus Episcopus Rossię sepultus in oppido Trua, Vide Boëtium in descriptione Scotiæ, & hystoriâ Scotica Scotichronicon lib. 13. & alios.

Hoc eodem die sanctus Adeodatus Episcopus Niuernensis. De eo varij.

20. die. Sancti Archibaldi Abbatis translatio.

Hoc eodem die sanctus Caducanus Episcopus Benchorensis, frater Ottreoli Principis Galueiorum. De eo Alanus Turonensis & alij.

21. die. Sanctus Geruadius Episcopus Brechinensis in Scotiâ. De eo Vnion, & alij.

22. die. Sanctus Heligandus Episcopus & Martyr. Fuit ordine nonus Verdensium in Germania Episcopus, à Danis pro Christo cœsus est. Vide Crantzium lib. 1. Metrop. cap. 3.

Hoc eodem die sanctus Albanus protomartyr. De eo vide Brunij collectanea, Dempsterum in catalogo scriptorum Scotiæ & in Mendicabulis repressis, & alios, præsertim Hartmannum Sangalensem 302.

Scotia se Albano fælicem Martyre clamat,
Victima qui Christo prima Britanna fuit.

Anglum putarunt nonnulli, quod in Anglia passus sit: verùm decipiuntur, vt ex citatis auctoribus constat.

23. die. Sanctus Gillenus comes sancti Columbani. De eo Ioannes Maior lib. 2. cap. 7.

24. die. SAnctus Amphibalus præceptor sancti Albani. De eo Vvestmonasteriensis ad annum 178.

25 die. SAnctus Molonachus siue Molochus Episcopus & Confessor qui pro viribus in Marria Scotię prouinciâ proximorum saluti studuit. De eo vide Boëtium, Leslæum, & alios. Argadenses Scoti constanter semper tenuerunt apud se sancti Molochi reliquias esse in Lismorensi Basilicâ illius nomini dicata,

26 die. SAnctus Gisualdus Confessor comes sancti Dysibodi, Vide Annales Scoticos.

Hoc eodem die sanctus Babolenus Abbas Malmondarij, deinde Stabuleti. De eo vide Molanum in chronica recapitulatione Sanctorum Belgij, Notgerum, & alios.

27. die. SAnctus Godricus Eremita Archiepiscopus sancti Andreæ. De eo vide Mathæum Paris in Richardo secundo, Vvestmonasteriensem & alios.

Hoc eodem die Gandaui celebratur eleuatio sancti Leuini Martyris, & translatio secunda corporis ipsius. De eo vide Molanum in additionibus & in indiculo, Massęum lib. 3. Hunterum de Sanctis Scotiæ, vbi testatur in Cathedrali Ecclesiâ Gandauensi, capsam in qua sacrum ipsius corpus olim quiescebat, vt à cæteris quæ ibi erant distingueretur, & vt etiam ipsa patria, vnde Leuinus originem traxerat, indicaretur, Leonem Scotorum Regum stemma impressum habuisse.

Hoc eodem die cœlestia petiit Franciscus Mayronis ex sacro ordine Diui Francisci, ac Scoti discipulus, vir planè pius & Theologus maximus, vt testantur scripta quibus Magistrum sententiarum illustrauit. Natus est Aberdoniæ in Scotia. De eo Cardinalis Bellarmin⁹ libro 2. de scriptoribus Ecclesiasticis, Iacobus Tyrius in libello de antiquitate Christianæ Religionis apud Scotos, & alij qui expresse testantur eum esse Scotum, quicquid in contrarium contendat Gauterius in Chronologiâ.

28. die. SAnctus Merenus Abbas in celebri illo apud Scotos monasterio cui Benchora nomen. Magna incumbebat Merenus vigilantiâ ne subditi externis occupationib⁹ plus æquo intenti internam illam mentis pacem ac deuotionem, quæ virtutis est fulcrum ac pabulum deperderent. Agit de Mereno sancto Aberdonense breuiarium ad 12. Maij.

29. die. SAnctus Etheluinus Episcopus & Confessor, qui in Hoyensi monasterio sanctum Columbam præceptorem habuit & ma-

gistrum: In Angliam missus est ad Anglosaxones ad fidem conuertendos, quod fideliter præstitit. Meritis onustus migrauit ad Dominum sub annum Christi 709.

30. die. SAnctus Ioannes Scotus Episcopus Mechelburgensis in Germaniâ. De eo Mermannius in Theatro cõuersionis Gentium Demochares in catalogo Episcoporum Melrelburgensium.

Hoc eodem die sancta Erentrudis virgo & Abbatissa, quę relicta Scotiâ cum fratribus Ruperto & Trudberto alijsque multis monasticæ disciplinæ plantandæ causa primò quidem in Galliam, vbi & Abbatissam egit, Deinde in Germaniam se contulit. Vide Chronica Salisburgensia, & Henricum Canisium tomo 6. Vnionem in ligno vitę, Vvelserum & alios.

IVLIVS.

1. die. SAnctus Rumoldus Archiepiscopus Mechliniensis & Martyr gloriosissimus, Regis Scotiæ filius, signis & doctrinâ mirabilis. De eo lege Molanum in additionibus ad Vsuardum, vitam illius Ioannis Domins, Vsuardum in martyrologio, Arnoldum Mermanniũ in theatro conuersionis gentium, Regium in calendario, Ariam de imitatione Christi tractatu 5. cap. 30. Aubertum Miræum qui acutissimè probat ipsum fuisse natione Scotum, quia Archiepiscopus Mecliniensis insignia cruci admixta fert Gẽtilitium Scotorum Regum insigne Leonem, & ille non Dublini in Hibernia, sed Dumblani in Scotia olim fuit Antistes. Vitam habes apud Lippeloo.

2. die. SAnctus Cahinnicus Abbas miraculis & vitę puritate apud Hebridianos & Orcadenses Scotos celebris. Magna fuit is in opinione sanctitatis apud sanctum Columbam Abbatem, qui cum ob exortam in mari tempestatem in extremo vitæ vnà cum socijs versaretur periculo dixisse fertur; hodie non est meum pro nobis in hoc periculo costitutis orare, sed est Abbatis Cahinnici sancti viri. Res admiranda, eadem horâ sanctus Cahinnicus in suo conuersans monasterio, quod Latinè Campulus bonus dicitur longè licet dissitus, spiritu reuelante sancto supradictam sancti Columbę interiori cordis aure vocem audiuit, & cum post nonam horam cepisset in refectorio Eulogiam frangere, ocyus deserit mensulam, & vno calceo pedi inhærente, altero verò calceo præ nimia festinatione relicto festinanter pergit ad Ecclesiam dicens: Non est nostrum hoc tempore prandere, quo in mari peri-

clitatur nauis sancti Columbæ (hoc enim momento ipse nomen Cahinnici ingeminat) vt pro eo & sociis periclitantibus exorem, Oratorium igitur ingressus Cahinnicus flexis genibus paulisper orauit, eiusque orationem exaudiente Domino subitò tempestas cessauit, & mare tranquillum factum est. Obiit sanctus Cahinnicus sub Christi annum 799.

3. die SAnctus Guthagonus Confessor, de quo ita Molanus in additionibus ad Vsuardum In Oostkerka Burgo Flandriæ sancti Guthagoni Confessoris Regis Scotię filij, qui ibi peregrinus pro Christo in pace quiescit. Vide eundem Molanum in indiculo Sanctorum Belgij, Gazetum in hystoria Ecclesiastica Belgij, Regium in calendario, Hunterum libro de sanctis Scotię, & alios.

Hoc eodem die cœlestia petijt Ioannes Bassolus siue Bassolius, ex sacro ordine Diui Francisci ac Scoti discipulus, vir pius admodum ac solemnus Theologus, vt testantur commentaria eius in Magistrum sententiarum. De eo Ioannes Molanus in Biblioteca materiarum &c. pag. 145. *Ioannes* [inquit) *Bassolus Scotus.* & alij.

4. die. SAnctus Marianus Confessor & Abbas in celebri illo Scotorum monasterio Ratisbonæ in Germania. In Caledonia Scotiæ prouincia, cuius præcipua ciuitas Dumcalidonia, monachum prius egit non sine magna opinione virtutis. De eo vide Volfangum Lazium libro 7. de gẽtium aliquot migrationibus, Auentinum lib. 5. Annalium Boiorum qui testatur fuisse Poëtam & Theologum insignem nullique suo sęculo secundum.

5. die. SAncta Moduenna Virgo in Laudonia & Galouidia Scotię prouincijs celebris. Hęc cognata fuit beati Conualli Regis, de quo antea, & apud ipsum magna fuit in auctoritate hęc sancta Virgo Multas Ecclesias & monasteria construxit, inter quę apud Striuelingũ vnam, & apud Edenburgam in montis cacumine in honorem Diui Michaëlis aliam, & in Galouidia tres insignes erexit. Consolationes Angelorum frequentes habebat qui ei apparebant sicut amicus cum amico colloquentes Cum autem nocte quadam contra solitum sensisset non affuisse sibi ex more dulcem pręsentiam Angelorum, contristata cogitare cœpit aliquam sine dubio existere causam, quare visitationem cõsuetam non vidisset. Crastina autem die dixit sororibus suis: Conseruę meę ac filię dilectissimę in nocte hac pręcedenti non habuimus sanctos hospites adiutores nostros qui antea soliti fuerant orationes nostras ferre libenter ad Dominum; videbam tamen nocte ista tanquam

tanquam per extasim preces nostras tempore vigiliarum vix posse attingere vsque ad culmen tectorum nostrorum. Vnde profectò comperi esse aliquid offensæ in nobis propter quod sancti Angeli, quibus omne peccatum displicet, non sine culpâ nostra voluerunt se absentare à nobis. Interrogemus ergo conscientias nostras, & si quid latet absconditum pœnitentiâ & confessione purgemus, vt possimus ad nos reducere beatos spiritus Dei. Quo facto statim redierunt Angeli.

6. die. SAnctus Palladius Episcopus & Scotorũ velut Apstolus missus à Cœlestino Romano Pontifice in Scotiam tum ad disciplinã Ecclesiasticam (quæ Scotorum primarijs à Maximo Tyranno victis & Scotiâ exactis multum elanguerat) pristino splendori restituendam, tum etiam ad Pelagianam hæresim præcauendam. De eius missione agunt Prosper Aquitanicus aduersus Collatorem in fine, Ado in sexta ætate, Sigibertus in chronico ad annum 432. Beda in hystoria, Baroni⁹, Tritemius, & alij. Porro sanctum Palladium ad nostros Scotos non Irlandos seu Hibernos Irlandicos missum fuisse, omnes omnium gentium ætatumque scriptores consentiunt, quia illi ad quos missus, in Christum iam credebant, vt testantur Ado, Prosper Aquitanicus, Beda, & alij iam citati, at Hiberni Irlandi vix 100. annis post in Christum credebant. Vide Sigebertum, Adonem, Bedam, Hermannum Contractum, Comitem Aueringem, Mathæum Vvestimonasteriensem anno 433. Florentium Vigorniensem anno 421. Polidorum Virgilium lib. 3. Frecul. Lexouiensẽ lib. 5. cap. 33. Primus enim Hibernorum Sinellius baptizatus a sancto Patricio fuit vt minus 80. annos post hunc Palladij in Scotiam appulsum. Deinde vita, imò ipsa vestigia illius sancti viri in Scotia ostendi possunt, & pretiosæ reliquiæ olim Forduni colebãtur, Polydorus in hystoria Anglicâ lib. 1. &c. Imò ante 150. annos capsæ ipsius auro argentoque & gemmis ditissimæ sunt reparatæ à Guillelmo Scheuues sancti Andreæ Archiepiscopo. Vide Boëtium & alios.

7. die. SAnctus Dysibodus. De eo Ioannes Leslæus lib. 4, Hildegardis Bingensis Abbatissa, & alij.

8. die. SAnctus Kilianus Episcopus & Martyr ac Franconię Apostolus. De eo Tritemius his verbis. *Kilianus ex monacho Herbipolensis in Franconia Episcopus natione Scotus.* Vide Democharem lib. de missæ sacrificio in catalogo Episcoporum Herbipolensium, Egiluualdum monachum in vita sancti Burchardi, Renatum Choppinum, Munsterum Arnoldum, Panthaleonem, & Passeuinum qui in apparatu sacro testatur ob eius memoriam fundatum fuisse monasterium Herbipoli pro

Scotis. Vide etiam Petrum de natalibus in hystoriâ Sanctorum, Maiorem de gestis Scotorum lib. 2. Regium in Calendario & alios.

HOc eodem die sanctus Colmannus monachus Martyr sancti Kiliani discipulus. De eo plurimi.

9. die SAncta Kunera Virgo. Vide hystoriam Vrsulanam.

10 die Sancta Kunegundis virgo. Vide eandem hystoriam.

HOc eodem die sanctus Donatus Martyr Apostolus Franconiæ. Vide Anonymum Aichstadianum tom. 4. Antiq. lect. pag. 643

11. die. SAnctus Drastanus Abbas & Confessor. De eo plerique, præsertim Leslęus lib. 4. hystoriæ, & Maior lib. 2.

12. die SAnctus Doneualdus aliter Donaldus cum nouem filiabus. Vide Leslæum libro 4. Boëtium lib. 9. Regium in Calendario. vitam cum filiabus sanctissimam transegit in solitudine Ogiluy; ipso autem defuncto Abernethi monasterium ingressæ sunt.

13. die. SAnctus Ioannes Episcopus Dumkeldensis, & sancti Andreæ Archiepiscopus. De eo literæ Alexandri tertij, Scotichronicon, Houeden, & alij

14 die. SAnctus Libertus Martyr. Brechini in Scotia asseruabantur reliquiæ.

15. die. SAnctus Plechelinus Episcopus Candidæ Casæ. Comes fuit sancti Vironis dum Romam proficisceretur. De eo lege Bedam lib. 5. cap. 24. Surium, Tritemium, Molanum, & alios.

16 die SAncta Macra virgo Regis Scotiæ filia, & sancti Guthagonij soror. Vide Veremundi hystoriam.

HOc eodem die sanctus Harruchus Abbas Amarbaticensis, & octauus Episcopus Verdensis. De eo vide Democharem, & Crantzium, Dempsterum & alios.

17 die. SAnctus Golgus Abbas. De eo Adamannus libro 3. & alij. Hoc eodem die sanctus Petranus Confessor in Campania Galliæ prouincia celebris. Fuit hic Dei famulus vnus ex fratribus sancti Gibriani.

18 die. SAncta Thametis, alijs Thennat Scotorum Regina, & in Glottiana præsertim Scotiæ prouincia celeberrima. Fuit hæc mater sancti Kentigerni. In medijs licet col ocata dilitijs assidua tamē abstinentia, crebris ieiunijs, diuturnisque vigilijs tenellum corpus subdere animæ non destitit. Proxima morti cum esset dixisse fertur: Domine Iesu regnum quod a te accepi tui causa deserui (Post mortem enim mariti omni se cura regni abdicauit, & se totam diuinis rebus

contemplandis dedit) colloca me quæso in regno tuo. Vide Hunterum in lib. de Sanctis Scotiæ, Regium in Calendario & alios.

HOc eodem die sanctus Clarus Regis Scotiæ filius. De eo Vnion lib. 3. & alij.

19. die. SAnctus Dimannus Abbas. Cœlo ipsum dedit Strathnauernia Scotiæ prouincia sub Christi annum 670. De eo Regius in Calendario, & alij.

HOc eodem die sanctus Blanus Episcopus Dumblanensis. Vide Georgium Neutonum in hystoriâ, acta Dumblanensia, &c.

20. die SAnctus Onanus Diaconus Rossensis. De eo Boëtius & alij.

21. die, Sanctus Arbogastus Episcopus Argentoratensis. De eo vide Surium ad 7. Nouembris, fragmentum hystoricum quod præfigitur chronico Alberti Argentinensis, Eisengrenium in catalogo testium veritatis, Vthonem Episcopum in eius vita, hystoriam Lumbardicam, Pantaleonem, Nauclerum, Democharem & alios.

22. die SAncta Verena Virgo & Martyr sanctæ Vrsulæ socia.

23. die SAnct⁹ Innocentius primus Pontifex Romanus hoc nomine. De eo vide Brunij collectanea, Sinclarum, Millum, Dempsterum in catalogo, qui omnes eum Scotum esse testantur. Quidam Albanum dixerunt decepti affinitate vocum Albion & Albanus.

24. die. SAnctus Celsus. De eo Cratepolius, & Chronica Belgij, & versus ille antiquus.

Vulganij & Celsi, quos Belgis Scotia misit.

25. die. SAnctus Abranus vel Abramus Confessor in Campania Galliæ celebris. Fuit sancti Gibriani frater.

26. die. SAnctus Chamnecus Confessor, sancto Columbę charissimus. Vide vitam sancti Columbæ scriptam à sancto Adamanno, quam habet Henricus Canisius tomo 5. antiquæ lectionis. Vide etiam chronica Sconensia. Celebris habetur in Hebridibus Insulis.

HOc eodem die sanctus Colmocus Confessor & Episcopus in Scotia. De eo Scotichronicon & alij.

27. die. SAncta Pumicia Virgo. De eâ Dempsterus, & alij plerique præsertim ex nostris.

28 die. SAnctus Sampso Episcopus Dolensis in Britannia Galliæ. De eo Sigebertus in chronico, Tritemius & alij.

Hoc eodem die sanctus Tessanus frater sancti Gibriani.

29. die. SAnctus Virgilius Episcopus. De eo varij.
Hoc eodem die sanctus Melchiades Confessor. De eo varij.

30. die Sanctus Saranus. De eo Decretum Honorij primi Pontificis tom. 3. Concil. general. & alij auctores.

AVGVSTVS.

1. die Sanctus Diuma, Duima, Diuna, Dina, vel Diurnas. De eo Vnion lib. 2. Florentius Vigorniensis. Beda & alij.

2. die. Sanctus Dermitius præsbyter & Confessor. Magna fuit in sanctitatis opinione apud sanctum Columbam. In Iona Insula Abbatem egit. Vide Adamannum in vitâ sancti Columbæ, Sconensia chronica. Celebris erat in Hebridibus insulis.

3. die. Sanctus Hildebrandus Martyr. Fuit hic sancto Bonifacio Archiepiscopo & Martyri in prædicando Christi Euangelio, & in effundendo pro eiusdem veritate apud Frisones sanguine socius & comes. Celebris habebatur hoc die (licet quinto Iunij Martyrium fuerit passus) in illa Scotiæ prouincia cui Lorna nomen, quæque Argatheliæ proxima est. Vide Bedam in Epitome, vbi asserit habuisse sanctum Bonifacium socios 53. Vide præterea Hugbaldum in sancto Leuino.

4. die. Sanctus Andræas Archidiaconus, Fesularum Abbas, Cœnobij conditor. De eo Syluanus Raz, Franciottus, Diacetus, Tabulę Florentinæ & Fesulanæ Ecclesiarum,

5. die. Sanctus Hildulphus Archiepiscopus Treuirensis. De eo Velcerus lib. 5. rerum Boicarum, Hunterus in libro de Sanctis Scotiæ.

6. die. Sanctus Alexander Scotorum Regis filius, & sanctę Mathildis frater. Ad primum Ianuarij in vita sanctæ Mathildis diximus quomodo ex Scotiâ vnà cum sancta Mathilde aufugerit & in Galliam venerit, atque Cisterciensem ordinem ingressus fuerit, vbi omnibus vsque ad obitum permansit ignotus, & tunc obstrictus obedientia Prioris sui, se fratrem sanctæ Mathildis de Lapione & filium Regis Scotiæ reuelauit. Fecerat autem eum in nobilitate suspectum factum quoddam, quod multum postea doluit euenisse. Vir enim nobilissimus Dominus Hugo de Birmennio, vel de Rumenia aprum immanis magitudinis venatu lassauerat: &, vt natura bestiæ est, stare coegerat ad resistendum. Equo autem Nobilis ille descendens, aptato pugione cùm bestiam vellet impetere, & tamen eius truculentiam formidaret, frater Alexander, qui vaccas in vicino pascebat arrepto pu-

gione de manibus formidantis, bestiam audacter impetiit, & occidit. Quo viso Nobilis ille in oscula fratris Alexandri illico ruens, vere (inquit) nunquam vaccarum custos, nunquam rusticus etiam vndecunque veneris increuisti. Cùm Monachus quidam fistulatum ex vlcere pectus haberet, oraretque ad tumulum iam defuncti, apparuit eidem Alexander sanctus Sole lucidior, coronam gestans in manibus,& corona capite insignitus. Cùm ergo Monachus quæreret, quid corona duplicata significaret. Corona (inquit) quam gesto manibus, corona est temporalis, quam pro Christo deserui: illa verò quam gesto in capite,corona est, quam communem cum Sanctis accepi, & vt tibi fidenti⁹ in hac visione credatur, secundum fidem tuam sanus eris ab omni incommodo quo torqueris. Vide Thomam Cantipratensem lib. 1. Spinellum libro de Maria Deipara tractatu de virginibus sectione 7. numero 62. Boëtium, & alios.

7. die. Sanctus Cibthacus Episcopus in Scotia, Apostolus Pictorum, nepos sancti Columbæ. De eo Leslæus lib. 4. Boëtius libro 9. Vnion lib. 3. & alij.

8 die Cœlestia petiit Dauid Duchlasius nobilissimo ortu,qui cùm in Anglia Eboraci Catholicus deprehenderetur, capite amputato Cœlestium cœtus meruit anno.1575.

9.die. Sanctus Suibertus primus Abbas Amarbaricensis, Deinde Episcopus Verdensis à Carolo magno inauguratus ob fortem Scotorum in bello Saxonico operam. Vide Belforestum lib.1. hyst. Carol. Dempsterum, & alios.

10. die. Sanctus Blanus Episcopus Sodorensis. Ab illo ciuitas illa, cui Dumblan nomen in Scotia, indigitatur. De eo Leslæus lib. 5 in Kennetho tertio, Regius in Calendario & alij.

11. die Sanctus Vasnulphus Episcopus & Confessor, & sancti Liuini in prædicatione socius. De eo Molanus & alij plurimi.

12. die Sancta Modesta Virgo & Abbatissa. Fuit hæc sanctissima Virgo sancti Villebrordi Scoti Episcopi Trasectensis soror. Celebris habetur in Treuirensi territorio.

13 die. Sanctus Sanctinus Abbas Scotorum Viennæ. Vide vitam ipsius.

14. die Sanctus Syluester, sanctum Patricium sequutus in Hiberniam eo ibi relicto in Scotiam rediit, & monasterio Inhisbouinde præfuit. Vide Scotichronicon. Reliquiæ eius sanctæ in monasterio sancti Germani prope Setonam custodiebantur teste Gilberto Bruno

in Collectaneis.

5 die. SAnctus Cormachus vel Cormacus Episcopus Murthlacensis vel Aberdonensis. De eo Leslæus lib. 6. in Malcolmo, Boëtius in vitis Episcoporum Aberdonensium.

16. die. SAnctus Arnulphus Episcopus Metensis. Scotum esse ex eo probatur quod ab aliquibus apud Vnionem lib. 3. pag. 346. dicatur frater sancti Vandalini.

17. die. SAnctus Iero vel Hiero Martyr, & Apostolus Hollandorum: Ibi enim alacriter fidem Christi prædicans à Danis & Normannis capite plexus Martyrio est coronatus Caput eius est in Noruuik loco Marytrij: corpus verò translatum fuit à Theodorico secundo Comite Hollandiæ Egmundam in sancti Adelberti monasterium præmisso triduano ieiunio. Multi eius beneficio res deperditas recuperare solent. Vnde versus ille,

Rebus in amissis Ieron sæpissime fulget.

De eo vide Molanum in indiculo & additionibus, Hunterum in libro de Sanctis Scotis, Regium in Calendario, Vnionem libro 3. ligni vitæ, Guillelmum Gondanum in eius vita quæ sic incipit.

Gesta virumque cano, Scotijs qui vectus ab oris,
In Batauos fato profugus, Hollandaque venit
Littora, &c.

18. die. SAnctus Salustius sanctum Dysibodium è Scotiâ sequutus. Vide vitam ipsius & alios.

19. die. SAnctus Donotius Episcopus Aberdonensis. 42. annos egit Pontificatum, in vita & post mortem miraculorum gloria clarus. Hic inter cætera pietatis monumenta instituendæ iuuentutis, suis vectigalibus ac fortunis in Aberdonensi Diœcesi iecit primordia, eóque hoc pium opus Dei gratia creuisse cernitur vt in hodiernum vsque diem celebris in eadem Aberdonensi ciuitate habeatur vniuersitas; quam Beatus Guillelmus Elphistonius Aberdonensis Episcopus non modò agris & Ecclesiasticis reditibus ornauit, sed velut de nouo erexit. Vide Boëtium in vitis Episcoporum Aberdonensium.

20. die. SAnctus Stolbrandus Episcopus & Martyr à Danis in Maia Insula. De eo Leslæus lib. 5. hystoriæ & alij.

21. die. SAncta Fincana Virgo Eremita filia sancti Donevaldi, de quo supra.

22. die. COElestia petijt Quintinus Kennedius Comitis Cassiliæ frater, & Abbas Crucis Regalis, post varios cum Hæreticis

congressus, superatosque publica disputatione hostes, ab inferni allecis medicato poculo sublatus vitam cum morte commutauit anno Christi 1564. Huius multa sunt & doctissima de Fidei dogmatis monimenta.

23. die SAnctus Nectanus Episcopus Aberdonensis, apud Dauidem Scotorum Regem tanta valuit gratia vt omnium in republica negotiorum momenta ab illius nutu& consilio Rex meritò pendere voluerit. Episcopatum Aberdonensem pius Rex sancti Nectani causa multis donauit prouentibus, atque prædiis veteris Aberdoniæ, de Sclaty. Goul, Murcroft, Kynmundy, Marmelach, Clat, Tulgnestin, Rain, Damot, &c.

24. die. SAnctus Erchadus vel Erthadus Episcopus in Scotia. Vide breuiarium Scoticum, Regium, Boëtium & alios.

25. die. SAnctus Ronnanus. Vide Dempsterum in Mendicabulis repressis,& alios.

26. die. SAnctus Peregrinus sancti Romani Scotorum Regis filij famulus. Vide vitam eius per Peregrinum Carpium, Tabulas Lucenses & Mutinenses.

27. die. SAnctus Malrubius Martyr à Noruegis. Celebris habetur in Mernia. De eo Regius in Calendario, & alij.

28. die SAnctus Tolmannus Martyr in Germania post varios ibidem in prædicando Christi Euangelio labores. De eo Leslæus. lib. 4. hystoriæ, Demochares de missæ sacrificio, & alii.

29. die. SAnctus Fiacrius Eugenii Scotorum Regis hoc nomine quarti filius. Hic patre Eugenio defuncto ex Scotia auffugit in Galliam, vbi Anachoreticam vitam diu egit. Postquam Nobilitas Scoticana illum in Gallia versari intellexisset, Legatos misit ad Clotarium Galliæ Regem, qui quo in statu res Scotiæ essent, exponerent, rogarentque vt Fiacrius ad paternum regnum hæreditario iure possidendum ipsius auctoritate in Scotiam reduceretur: Annuit Rex, renuit Fiacrius, qui quod nihil in terrenis rebus inesse constantiæ, nihil certi, nihil vera laude dignum exploratè cognosceret, ab iis animum suum ad diuina se traduxisse asseruit. Omnia ergo patriæ suæ fausta precatur: se verò solitudinem suam longè regno chariorem & potiorem habere constantissime respondit. Factum est etiam (teste breuiario Lemouicensi) vt aduenientibus ad Fiacrium Legatis Leproso simillimus appareret, vt lepræ fœtore territi à precibus se continuerint. Cum igitur rogaretur vellet ne patriam repetere, Scitote [inquit] hanc le-

pram non tam naturæ esse maleficium, quam humilitatis incitamentum: Credite hanc cellulam amplissimo quouis regno mihi potiorem esse. Sicque repulsam passi in Scotiam reuersi sunt Legati. Vir autem sanctus recuperata postmodum sanitate reliquum vitæ in eremo transegit, donec regni cœlorum non Scotiæ consors fieret, omnium infirmorum & languentum consolator. Celebrabatur itaque vbique Fiacrius eiusque sanctitatis fama longè latéque effundebat sese, vnde ad miraculorum multitudinem quę Deus per suum operabatur famulum, aduolabant multi, seque in Discipulos à Fiacrio instituendos dabant. Sed cùm aucto numero seruorum Dei angustior esset locus, quàm vt pro commoda tot discipulorum habitatione sufficeret, rogauit Fiacrius Faronem Meldensium Episcopum, vt locum laxiorem reddere sibi liceret, permisisse fertur Episcopum, vt quantum terræ vnius diei spatio disiectis arboribus repurgaret, ductaque in orbem linea fodiens circulo clauderet, id totum sibi suisque in habitationis locum vsurparet: Post diuinam igitur opem imploratam operi se accinxit Fiacrius, fodendoq; auxiliarem Dei manum continuò persensit, nam cuiuscunque tandem arboris radici palam admouisset, illa subitò suo mox pondere in terram ruebat, ipsaque terra absque omni mortalium coaceruatione, vltro sese in aggerem erigebat. Hunc in modum opem ferente Christo quantum fundi spatium sibi suisque vsui fore existimabat, nullo prorsus negotio arboribus pro voto nudauit, aggereque circundedit. In cuius miraculi perpetuam memoriã Fiacrium palam (est hodie fodientum terram instrumentum quoddam) manu tenentem vbique depictum cernimus. Adeiat tum mulier paupercula colligendis fortè in sylua lignis occupata, quæ quod sua sponte arbores decidisse vidisset, Fiacrium præstigiatorem veneficumque vbique dictitabat; In iudicium igitur vir sanctus vocatus cùm ad iudicem dicturus causam proficisceretur nouo seruum suum miraculo Deus decorauit. Fatigatus quippe ex itinere dum saxo insedisset, ad vestimenti eius contactum ad instar cerę mollis subitò cessit saxum, in quo etiamnum apud Meldenses reseruato vestimentorum cernere est impressa vestigia. Atque hinc effectum vt sine numinis offensa præsentique vltione, quod sanctus adeo obnixè postulauerat monasterium Fiacrij in hodiernum diem ingredi non audeat mulier. Longum esset miracula recensere, quibus cùm in Flandria, tum in Gallia tota Christus ornarit seruum suum Fiacrium, cui & in facie inerat Angelicus decor, & in ore lætitia, & quasi quædam ex animi beatitudine redundans hilaritas, vt eo satiari animi oculique non possent.

non possent. Fiacrius autem, vt adfuit hora ex hoc sæculo migrandi tum preces intendere, tum crebros ante Deum gemitus edere, & imis ex præcordijs mixta precibus suspiria ducere, suisque discipulis mutuam charitatem, & in Christum dominum tenerrimum amorem vnicè commendare, Iam demum viribus destitutus has voces subinde ingeminans, Iesu fili Dauid miserere mei, extremum spiritum edidit Augusti trigesimo, circiter annum 668. De eo agunt Leslæus libro 4. hystoriæ, Boëtius lib. 9. hystoriæ, Gagninus lib. 3. hystoriæ Franciæ, Dupreau ad annum 648. & alij. Vnum tantum hic de sancto Fiacrio addam quod referunt Leslæus & Duchesne. Sub Christi annum 1411. bellum exortum est grauissimum inter Carolum 6. Gallorum & Henricum 5. Anglorum Reges. Carolus Legatis in Scotiam missis auxiliũ contra Anglos postulat, vnde septem armatorum millia cum Archibaldo Duglasio Comite Vintoniensi, ac Ioanne Stuarto Comite Buchaniæ, egregiis ducibus in Galliam statim transmittuntur. Quorum copiis & consilijs plurimæ Anglis calamitates illatæ fuerunt. Etenim prælio ad Baugæum vicum inito, Clarentio duce Henrici regis germano, multisque alijs nobilibus occisis Anglorum exercitum totum in fugam compulerunt. Quibus rebus permotus Henricus Rex Iacobum primum Scotorum Regem enixissimè precatur, vt Scotos à Francorum subsidio reuocaret. Id quod Henricus à Iacobo nullo modo elicere potuit. Quare Henricus Rex ægerrimè hoc ferens, sancti Fiacrij Scoti & Regis Scotiæ olim filij agros & vicinas ditiones in Meldensi tractu fœdè populatus in morbũ Diui Fiacrij incidit, qui nullâ adhibita medicinâ curari potuit. Henricus verò morbi vehementia acerrimè afflictus, quis esset Fiacrius percunctatur: cúmque Scotum fuisse intellexisset, in hanc vocem prorupisse dicitur: Scotos eò vsque adhærere Gallis contra Anglos, Anglisque aduersari, vt non solùm in hac mortalitate viui, sed etiam mortui ac in Diuorum numerum repositi eos aliquo semper detrimento afficiant. Et quidem Henricum breui post morbo sancti Fiacrij extinctum ad Vicenarum saltum magno Gallorum gaudio constat. De hac hystoriâ vide præterea Boëtium lib. 17, hyst.

30 die. Sanctus Aidanus Confessor, Lindisfernensis Episcopus & Anglorum Apostolus ex Hoy insulâ vna Hebridum ad Anglos ad Christi fidem conuertendos missus. Cùm autem Aidanus sanctus linguam Saxonicam (quæ tum in vsu apud Anglos erat) ignoraret. & Scoticè concionatus fuisset ad populum, Osunaldus Rex quicquid Aidanus pro concione ad populum Scoticè dixerat, ascenso è regione

(O Regis animarum zelum & humilitatem] suggestu Saxonicè statim, Apostolico planè spiritu afflatus, reddebat. Vnde tantos progressus vterq; Aidanus sincerè cōcionando, Osuualdus piè interpretando (didicerat enim apud Scotos dū ibi exularet linguā Scoticam) in Euangelio promulgando fecerunt, vt septem dierum spatio 15. hominum millia sacro fonte perfuderit Aidanus. Et sanè fuit Aidanus vir planè Apostolicus, cuius animi submissio, erga Deum amor, animarum zelus, magnanimitas in rebus aggrediendis, fortitudo in prosequendis, patientia in superandis earumdem difficultatibus, vitæ asperitas, perpetuum orationis studium, Eangelicæ paupertatis amor, erga inopes misericordiæ viscera, magnam apud omnes tum gratiam, tum auctoritatem sibi conciliauerunt. Et quidem erga pauperes liberalitatem testatur Beda in Epitome, & lib. 3. hystoriæ cap. 14. his verbis. Donauerat equum optimum Antistiti Aidano Osuuius Rex & Osuualdi frater, in quo ille quamuis ambulare solitus vel amnium fluenta transire, vel si alia quælibet necessitas insisteret viam peragere posset. Cui cùm paruo interiecto tempore pauper quidam occurreret eleemosynam petens, desiliens ille præcepit equum, ita vt erat, stratum regaliter, pauperi dari, erat enim multum misericors & cultor pauperum, ac velut pater misericordiæ. Hoc cùm Regi Osuuio esset relatum dicebat Episcopo cùm fortè ingressuri essent ad prandium, Quid voluisti Domine Antistes equum regium quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare? nunquid non habuimus equos viliores plurimos & alias species quæ ad pauperum dona sufficerent, quamuis illum equum non dares, quem tibi specialiter possidendum elegi. Cui statim Episcopus. Quid loqueris (inquit) Rex? num tibi charior est filius equæ; quam ille filius Dei? quibus dictis intrabant ad prandium, & Episcopus quidem residebat in suo loco. Porro Rex venerat de venatu & cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris, & repente inter calefaciendum recordans verbi quod dixerat illi Antistes discinxit se gladio suo, & dedit illum ministro, festinusque accedens ante pedes Episcopi corruit, postulans vt sibi placatus esset; quia nunquam (inquit] deinceps aliquid loquar de hoc aut indicabo quid vel quantum de pecuniā nostra filijs Dei tribuas. Quod videns Episcopus multùm pertimuit, ac statim exurgens leuauit eum, promittens se multùm illi placatum esse, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret. Dumque Rex iubente ac postulante Episcopo lætitiam reciperet, cœpit contra Episcop⁹ tristis esse vsque ad lacrymarum profusionem fieri,

quem dum præsbyter suus linguâ patria (id est Scoticâ) quare lacrymaretur in terrogasset; scio (inquit) quod non multo tempore victur* est Rex. Nunquam enim vidi antehac similem Regem: vnde animaduerto citius illum ex hac vita rapiendum; non enim digna est hæc gens talem habere rectorem: Plura de hoc Sancto vide apud Bedam loco citato, & lib. 3. cap. 5. & cap. 6. & cap. 15. Tritemium de viris illustribus ordinis sancti Benedicti lib. 4. Sigebertum in chronico, Hermannum Contractum in chronico, Leslæum lib. 4. Boëtium, Polidorum, Virgilium, Arnoldum, Mermannium, Baronium & alios.

31. die. SAnctus Vulgisus pater sancti Vvillibrordi. De eo vide Molanum in chronica recapitulatione Sanctorum Belgij in appendice ad 7. Nouembris, Dempsterum, & alios.

SEPTEMBER.

1. die. SAnctus Glascianus Episcopus & Confessor in Morauia Scotiç prouinciâ celebris, insignis Christianæ fidei concionator, De eo vide Boëtium lib. 10. hystoriæ, Leslæum lib. 5. hystoriæ.

2. die. SAnctus Odranus. De eo in vitâ sancti Patricij.

3. die. Sanctus Mansuetus Episcopus. & Tullensium Apostolus à sancto Petro Apostolorum principe Tullum missus ad fidem Christi prædicandam. Vide eius vitam, Eisengrenium de Gallicanis Pontificibus, Arnoldum, Mermannium in Theatro conuersionis Gentium, Franciscum de Rosier tomo 2. stemmatum Lotharingiæ ad annum 62. Democharem in catalogo Episcoporum Tullensium, breuiarium Tullense ad hunc diem, qui omnes testantur esse ipsum natione Scotum, & à sancto Petro Tullum missum.

4. die. SAnctus Veranus Confessor apud Remenses in Galliâ cum fratribus Gibriano, Petrano & cæteris sanctitate clarus. Vide Flodoardum lib. 4. hystoriæ Remensis cap. 9. & alios.

5. die. Attho Abbas Altomnunsterij in Germania. Vide Hundium in Metropoli, Vvingarteum in Guelphis pag. 181. Velcerum lib. 5. rerum Boicarum, Vnionem lib. 3. ligni vitæ & alios.

6. die. SAnctus Bertinus Abbas Sithium, Vide Theodoricum Abbatem in vitâ sancti Rumoldi.

7. die. SAnctus Magnus Abbas. Vide Pantaleonem parte primâ prosopographiæ an. 780. & alios.

8. die. SAncta Bega virgo, Vide hystoriam Sinclari & alios.

9. die. Sanctus Babolenus Confessor & Abbas, qui in Scotiâ vnâ

cum Columbano sancto egressus Fossatensi monasterio in Burgundiâ à se extructo in sanctissimo illo Monachorum instituto, perpetuaque sui in rebus omnibus abdicatione multum excelluit.

10. die. SAncta Odilia. Vide hystoriam sanctę Vrsulæ, Calendarium Germanicum, & alios.

11. die. SAnctus Queranus Abbas Foilensis in Scotia. De ipso vide Martyrologium Romanum ad 9. Septembris, Vnionem lib. 3. ligni vitæ, Vsuardum & alios.

12. die. SAnctus Otgerus Leuita, de quo ita Molanus, *Venerunt præterea ex Scotiâ ad Pipinum sanctus Viro Episcopus, sanctus Plechelmus Episcopus, vterque Romæ ordinatus, & sanctus Otgerus Leuita.* Vide Molanum in chron. cap, 7. in indiculo & in additionibus & alios,

13. die. SAnctus Batheneus Confessor. De eo agitur in vitâ sancti Columbæ à sancto Adamanno ante mille circiter annos conscripta. De eo etiam agit Boëtius lib. 9. hystoriæ

14. die. SAnctus Conuallus Monachus qui à tenella ætate in nobili illo monasterio, cui Crux Regalis nomen, prima iecit fundamenta virtutis, vnde & celebris habebatur ob sanctitatis famam, in illa Scotiæ prouincia, cui Caricta (quam à Carictonia populosissima quondam ciuitate dictum putant) nomen. De eo Boëtius lib. 9. hyst. & Leslæus lib. 4.

HOc eodem die celebratur translatio sancti Blani Episcopi Dumblanensis in Scotiâ, de quo diximus ad 19. Iulij.

15. die. SAnctus Adam Episcopus Cathenensis in Scotia. De eo vide Scotichronicon, Cœlestini quarti Pontificis bullam.

16. die. SAnctus Mombalus Confessor. Vide Dempsterum in mendicabulis repressis Hibernorum.

17. die. SAnctus Mirinus Abbas Paslatensis in Scotia, & postea Neubotelensis in Laudonia Scotiæ prouincia celebris. De eo vide Regium in Calendario, Boëtium & Leslæum in hystoria.

18. die. SAnctus Ninianus Diui Martini nepos in Gallouidia Scotiæ prouincia celeberrimus, ac Candidæ Casæ in Scotiâ, Scoticè Quhythorne Episcopus. Et quamuis diuina Saluatoris nostri bonitas virtus, & magnificentia in omnibus quæ creauit eluceat, in Niniano tamen sancto summè apparuerunt. Natus est parentibus iuxta sæculi dignitatem nobilibus, diuinis sine morâ regenerandus fontibus, vt viuere inciperet iustitiæ in acquisitionem beatitudinis æternæ: Suggerente autem spiritu sancto, qui eum sibi vas electionis præscierat futu-

rum, in baptiſmate ſacro Ninianus Scoticè Ringen eſt appellatus. Cum maxima parentum nutritus diligentiâ annos tranſiret pueritiæ, non vt ſolet illa ætás puerilibus operam dedit luſibus, ſed totum ſe diuinis geſtiens mancipare obſequijs, cum ſui corporis incremento interiorem hominem perficere elaborauit ſanctarum copia virtutum. Erant enim in iuuenili eius pectore matura ſtudia, & aſſiduis Deum exorabat gemitibus, vt eum in viam mandatorum ſuorum dirigeret. Interea dum promptæ voluntati merita religioſa ſuccreſcerent, prudenti, diu cęlatū piæ deuotionis affectū parentib⁹ decreuit aperire, velle ſe videlicet tranſitoria omnia declinare ac Deo ſe omnino mancipare, eò quod audiuiſſet illud Domini, *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Vt piam eius voluntatem cognouere parentes, vt erant pij ac Deum timentes tantùm abeſt vt illum eam deſerere vrſerint, vt potiùs eum in arrepto propoſito confirmarint fluxam & tranſitoriam mundi huius gloriam & caducos honores illi ſæpe proponentes, aſſerentes inſuper cum Paulo Apoſtolo non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis. Ninianus vt vidit parentes ſibi non reſiſtere, ſed potius in tam ſancto propoſito confirmare: exiſtimans, vt par erat, hoc à virtute dextræ Excelſi prouenire ſummo animi affectu Deo Creatori ſuo gratias agebat, ac ſimul perſeuerantiam petebat, vt deſideria illi immiſſa ad fœlicem exitum perducere poſſet. Florebant tunc in Scotiâ Culdæi patres plurimi & ſanctiſſimi: horum inſtitutum amplexus Ninianus, mirum eſt quanto deſiderio teneretur conuerſionis animarum. Verùm quia mos tunc erat inter Culdæos patres vt non prius ſubiret aliquis onus Euangelicum & Apoſtolicum, quin prius limina ſanctorum Apoſtolorum viſitaſſet, Romam proficiſcitur Ninianus: quam, vt in eius venit conſpectum, eminus venerabundus, eximio pietatis affectu ſalutat: quod vrbs eſſet ſancta, quodque tot ſanctorum corporum aceruis, tot Martyrum ſanguine redundaret. Mox ad limina ſanctorum Principū Apoſtolorum animo corporeque proſtratus pro re bene gerenda (hic fuit animarum zelus) Dei clementiam prece aſſidua cum flagitaſſet, viſitatis de more templis, ſuæque ſanctitatis & innocentiæ editis exemplis in Scotiam per Galliam & Belgium, in quibus mirabiles animarum conuerſiones feciſſe legitur, rediens ad conuertendas Deo creatori ſuo animas ſe totum intendit. Quod cum ſtrenuè diu præſtitiſſet, & ſimillimam Angelorum vitam inter mortales egiſſet, Candidæ Caſæ primus Epiſcopus nominatus, & nominatim acceptare cogitur. Fa-

ctus Episcopus creditum sibi à Deo populum non neglexit, sed gnauiter ad pietatem erudiuit, noctes & dies in hoc sancto munere sine vlla corporis quiete insomnes ducens: imò nec contentus intra suæ Diœcesis fines, & per loca vicina pietatem promouere ad Britannorum siue Britonum terras sæpissimè excurrebat. In sacrarum scripturarum lectione cùm per tempus liceret, assiduus erat, In Orphanos, viduas, & pauperes semper pius, Candidæ Casæ ædem condidit Diuo Martino auunculo suo sacram. Scripsit meditationes in Psalmos, & sententias selectas ex Patribus. Denique multorum annorum spatio, Angelicam vitam inter homines cùm egisset, delapsus in morbum occurrit Christo Domino sub annum 496. suisque apud Christum precibus Gallouidianis sæpissime suffragatum communis fama est. Singulari in illum deuotione ferebatur Iacobus quartus Scotorum Rex ac frequenter ad sacrum illius corpus peregrinabatur, nec frustra, nam sæpe illum propitium sibi sensit. Inter alia contigit semel vt Margareta Regina eius vxor (fuit hæc Henrici septimi Anglorum Regis filia) grauissimis morbi doloribus post partum tentaretur, nec vllâ consolatione humana permulceri posset. Quod videns Rex omni spe de vxoris valetudine in Deum collocatâ ad ædem Diui Niniani in Gallouidiâ summa animi submissione pedes proficiscitur. Regis deuotionem Deo gratissimam fuisse ex eo liquet, quod Regina paulo post omni vehementia morbi absterfa conualuerit, & mariti sui pietati, Diuique Niniani auxilio suam salutem proximè secundum Deum acceptam retulit: integris verò viribus effecta cum Rege ad eandem Niniani ædem sequenti Iulio mense anni 1507, profecta est Deo & famulo eius Diuo Niniano gratias actura. Sub annum Christi 1608. accidit miraculum, quod, omnibus alijs omissis, hic subiungam. Erat sacellum Diuo Niniano sacrum non longè à Spea fluuio vbi in Oceanum influit. Quidam anno vno aut altero ægrotus decubuerat: destitutus iam viribus, curauit vxor vt transferretur in dictum sacellum quamuis tecto priuatum, vt Deo creatori suo ibi pietatis causa spiritum redderet. Tota nocte remansit sub dio æger mortem expectans, sed ecce tibi circa galli cantum obdormiscit: In somno adstat senex venerabilis admodum, qui crura ipsius stringens, surgere iubet, & domum repetere. Fecit quod imperabatur, occurrit vxor, turbatur, spectrum se videre existimat. Loquitur æger vxori se esse, non spectrum clamat, rem narrat, tandem simul Deo & Niniano sancto gratias agunt. De Niniano sancto agunt Vsuardus in Martyrologio, Molanus in additionibus ad Vsuardum, Sixtus Senensis lib.

4. Bibliot. Regius in Calendario, Leslæus Episcopus in hyst. Dempsterus & alij; ex quibus facilè refellitur præposterus zelus Hirlandicorum contendentium sanctum Ninianum Hirlandum esse: vt enim ex prædictis & alijs cōstat, Scotus est & Candidæ Casæ in Scotiâ Episcopus; nec vllus vnquam author præter paucos Hirlandos illum Hirlandum esse somniauit. Natus est in Scotiâ, vt diximus, in illa vixit, in illa spiritum Creatori suo reddidit, in illa eius sacræ reliquiæ vsque ad hæc nostra tempora fuere, in illa denique ante paucos annos repertum est eius brachium, quod iam asseruari audio in seminario nostro Scotico Duaci in Belgio.

HOc eodem die cælestia petijt Iacobus quartus Scotorum Rex. Quantus virtutum cumulus huius Regis animo insederit humanam ferè superat fidem; nam diuinæ gratiæ conseruandæ pœnitentiæque agendæ causa ferreâ catena se semper cinxisse auctor est Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis lib. 8. hystoriæ. Dei Diuorumque cura ita illius animum tangebat, vt quod erat illi à Republicæ curis necessarijs vacuum tempus, id Deo ac diuinis dabat. Vnde vix cogitari potest vtrùm regnum sub illo fuerit in pace affluentius, an in summa affluentia pacatius. Fidei Catholicæ & Romanæ defensor fuit acerrimus, vnde Iulius secundus Pontifex maximus Legatum ad Regem Iacobum decreuit anno Christi 1507. qui Regem (quod hæresi à suis finibus arcendæ gnauiter operam daret, Christianæ fidei protectorem declarauit. In cuius rei signum misit ad illum purpureum diadema aureis floribus intextum, ac gladium vagina atque manubrio aureis insignem gemmisque egregiè stellatum: quæ quod Ecclesiæ propugnatæ monumenta erant, in Ecclesia Sanctæ Crucis à Legato & Abbate Dumfermlingensi frequentissima nobilitate Regi donata sunt. Vide Leslæū Episcopum lib. 8. citato, Boëtium & alios,

19. die S Anctus Plebæus, De eo Dempsterus & alij.

20. die. Sancta Richarda, vel Richardis Imperatrix, & Gregorij Scotorum Regis filia, ac Caroli Crassi Imperatoris vxor. Scribunt multi ipsam accusatam fuisse adulterij cum Lintuuarda Episcopo Vercellensi, sed Aquino iudicio se ab omni virorum commixtione integrā & virginem comprobasse quamuis iam 12. annis in coniugio Imperatoris vixisset ab Imperatore separata in Anddaliense Cœnobium virginum in Alsatia à se extructum anno 887. secessit, ibique sacro sumpto velamine Deo seruiēs ac virgo permanens ita se gessit vt in Abbatissam postmodum eligi & post mortem Sanctarum catalogo adscribi merue-

rit. De hac Sancta vide Paradinum in suis Genealogicis affinitatibus ad annum 886. Vnionem lib. 4. ligni vitæ, Cratepolium pag. 97. Rheginо Abbatem in chronico, & alios.

19. die. SAncta Lucia Virgo & Scotorum Regis filia in Barroducensi Ducatu ob peregrinantium ad eiusdem sacra pignora multitudinem celeberrima. In officio quodam perantiquo de hac virgine hæc reperi. Virgo venerabilis beata Lucia ancilla Dei deuota, Regis Scotiæ filia deuotissima, à primæuæ ætatis infantiâ in palatio parentum honorificè fuit nutrita ac eleemosynis larga, in vigilijs & orationibus continua, in ieiunijs & bonorum operum exhibitionibus perfecta: Ecclesias Dei frequentans, iugiter in laude Christi permanens, à sacerdotibus ac ministris Dei frequenter requirebat totâ dilectione mandatorum Dei & perfectionis viam. Quadam die dum esset in Ecclesia audiuit verba sancti Euangelij prædicare: si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & veni, sequere me. Qua de re toto corde succensa totam se subiecit seruitio Christi, vt tantæ consors mereretur esse promissionis: ab illo ergo die cogitauit abnegare se, patriam relinquere, & alienam patriam adire. In nomine igitur Dei iter arripuit, & in Lotharingiam Domino ducente peruenit. Factum est autem dum super Mosam in Episcopatu Virdunensi staret, quasi ex miraculo diuino aquæ creuerunt in tantum, quod vltra transire nequiens in monte ibi propinquo hospitari voluit. Ibidem verò quemdam virum Deo deuotum nomine Theobaldum inuenit, qui eam benignè recepit, ac illi de bonis à Deo collatis abundanter distribuit: & beata Virgo Lucia cum bono viro per longa tempora remansit, necnon in bonis operibus semper intenta extitit iuxta verba Apostoli dicentis, qui non laborat non manducet. Nam gloriosa puella de die oues semper tamen coniuncta Deo per orationes pascebat, nocte verò cœlestium rerum considerationi maximè intenta erat. Lucia igitur dilecta Dei sponsa (quæ regum antea assueta palatiis delitiisque) consultò casam humilem & ab interuentoribus liberam delegit. Porro post multa miracula in vita peracta defuncta est, & in Basilica præclara in monte sita in medio eiusdem Basilicæ iacet.

22. die. SAnctus Domitius præsbyter, sancti Columbæ discipulus, qui in Septentrionalibus Pictis Christo reconciliandis strenuè operam dicauit suam. Animum fœlicem Deo reddidit in Insula Hoyensi in Hebridibus. De eo vide Lesleum lib. 4. in Aidano.

23. die. Sanctus Dioconanus Martyr. De eo varij.

Sanctus

14. die. SAnctus Lolanus Episcopus & Confessor apud Duncanum Scotorum Regem magnâ in auctoritate & gratiâ, quem & consilio & sanctis apud Deum precibus iuuisse fertur, cùm Danorum Rex infidelis Scotiam nauali & terrestri aggrederetur exercitu, qui partim ad Kingkornum (vbi Danorum deuictorum adhuc supersunt monumenta) partim ad Culrossanum oppidum profligatus est. Celebris habetur hic sanctus in Strilingensi prouinciâ, De eo vide Regium in Calendario & alios.

25. die. SAnctus Adamannus Episcopus, Northumbrorum Apostolus. De eo plurimi.

26. die. SAnctus Thevuanus Abbas & Confessor, quem post operam benepositam cùm in diuinis litteris, tum in varijs regni negotijs fœliciter obeundis Eugenius sextus Scotorum Rex ad sua adhibuit consilia. Monasterio Mailrossensi diu præfuit hic Sanctus. De eo vide Regium in Calendario.

27. die. SAnctus Marcellus. De eo vide Ekerhardum in eius vitâ.

28. die. Sanctus Maldulphus, Maidulphus, aut Meydulphus. Vide Guillelmum Malmesburiensem, Capgrauium, Lelandum, & alios.

29. die. SAnctus Barrus seu Finlarrus Confessor, & primus Episcopus Cathanesiæ. De eo Regius in Calendario & alij.

HOc eodem die sanctus Firminus Episcopus Ambianensis Martyr. De eo vide Scotichronicon libro 4. cap. 9. Errorem Democharis Constantinus Ghinius detexit.

HOc eodem die Ceolfridus Abbas Glastouiensis. De eo Sergij. P. literæ, & alij.

30. die SAnctus Machanus Episcopus & Confessor, qui sub Kennetho Rege multa & magna suæ sanctitatis & prudentiæ documenta dedit. Kennetho auctor fuit vt exactis tota Scotiâ Pictis leges conderet, quibus subditos prudenter & Christianè regeret, collapsasque ob frequentia cum Pictis bella sacras ædes redintegraret, nouasque prioribus adderet: qui hæc omnia diligenter præstitit, certè leges ab ipso conditæ summo in honore apud Scotos ad nostra tempora fuere quarum quæ religionem spectant aliquas subijcio. 1 Aras, templa Diuorum, statuas, oratoria, sacella, sacerdotes, omnesque sacræ familiæ viros ex animo venerato. 2. Festos & solemnes dies, ieiunia, vigilias, & omnifaria ceremonias quas Christo Regi & sacratissimæ eius militiæ decreuit humana pietas, multo honore obseruato. 3. Lædere Christi sacerdotem dicto factoue exitiale esto. 4. Sepulchrum omne sacrum

habeto, idque Crucis signo adornato, quod ne pede aliquando conculces caueto. 5. Defuncti funera habita ratione facultatum curato. 6. Qui Dei numen Diuorumque blasphemiâ læserit, ei linguam abscindito. Vide Regium & alios.

HOc eodem die sanctus Malchus Episcopus Sodorensis in Scotiâ. Hoc eodem etiam die sanctus Coganus Abbas in Lochabria Scotiæ prouinciâ celebris. De eo Leslæus lib. 4. hystoriæ & alij.

OCTOBER.

1. die. SAnctus Priscus Episcopus, in Canteira præsertim prouinciâ celebris, & Regi Conrano perfamiliaris. De eo Leslæus lib. 4. Boëtius lib. 6. & alij.

2. die. SAnctus Annualis P. discipulus sancti Kiliani. De eo Henricus Canisius & alij.

3. die. SAnctus Edmundus M. sancti Malcolmi ex sancta Margareta filius. De eo Vnion lib. 3. Leslæus & alij.

4. die. SAnctus Malcallinus. De eo Tabulæ Virdunenses. Rexerat ante suum è Scotia egressum monasterium Rathmelsigi.

5. die. SAnctus Conuallanus Abbas Ionæ, Episcopus in Scotia Ferguhardi Regis præceptor. De eo Vnion libro 3. & alij.

6. die. SAnctus Cominus Abbas Deiræ familiaris sancti Columbæ. De eo Leslæus libro quarto in Aidano, Boëtius lib. 9. historiæ.

7. die. SAnctus Macceus cum sancto Patricio Scotiâ egressus. De eo varij, vide ipsius vitam.

8. die. SAncta Triduana Virgo sanctissima apud Scotos celeberrima. Hæc admirando stratagemate mundum carnemque superauit. Cùm enim esset natalium splendore illustris, elegantis formæ, & eximia ad virtutes indole prædita, varij fuere Nobiles adolescentesque primarij, qui virginis specie illecti matrimonium cum eadem inire postulabant. Verùm illa voti castitatis iamdudum emissi conscia, se postulantibus pro virili resistit. Et quidem inter huiusmodi adolescentes vnus erat opibus & genere clarus, qui Virgini præ cæteris omnibus plus satis erat importunus, ad quem Triduana Christi sponsa: Cùm scias, ô adolescens, me Christum Iesum in sponsum selegisse, mundique visibilia contempsisse, vt subtracta visibilibus inuisibilia clarius conspiciam, & repleta inuisibilibus visibilia perfectè contemnam, quid causæ est cur cæteris qui hoc responso accepto mihi facessere ne-

gotium desiere, tu solus, importune, & frustra instas, quid in me cernis, quod alij non videre? Cui ille, tuorum (inquit) oculorum tam decorus & supra modum blandiens aspectus me in tui admirationem & amorem vel inuitum rapit. Quod vbi castissima Virgo intellexisset, adolescentique valedixisset, virili prorsus & supra naturam spiritu, vtumque oculum (res admiranda) sibi eruendum curauit, atque eosdem per famulum pyxidi inclusos vnà cum literis, quarum hic tenor, misit. En, ô adolescens, accipe & tuæ in me irritamenta vanitatis, & domesticos meæ pudicitiæ, sanctiorisque propositi hostes, eisque pro libidine vtere, ac mihi iam in posterum esse desine molestus, & caue ne tu internos mentis oculos amittas, dum ita corporalium irritamentis delectaris. Ego verò cœlum ingredi me malim orbatam licet oculis, quàm oculos habentem mitti in gehennam ignis, à qua te dulcis Iesus custodiat, Vale. Postea verò Triduana sancta mundo parentibusque derelictis se totam diuino consecrauit obsequio, virgineumque corpus omni, qua potuit via, rationi subdebat, non quidem in molli culcitra lectoue, aut in læui dolatoue, vt solebat, robore, sed in ipsa soli duritie cum diurno amictu sæpe leues carpebat somnos. In statis verò precibus & cōtemplationibus tanta vi rapiebatur in cœlestia, vt sæpe dies integros auocaretur à sensibus. Nihil ardentius auebat quàm ad Christi Iesu vitam & mores gressus accommodare suos, cum sponso dulcia miscere colloquia, pro eo pati, pro magno existimans beneficio posse sui sponsi obedire nutui, signa sequi, vestigia premere, & insignibus decorari. Magno fuisse in honore hanc sanctissimam Virginem apud Scotos ob vitæ sanctitatem & miraculorum gloriam testatur Hunterus Dominicanus, sacellaque varia in eiusdem honorem extructa fidem faciunt. Cœlestem adijt sponsum sub annum Christi 538. Eugenio tertio regnante. Vide Regium in Calendario, & alios.

9. die. SAnctus Mathilla, induit sanctam Brigiddam. Vide mendicabula repressa Dempsteri.

10. die. SAncta Lupita soror sancti Patricij. Vide Dempsterum in mendicabulis repressis.

11. die. SAnctus Canicus siue Kenicus Abbas. De eo Vnion lib. 3. ligni vitæ, Petrus de Natalibus in catalogo, Martyrologium Romanum ad hunc diem, Vsuardus ad hunc etiam diem, & alij.

12. die SAncta Liberta. Vide vitam sancti Eliphij & alios.

13. die SAnctus Colmannus Martyr & Austriæ in Germania Tutelaris ex progenie Regum Scotiæ ortus. Hic postquam iterum atque

Gg 2.

iterum peregrinatus esset Herosolymam pietatis ergo, vbi in Austriam peruenisset ab impijs in arbore suspensus occiditur, cultus vt Martyr quamplurimis miraculis illustratus & ipsa arbor diu arida in qua suspensus fuerat floruit. Colomanni laudes & martyrium recenset Stabi⁹ apud Surium ad 13. Octobris. Vide de hoc Sancto Baronium tomo 11. ad annum 1012. Volfangum Lazium lib. 8. de Sueuis, Cuspinum in Austria, Vnionem lib. 3. ligni vitæ, Verdierum in prosopographia tomo 3. Nauclerum in chronico, Pantaleonem parte 2. prosopographiæ ad annum 1012. Auentinum lib. 5. Annalium & alios.

14. die. SAnctus Korulla, Korilla, Kortyla, Cortyla, aut Cortylas. De eo Vnion lib. 2. Suffridus & alij.

15. die. SAncta Aurelia Virgo & Martyr, sanctæ Vrsulæ socia. De ea plurimi.

16. die. SAnctus Gallus Abbas sancti Columbani discipulus apud Heluetios miraculorum gloria in hodiernum diem celeberrimus. Vitam eius habet Surius ad hunc diem. Vide de ipso Leslæum libro 4. hystoriæ, Ægilualdum in vita sancti Buchardi, Sigebertum de viris illustribus, Panthaleonem parte prima prosopographiæ, Iodocū Metslerum apud Henricum Canisium tomo 5. Posseuinum in apparatu sacro, Miræum cap. 19. orig. Benedictin. & alios.

17. die. SAnctus Regulus Abbas, qui sancti Andreæ reliquias in Scotiam detulit. Vide Boëtium lib. 6. folio 108. Maiorem lib. 1. hyst. cap. 15. Regiū in Calendario, Hunterū in libro de Sanctis Scotis.

HOc eodem die cœlestia petijt Ioannes de Sacro-Bosco, sic dictus à loco in quo educatus est in Scotia, Haly Vood quasi sacer Boscus, vir in omni literatura præsertim in mathematicis scientijs doctissimus, simul ac pius. Lutetiæ sepultus est in sodalium Maturinalium claustris: cuius medio tumulo insculpta sphœra ac circum illam hoc Epitaphium.

De Sacro Bosco qui Compotista Ioannes.
Tempora discreuit, iacet hic à tempore raptus,
Tempora qui sequeris, memor esto quod morieris,
Si miser es plora, miserans pro me precor ora.

18. die. SAnctus Monon Martyr siue Mommon. Vide de ipso Molanum in additionibus ad Vsuardum & in chronica recapitulatione Sanctorum Belgij, Regium in Calendario & alios.

19. die. SAncta Vdilina Scotorum Regina & Martyr Regis Eugenij à Maximo occisi vxor magnæ virtutis & animi mulier. Testatur

Hunterus Dominicanæ familiæ insignis Theologus vidisse se Coloniæ Agrippinæ peruetustum monumentum huius sanctissimæ Reginæ. Vide ipsum in tractatu de sanctis fœminis Scotis.

20. die. SAnctus Donatus Episcopus Fesularum. Vide Syluanum Raz. pag. 167. Franciscum Diacetti, Cattanium & alios.

21. die. SAncta Vrsula cum sociis. Fuisse illam Regis Scotiæ filiam tradunt complures auctores, in primis Ioannes Maldonatus in vitis SS. his verbis. *Vrsula Mauri Christianissimi Regis Scotiæ filia, doctrinæ, virtutisque indole, pulchritudine quin etiam admirabili cunctas illius tempestatis fœminas anteibat &c.* Subscribit Petrus de Natalibus in catalogo his verbis: *Vndecim mille virgines cum socijs earum apud Coloniam passæ sunt sub Hunnorum Principe Iuliano, quarum omnium principalior auctrix & signifera fuit Beata Vrsula; Hæc filia vnica Regis Scotiæ Christianissimi nomine Mauri sapientiâ mirabili & pulchritudine insigni pollebat &c.* Idem habet Iacobus de Voragine in hystoria Lumbardica in Legendis Sanctorum. Eadem enim verbá habet quæ Petrus de Natalibus, nisi quod dicat Regem Scotiæ sanctæ Vrsulæ Patrem, Maurum vel Nothum appellatum fuisse. Idem deníque (vt alios omittam) habent ex nostris Dempsterus in dedicatoria epistola Dissertationis de patria sancti Bonifacij, Grynæus, Andersonus, & alij. Hic vnum aduerte multa fabulosa inserta esse ferè omnibus vitis harum sanctarum Virginum, quæ propterea habita ratione temporum &c. reijcienda sunt. Quod attinet ad patrem sanctæ Vrsulæ variant authores; vt ex dictis constat, : Alij Nothum; alij Maurum vocant. Sed hac in re decipiuntur nisi nomina hæc ab externis olim imposita sint (quod ego vehementer suspicor) ad aliud nomen Scoticum Patris significandum, vt in simili factum fuisse infra ostendemus quando de sancti Liuini patria disputabimus.

HOc eodem die sancta Benedicta Virgo. Vide Sinclarum, hystoriam Vrsulanam & alios.

22 die. SAnctus Kieranus. De eo vide vitam sancti Patricij per Iocelinum cap. 113. & alios.

23. die. SAncta Gotha. De ea maryrologium Petri Canisij, & alios.

24. die. SAncta Maxentia Virgo & martyr, Mordaci Scotorum Regis filia. Spreto coniugio Regali quod sese per id tempus offerebat, in Galliam aufugit; vno famulo, cui nomen Barbensius siue Brabantius, & vna famula, cui nomen Rosebia, comitantibus. Venit igitur ad Osarim fluuium (quem sicco pede cum comitibus transisse

fertur) vbi erecto tuguriolo tenellum corpus spiritui subdere, superna cogitare, ac sese sæpius in conspectu Dei seriò introspicere, omnes postremò perfectæ virtutis numeros implere satagebat. Porro postquã sanctissima virgo annos aliquot in cœlesti vita transegisset, accidit vt Saracenorum quidam Princeps (horum quippe infinita propemodum multitudo ex Hispanijs in Gallias sub Carolo Martello circiter annum Christi 736. transierant) Maxentiam ob formæ elegantiam in sponsam sibi peteret. Illa sanctioris propositi memor dum Tyrannum vim sibi inferre molientem acrius increparet, vita ab eodem priuatur, duplicatoque Martyrij & virginitatis diademate in cœlum transmittitur. Cumque cœlestis Ille sponsus innumeris ornaret Maxentiam post mortem miraculis, Syluanectensis Episcopus sacras Martyris reliquias in Capsam reponendas curauit. Vide Humbertum de fœminis sanctis Scotiæ, Regium in Calendario, & alios.

25. die. SAnctus Hiluuaris comes sanctæ Oddæ Regis Scotiæ filiæ. Vide Petrum Tausianum, vitam sanctæ Oddæ & alios.

26. die. SAnctus Harruchus. Vide de eo Gaspar. Brusch. in catalogo, Crantzium lib. 3. metrop. cap. 21. Vnionem lib. 2. cap. 55.

27. die. SAnctus Guindibertus. Vide Tabulas Remenses, collectionem exemplorum in bibliotheca Ducis Vrbinalis Pisaurana, & alios.

28. die. SAnctus Faro Episcopus Meldensis, frater sancti Chilleni. Vide Surium tomo 5. pag. 344. Dempsterum & alios.

29. die. SAnctus Gunibaldus frater sancti Guinifortis. Vide Mombritium tomo 4. Tabulas Cornenses, Ferrarium Alexandrinum.

30. die. SAnctus Brabantius Confessor famulus sanctæ Maxentiæ. Vita illius & alij.

HOc eodem die sanctus Gunifortis. Vide Tabulas Ticinenses, Iacobum Guallam I. C. in Sanctuario Papiæ & alios.

HOc eodem sanctus Guallaferus. De eo vide vitam sancti Rumoldi & alios.

HOc eodem etiam die sanctus Albuinus Monachus Huensis, Apostolus Thuringorum, Episcopus Frislariæ. De eo Vnion libro 2. cap. 42. Tritemius lib. 4. virorum illustrium.

HOc eodem denique die sanctus Vvendelinus Mordaci sexagesimi Scotorum Regis filius. Vide Cratepolium pag. 145. *Ex Scotiâ* (inquit) *ac genere præclaro natus.* Vnionem lib. 4. cap. 24. *Scotiæ Regis filius.* & lib. 5. pag. 346. *Qui cùm esset Regis Scotorum filius, oraculum vitæ*

Anachoretica.

Vuendelinus erat Scotrorum sanguine Regum.

NOVEMBER.

1. die. SAncta Beia Virgo & Abbatissa. Magno fuit in honore apud Douald um Scotorum Regem huius nominis sextum. De ea Regius in Calendario & alij.

HOc eodem etiam die sanctus Duffus Scotorum Rex, qui & diuini honoris propagãdi, & iustitię in suis regendis sequendę rationes omnes inierat: quo factum est vt Scotorum regnum Danorum infidelium bello recens attritum sub Duffo florere cœperit. Qui quod iustitiæ seruandæ in omnes promiscuè tenacissimus fuerit, à nefarijs quibusdam Danorum infidelium (vt putant aliqui] dolo qui etiam prædecessori Indulpho Regi pro Catholica religione & patriæ libertate dimicanti vulnus lethale inflixerant, occisus est. Quod in Regem pium facinus diuino numini adeo displicuit, vt sex continuò menses nec Sol interdiu suis radijs, nec Luna noctu suo lumine Scoticas oras illustrarint, nec caligo hæc prius à Deo semota est, quam corpus demortui Regis (quod à sicarijs illis ad duo à Forensi ciuitate in Morauia passuum millia in scrobem coniectum] inuentum fuit, nec inuentio triplici miraculo caruit. Primò quidem CORPVS IPSVM post sex menses ex omni parte integrum repertum est, ita vt nec vermis carnem exederit, nec tempus formam deleuerit, nec locus colorem infuscarit, illaque primùm dies densissimas nubes, quibus cœlum fuit obductum, dispulit, Solemque reduxit. Præterea CAMPI E PROXIMA VICINIA corporique ascondito adiacentes præter temporis naturam (mense quidem Nouembri frigus est intensum in illis partibus) maxima florum varietate fuerunt distincti, vnde in tanti miraculi perennem memoriam in eodem loco celebris Abbatia Cisterciensis nunc familiæ extructa fuit, quæ in hunc diem Kilflos seu Killos, id est tempus florum, aut locus sacer floribus vocatur ab omnibus, quæ etiam postea à Dauide Rege reditibus aucta fuit laxiorque effecta. Sunt qui scribant auerso amnis cursu, qui Killos alluit, in scrobem quidem corpus coniectum, deinde reuocato in suum alueum fluuio, scrobem terra & aquis tectam fuisse, camposque fluuiolo adiacentes magna florum varietate & multitudine obstupescentibus omnibus ornatos fuisse, vt est quadruplex illud miraculum satis fidem facit Duffum Regem in san-

Clarata tantis cur gremio foues
In lucis aurata coronam
Virgineum thalamum remitte.
Astate ciues, Diuus adest locus,
Lustrate ciues, omen amabile,
Vernantis in regno Fauoni
Conijcio per aperta campi.
Gemmante prato floridior locus,
Stellante cælo fulgidior locus,
Flores coronatim pererrant.
O tumulum cumulum rosarum!
Albescit ore, liligeræ comis
Flauescit armis Ambrosij s croci
Stella hortulorum peruagantur,
O tumulum cumulum pudoris!
Princeps Scotorum sistitur in rosis,
Duffi sepulchrum cum violis iacet,
Florentior ditat Senatus,
O tumulum cumulum honorum!
Brumale regnum ne tumuli thoro
Latos honores inuideas rosa,
Ne liliorum argenteatas
Regis opes fugias ab oris.
Saluete flores in tumulo sati,
Diuos odores fundite, fundite,
Bellate cancrorum minaces
Frigoris in solio labores.
Diuina posthac floribus affluens
Dicere sedes, nomine floreo
Kiflos volabis, consecranda
Aula Deo precibus verendo.

2. die. SAncta Maura Virgo miraculis celebris à qua locus ille Kilmaure dictus in prouincia Cuninghamiæ indigitatur. De ea vide Regium in Calendario & alios.

3. die. SAnctus Gobbanus. Vide tabulas Peronenses & alios.

4. die. Sanctus Vulganus Episcopus & confessor. Quiescit in Arthesia in oppido Lenensi. Vide Gazetum in hystoria Ecclesiastica Belgii, qui ait illum in Anglia plurimos Danos ad fidem conuertisse, ad-

apud Surium & apud Lippeloo. Vide præterea Vnionem lib 3. ligni vitæ, Leslæum lib 4. Munsterum lib. 3. Cosmographiæ, Molanum in additionibus, Volfangum lib. 8. de Sueuis, Pantaleonem parte 1. prosopographiæ, Democharem & alios.

8. dic. Sanctus Morocus Abbas antiquissimi illius apud Scotos monasterij, cui Dunkel siue Duncalidonia nomen. De eo vide Regium in Calendario & alios.

Hoc eodem die mortuus fertur Ioannes Duns patria Scotus, vnde & à Theologis communiter Scotus a patria nominatur. Natus est hic Dei famulus in ea Scotiæ prouincia, cui Merchia nomen, in oppidulo Duns nomine. Nec procul ab oppido habitat Dunsianæ familiæ antiquissimæ, ex qua Dunsius noster originem traxit, caput (Scoti Baronem vocant) adolescentiæ studijs in Scotia peractis duo Patres ordinis sancti Francisci ipsius viuacitatem & stupendum acumen ætate iam tenera deprehendentes Dunfrisium Dunsio secum adduxerunt, & attonsum Seraphico ordini inseruerunt, vt narrat Brunus in collectaneis. Quo tempore Eduardus primus Angliæ Rex, cui à longis tibijs cognomentum, electus inter Brusium & Baliolum de sceptro contendentes arbyter, tyrannice & impie contra Bonifacij Octaui summi Pontificis mandatum libertatem tot retro sæculis inuiolatam ausus est attentare. Quod vt facilius exequeretur, optimates regni vel precio pellexit, vel carcere maceratos compulit, vel bonis mulctatos relegauit, vel morte ipsa aduersantes sibi sustulit, & ne præposteri ad populum vindices essent eruditos quosque in Angliam traduxit, & in his duodecim monachos, e quorum numero qui Scotum posuerunt, ne recte sentiunt Annales nostrates omnes; atque Scotum in relegatorum numero reponit Iacobus Ballantynus doctor Sorbonicus in supplemento hystoriæ. Hi igitur vt mitius patria carerent iure Anglicano donati fuere, vt in vita Stephani Bruni Anglorum illustriorum scriptor author est. Tenerrimo ferebatur Scotus affectu in sanctissimã Dei matrem, eiusque conceptionis immaculatæ fuit defensor acerrimus: cúmque Parisiis disputaturus esset in quemdam qui beatæ virginis integritati aduersabatur, pertransiens beatæ Virginis imaginem flexo poplite eandem Beatam in hæc verba orauit, *Dignare me laudare te virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos.* Eius autem petitioni annuere visa est ipsa Virgo, & adhuc hodie videtur in imagine inclinato scilicet aliquantulum capite; nec in vanum, siquidem gloriosam reportauit Scotus victoriam. Quando iter faciebat quoties pertingere ad ordinis sui

domum aliquam aut cœnobium non poterat, toties tenue aliquod sustentandæ vitæ solatium & hospitium emendicabat. O profundissimam & sæculis omnibus obstupescendam humilitatem! Eum ad stypem manum porrexisse, qui in summarum dignitatum fastigio propter excellentissimas virtutes sedere debuisset? Eum aliquando fores aliorũ pro cibo aliquo sollicitauisse, qui sapientiæ in terras omnes ambrosiam diffundebat? Eum hospitium vel tectum aliquod submissis precibus ad pernoctandum quæsiuisse, qui celeberrimas Academiarum sedes ac pulpita diuinâ quadam voce replebat? Laborat posteritatis fides vt credat, credit tamen vt extollat, extollit vt admiretur. Quoties arduam aliquam de diuinis illis mysteriis dissertationem instituere, vel disputationis arenam calamo aut voce subire propositum erat, cœlestem opem fusis precibus implorabat. Quoties commentationibus ac lucubrationibus illis suis finem ac coronidem imponebat, pietatis plenissimo sermone gratiarum actionem sapientiæ authori Deo persoluebat. Ita nihil moliebatur Scotus sine Deo, imò cùm nihil moliebatur sine Deo non erat, pura illa mens à cœlo nata ita aliquando abripiebatur vt sine sensu, sine vitâ corp⁹ esse videretur. Iudicabant homines iã inter homines eum esse desiisse in cuius corpore otiosi sensus, motus nullus, nullum vitæ indicium apparebat, nec hora vna aut breuissimo temporis interuallo sed longissimo. Tunc nimirum mens per contemplationem sursum euecta in diuina illa penetralia sese insinuabat: Tunc cœlestium mysteriorum arcana curioso quodam & pio affectu perscrutabatur: Tunc ad veritatis ipsius fores consistens fulgentissimis eius radiis illustrabatur: Tunc ea perdiscebat quę quando fœlici calamo consignauit, & docta in scholis voce publicauit, hausisse eum è cœlo nemo non affirmabat. Et sanè si dicendum est quod sentio, hic admirabilem & eximiam illam sapientiam suam expressisse *Scotus* videtur, vt cùm plura ipse nouerit quam exiguo non longę ætatis spatio discere ab hominibus vel vllo studio ac labore sibi comparare potuerit, necesse sit eum illa omnia diuino quodam beneficio consequutum fuisse.. An non cùm vice quadam eâ nocte, quæ natalis Christo fuit, diuinum illud admirandæ incarnationis mysterium attonita & amore plenissima mente contemplaretur benignissimus illi Iesus apparuit, eius brachiis dulcissimum onus incubuit, in eius collum iterum atque iterum repetitis amplexibus insiluit, eius animum suauissimis vocibus solatus est & recreauit? Nihil hic me fingere quisquam arbitretur. Testis est Marcus Olisipponensis, testis est Nicolaus Vernuleus & alij, quorum

omnium fidem sæculorum assentientium consensus approbauit. Et verò dubitare de eius sanctitate quisquam posset, quem magno aliquando desiderio ipse Deus inuisit? cui se gestandum puerili specie exhibuit? Non, non amplectitur tam suauibus osculis quemquam Deus nisi cuius animum Angelica puritas & cœlestes virtutum radij illustrant. Non, non tam blandè, non tam amicè, non tam beneuolè solatur quenquam Deus, nisi cuius vita nullas ab hac rerum terrenarum fece sordes contraxit. Docuit Scotus primùm Oxoniæ, deinde Parisiis, denique Coloniæ, vbi & sanctè mortuus est, & maxima pompa ac summa solemnitate sepultus est, teste R. P. Iacobo Fodero in hyst. prouinciæ sancti Boauenturę Ord. S. Francisci. Ex quibus omnibus facilè refellitur insolens illud quorundam commentum, viuum nempe sepultum fuisse illum, & in sepulchro brachij partem comedisse repertum. Coloniæ ergo sanctè mortuus est, vbi & eius Epitaphium in Ecclesia Franciscanorum in hæc verba cernere est.

Ante oculos saxum doctorem deprimit ingens
Cuius ad interitum sacra Minerua gemit.
Siste gradum Lector, fuluo dabis oscula saxo,
Corpus Ioannis hac tegit vrna Scoti.
Anno Milleno ter centum cùm adderet octo
Postremum clausit letho agitante diem.

De eius patria nonnulli recentiores mouerunt litem quibusdam contendentibus ipsum Hibernum Irlandum, aliis Anglum. Verùm extra controuersiam est tam Anglos quam Hibernos hac in re cœcutire. nam in primis Scotum esse conuincit concordia summa scriptorum. Inter hos sunt Iacobus Brullius Benedictinus Diui Germani in pratis sub muris Lutetiæ Monachus antiquitatibus Parisiensibus lib. 2. pag. 624. *Ex hoc monasterio* (Franciscanorum scilicet) *plurimi sanctitate & doctrinâ pollentes prodierunt, in his Nicolaus Liranus Bibliorum Glossographus, & quidam cognomento à patriâ suâ sumpto Scotus vocatus, & doctor subtilis, cuius memoria tunquam est peritura præsertim inter Scholasticæ sapientiæ professores ob eruditionem, quam scriptis suis inseruit Hæreticorum impietati retundendæ opportunam.* Guillelmus Eisegrenius, Spirensis in catalogo testium veritatis, *Ioannes Dunsq natione Scotus, quem multi Doctorem subtilissimum vocant.* Ioannes Rohenni⁹ Rothomagensis Collegij Thesaurarii Lutetię præfectus culta illa oratione de laudibus Sorbonę, *Habet etiam* (inquit) *gloriosa ista facultas Ioannem Dunsum natione Scotum, Franciscani instituti socium, quem antiquorum optimis componat Gallia Scotiaque*

Gallia me docuit,
Colonia me nunc tenet,

Ad D. Annunciatam Bononiæ foribus scholarum Scoti patres illi præfigendum curarunt hoc cultum elogium.

Scotia habet cunas, famam orbis, funera Rhenus,
Cœlum animam, Hic magni spirat imago viri

Ioannes Tritemius libro de scriptoribus Ecclesiasticis. *Ioannes Duns natione Scotus Parisijs studuit.* Antonius Posseuinus grauis & magnus scriptor in apparatu suo sacro, *Ioannes cognomento Duns natus in vlteriore Britanniâ ad Calydoniam syluam à patriâ Scoti nomen in scholis obtinuit.* Iacobus Foderus Franciscanus in hystoriâ prouinciæ sancti Bonauenturæ Ordinis sancti Francisci pag. 126. *Anno* 1300. *floruit Parisijs magnus doctissimus & excellentissimus vir, Frater Ioannes Duns natione Scotus, & propterea communiter dictus F. Ioannes Scotus, qui ob profundam doctrinam Doctoris subtilis nomen meritus est.* Ioannes Auentinus Annal. Boiariorum opere. *Duo Peripateticorum Aristotelicorum genera esse cœperunt, vnum illud vetus in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vendicat, quamobrem reales nominantur: Nouum quod eam distrahit, Nominales ideo dicti, quod auari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur esse assertores. In hisce duobus generibus dissidium & bellum ciuile est, illius Thomas Aquinas Italus, & Ioannes Duns Scotus. huius Vuillhelmus Occamensis Anglus antesignani.* Secundò Scotum esse ex Scotiâ nostra demonstrat locus natalium: fuit enim locus natalium ipsius Duns oppidum Marchiæ haud ignobile. Dicant qui contra sentiunt, an Duns oppidum in Anglia, aut Irlandia vllum? non opinor dicent, cùm nullum tale extet. Tertiò & euidenter, nam Antonius Andreas Aragonius doctor dulcifluus, vulgò dictus sui institutoris Symmista obseruantissimus & discipulus longè amantissimus, quique duodecim tantùm annis post eum defunctus proditur, sic habet in commentariis in duodecimum Metaphysicæ in fine, *Tam sentiendo, quàm notando locutus sum doctrinam illius subtilissimi & excellentissimi Doctoris, cuius fama & memoria in benedictione est, quippe suâ sacrâ & profunda doctrinâ totum orbem adimpleuit, & facit resonare scilicet Magister Ioannes Duns, qui fuit natione Scotus, religione minor.* Ex quo loco habeo à Scoti discipulo fuisse Scotum ex Scotia oriundum: videamus iam quænam fuerit Scoti æuo Scotia: Ipsemet sit iudex, in secundo enim sententiarum distinctione 14. quæstione 3. agens de causa tardioris & celerioris fluxus maris ita loquitur, *Maria quantò propinquiora sunt Oceano, tanto citius fluunt, sicut mare Septentrionale, præcipuè mare inter*

Noruegiam & Scotiam & inter Hiberniam & Hispaniam: maria autem distantia tardius. Ex quo loco habes Scoti temporibus distingui Hiberniam Irlandicam à Scotia, & Scotiam illam esse quæ hodie Britanniæ est pars inter quam & Noruegiam mare intercedit, & consequenter Scotum ex nostra Scotiâ esse; Hiberniam verò esse illam inter quam & Hispaniam aliud intercedit mare.

Aduersa cum Dempstero diluo, & primùm ab Anglorum rationibus ordior. Primùm in Angliâ scripsit, & opus suum inscripsit, *Scriptum Oxouiense.*

Secundò Scotus non à patriâ, sed ab obscuritate nominatus.

Tertiò socius fuit Collegij Mertonensis Oxouiæ.

Quartò illustrissimus Robertus S. R. E. Cardinalis Bellarminus id disertè asseruit, quæ quàm sint ridicula ordine aperiam.

Primò, si subtili Doctori cognomentum fuit Scotus non à patriâ, sed ab obscuritate & discant linguæ Græcę imperitissimi, cur Scotus veriꝰ quàm Scotinus vocatus? Certè enim Scotos tenebræ sunt, non tenebricosus scotinos appellatum est apud Grammaticos, vnde inter Philosophiæ vetustioris mystas hoc nomine notatus Heraclitus apud L. Anneium Senecam & alios. Nec parum iniurius genti nostræ Sixtus Senensis, vt omittam summam in Scoto lucem & differendi facilitatem esse, quam tot egregij scriptores tam anxiè extulerint, & solis iis obscurus est qui hæc adyta irrumpere non meruerunt.

Secundò, Tam exigui momenti est hoc argumentum Scotum esse Anglum, quia in Angliâ scripserit, vt refutatione non egeat. Sic enim & Diuꝰ Augustinus Thuscus esset, quia libros de ciuitate Dei prope Pisas in rupe cauâ in montibus Diui Iuliani vulgauerit, & libros de Trinitate ad ciuitatem, barbarè veterem, olim portum Traiani ediderit. sic Raimundus Lullius Pisanus foret, quia artem magnam ibi loci elucubrauit, & beatus Bernardus Scotus Patriarcha, Antiochenus haberetur, quia res in Oriente à Ducibus Christianis gloriosè gestas ibidem emisit, & sanctus Donatus Scotus Fesularum Antistes Fesulanus, & sanctus Columbanus Scotus Bobij conditor Insuber diceretur, quia opera ibi locorum scripserunt. Deinde quis iuratus testis Scotus persuadebit titulum illum alienâ manu post authoris excessum, non additum? rarò enim authores ipsi nomina sua, multò minus loca, operibus præfixerunt: hoc præstabant opere librarij, & scriptores, qui literas minio notabant, & cornua addebant, vmbilicis decorabant, pumice perpoliebant, nonne Angli inepti haberentur, & à doctis explodendi si sic nos do-

si sic nos docerent, sanctus Augustinus Italus Benedictinus Angliæ Apostolus, & Iacobus Scotiæ Rex captiuus in Anglia scripserunt, ergo sint Angli? Denique Scotus hac ratione Gallis assereretur, nam postremis in Magistrum sententiarum curis hic titulus in antiquissimis codicibus præfigitur, *In Magistrum sententiarum reportationes Parisienses*. Si modestè & Christianè Angli nobiscum agere vellent, sic gloriarentur, Ioannes Duns natione Scotus diu discendo, docendo, scribendo Oxoniam nostram illustrauit: quo nomine & ipsius memoriam cum laude prosequimur, & Scotiæ Doctorum, sanctorumque virorum parenti & altrici gratias agimus.

Tertiò Mertonensis Collegij socium fuisse, nec Angli nisi ex membranis suis M. SS. nos docent, nec ille ipse, nec quisquam alius coæuus asseruit, posset ergo fides non visorum monimentorum iure negari, refellique. Sed demus sponte ijs, quod probare idoneis testibus haud quaquam possunt: videamus deinde an & Scotus quispiam gente ei collegio adscribi potuerit, aut socius haberi. Ante omnia ego aio monasticæ professionis homines, & religiosarum familiarum alumnos nullius Academiæ legibus teneri, cùm ipsi nec Sæculares nec Clerici reputentur, sed Monachi, qui à Clero secernuntur ex iure ciuili & Synodo Chalcedonensi, sed & sub annum DCCCLXXVII in Synodo Ticinensi apud Aimonis continuatorem, mirum non est si a[illegible] & Clericis priuilegia, alijsque ac longè diuersis ab illis statutis obligentur & viuant. Lex itaque, vt falsò causantur Angli, Academiæ Oxoniensis est, ne quis Exotici sanguinis admittatur, quæ ad sæcularis aut Clericalis conditionis viros se extendit, Monachos non obligat, qui præscripto sacroque superiorum mandato obtemperantes profiteri vbique possunt legibus non violatis. Sic Bononiæ ius Academiarum omnium matris est, idem cum fictitiâ illa Oxoniensis Academiæ institutione, ne quis peregrinus publicè, nisi eminenti loco profiteatur, & tamen V.C.L D.N. Hieronymum Onuphrisium sancti Hieronymi socium, ordinis visitatorem, sanctæ Theologiæ professorem, licet Romanum gente sustineut leges Bononienses, frequentant cum fructu auditores numerosi, & similia vbi regnorum gentiumque exempla. Deinde Dunsij nostri ætas in calamitosum planè sæculum incidit, cùm regno Scotiæ Eduardus inhians, cui à longis tibijs cognomentum, electus inter Brusium & Baliolum de sceptro contendentes arbyter tyrannicè & impiè libertatem tot retrò sæculis inuiolatam ausus est attentare, quod vt facilius exequeretur optimates regni vel pretio pellexit, vel carcere

maceratos compulit, vel bonis mulctandos relegauit, vel morte ipsa aduersantes sibi sustulit, & ne præposteri ad populum vindices essent eruditos quosque in Angliam traduxit, & in his XII. Monachos memorant, è quorum numero qui Scotum posuerunt ne recte sentiunt Annales nostrates omnes, atque Scotum in relegatorum numero reponit Iacobus Ballantynus doctor Sorbonicus in supplemento hystoriæ. Hi igitur Scoti vt mitiùs patriâ carerent, iure Anglicano donati fuere, vt in vitâ Stephani Bruni Anglorum illustriorum scriptor author est.

Quartò Ficta planè & maleuolè ab Anglis huiusmodi decreta supposita, neque nuper cum Banlcanqual & Ransæus alij Scoti Rege iubente in Academias Anglicanas contranitentibus pro virili Anglis, & se talibus defendentibus, etiam scripto exceptionibus quidpiam huius generis ostendere potuerunt, argumento liquido inuidiosum hoc esse commentum, & humanæ societati commercioque literario inimicum, cùm florentior sit Academia aduenarum concursu, eaque de causâ Roma exerto vbere, brachijsque expansis omnes ad se gentes aduocatura depingebatur, vt ex L. Aurelio Symmacho V. L. repetit M. Cassiodorus Senator, nec aliud augustiorem æternæ illius vrbis maiestatem notat quàm quia communis toti mundo patria est, vt à Iurisconsultis obseruatum memini. Esset ergo Anglis honoratius ingenuè quod rerum est vltro profiteri, peregrinis in Academijs suis locum esse quàm inficiari.

Quintò Ælfredus Rex Oxoniæ fundator, tanta tunc barbarie regnũ illud occuparat, vt ciuem suum magistrum sibi futurum non inueniret. Verba sunt Asseris Meneuensis in vitâ Regis illius, & ex eo Samuëlis Purchasij Angli in peregrinatione illa celebri, licet mihi minus probata: oportuit itaque Regem ex Scotiâ Doctorem petere Ioannem Scotum qui postea Sanctorum tabulis adscriptus ad 10. Nouembris, expunctus est albo martyrologij ab illustrissimo Baronio, sed lumen illi à Principe illo purpurato negatum cœli rependerunt ad tumulum eius iugi fulgore radiantes, vt loquitur Rogerus Houedenus in Annalibus, iste est qui Dionisij Hierarchiam Latinè transtulit, ac postea fundauit scholam Oxoniensem, & in cœnobio Malinesburiensi graphijs discipulorum confossus in cœlum martyr euolauit. Hoc ipsi Angli, & qui omnium vltimus scripsit Guillelmus Cambdenus, admittunt: aut ergo inane est quo se tuentur Angli aut magistris suis Scotis ingratissimi hominum sunt Scotos literarum communione arcere, à quibus literas ipsi hausissent.

Sextò, falsum hoc non modo friuolum esse priuilegium ostendam siquidem eam Academiam communem toti Insulæ diu constat, & probat decretum sacrosancti concilij Viennensis, præsente & sedente S. D. N. Clemente V. vt ex tomis Conciliorum generalium liquet, & refertur lib. 5. Clementinar. titulo vn. de Scol. & Magist. quibus professoribus scilicet Chaldaicæ, Hebraicæ, & Arabicæ linguarum. *In curiâ Romana, legentibus per sedem Apostolicam, in studijs verò Parisiensi, per Regem Franciæ, in Oxoniensi Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Vualliæ: in Bononiensi per Italiæ: in Salamanticensi, per Hispaniæ Prælatos, monasteria, capitula, conuentus, Collegia exempta & non exempta, & Ecclesiarum rectores in stipendijs competentibus, & sumptibus volumus prouideri, contributionis onera singulis iuxta facultatum exigentiam imponendo.* Ius ergo in ea Academia Scotis discendi docendique Rege Scotiæ Minerualia constituente.

Septimò denique coniectura est non leuis Scoto Oxoniensis Academiæ iure gauisos ex ipsorum virorum illustrium numero, Pitheus enim quem dixi, Oxonienses scriptores CCCLXXX. enumerat. Cantabrigenses verò nonnisi CX quia quicunque inibi studuissent Angli, Scoti, Hiberni, Vvalli promiscuè in Anglorum nomina transierunt, cū illi auidè sibi eos præripereēt, nostri nō reperēt oscitantes fameq; suę prodigi.

Octauò, quod obiectum illustrissimum Bellarminum Angliæ Scotum donasse, vim sanè apud me & pondus maximum tanti viri & tam bene de Ecclesiâ meriti sortiretur auctoritas, nisi ipse sponte suâ ante sexennium mentem mutasset, & in altera eiusdem operis editione sic simpliciter prodidisset *Ioannes Duns Scotus.*

Profligatis Anglis arma vltricia in Hibernos Irlandicos verto, à quibus minus timendum quod leuioris momenti sint ea quibus honori suo præpostero sanè studio velitantur: qualia sunt tamen illa, si iuuat, Lector accipe.

Primò, Scotus idem ac Hibernus.

II. Duns idem ac Dunensis.

III. Dæmoniacus vocauit illum *Ioannem de Duno.*

IV. Anglicus scriptor id ait.

V Ipse in Metaphysicâ sanctum Patricium Apostolum gentis suæ nominat.

VI. Vtitur voce quadam Hibernica in scriptis suis.

Ego sine felle, & candidè ago. Et primùm ostendant Hiberni vllum scriptorem qui ante triginta annos id asseruerit, & causam vincunt, vnicus quod sciam Mauritius à Portâ Hibernus ante annos LXXX.

frigidè nec fidenter vt nunc sæculi id commentus in expositione super Vniuersalia Scoti. *Nomen* (inquit) *authoris spirituali regeneratione est Ioannes, cuius nomen & omen non deseruit, dicitur verò Duns cognomento, vel potius à loco generationis sic dictus patriâ Scotus, sed vt reor de maiori.* Ecce ille disertè Duns locum Gentilitium facit nec audet Irlandum asseuerare, sed cum cautione, *vt reor*. Verùm apud vllum omnino scriptorem præter M. SS. suorum hominum adhuc viuentium indicent hanc diuisionem Scotiæ in maiorem & minorem, & secundùm eos litem damus. Atque illius quidem gentis illiteratissimi simul, & doctiores (si vnum Fitzimon excipias) fatentur nomen Scotorum quod commune antea Scotis Irlandisque fuisset post excisum pictorum regnum, solis Scotis vt ipsi scurriliter & barbarè loquuntur, Albiensibus aptatum, qui ergo fieri potuit vt Ioannes Duns quingentis totis post deletos Pictos annis natus, si Hibernus fuisset Scoti gentilitium nomen assumpserit. Sed hæc communionis nominis Scotici figmenta plenè refutabimus infra.

Secundò, quod Duns contractè Dunensis sit, ingeniosa omnino est sapientię Irlandicę occultatio, & ô diuite suis arcanis notis Irlandum! ô ineruditos alios omnes vbique rerum viros qui arguta ista mysteria non assequuntur! ô inferiorem longè hieroglificis suis Ægyptum Irlandia! pudeat inscitię suę nostram ętatem, in quâ nullus Tyro Tullius Seneca aut Maro qui notas istas præpetes Irlandiæ immensitatis custodes explicet : denique ô fatum tuum graue Dunum memoriamque illethabilem! cuius contractionem ipsi illi Mystæ Scoto coæui intelligere non valuerunt. Dicam vno verbo Duns pro Dunensi Irlandi obtrudunt, sed nullus mortalium vnquam credidit.

Tertiò, Sacerdos quidam Dæmoniacus exclamauit victus eximiâ Ioannis Duns subtilitate, *Aut Angelus est de Paradiso, aut Ioannes de Duno*, ante omnia Scoti omnes quippiam simile accidisse pernegant, nec Irlandi aliâ id auctoritate probatis quàm quâ reliquas gentis vestræ antiquitates, hoc est fabellis fictis & anilibus traditionibus, Quis rei gestæ aut conflictus illius cum Dæmoniaco author? Traditio, inquies, Irlandica. Sed quis fidem adhibebit? nec Dominicanus ordo sanctitate florens in sui præiudicium tantum flagitij admitter vnquam, nec Franciscani pari merito pollentes cum pietatis iacturá id asserent, nec vllus scriptor è tam multis qui res sęculi illius posteritati commendauit, nec acta vlla priuata aut publica meminere. Et quâ ratione verò Ioannes Duns Romá Parisios viginti quatuor horarum spatio ferri potuit, vt disputationi illi interesset? quod tamen hystoriæ vestræ apocryphæ

caput est & pedes, aut illud omnino confirmandum, aut illud negandum. Sed per me verum sit, nihil moror, quin Dæmoniaci sint verba illa, ego scio cacodæmonem mendaciorum patrem esse. Denique Dunensem esse Scotum non statim Irlandum conuincit, sed Hungarum, Moldauum, aut Bulgarum, nam in Mœsiâ II. oppidum Dunum est celeberrimum, vt nostras ille Scotus scribit: licet corruptè Dunum ab altero Scoto vocetur in Itinerario quod falsò Antonini habetur Augusti: aut certè Ioannes de Duno erit Gallus, est enim Dunum in Carnutensi agro oppidum non ignobile, si credimus sancto Gregorio Turonensi in hystoriâ patriâ. Vides lector quàm malè mendacia cohæreant.

Quartò, Anglici hystorici id firmatur testimonio, sed quis ille? vbi edit? quod nomen authoris? ego vidi historias Anglorum patrio idiomate scriptas ab Hookero, Harisono, Holinshedo, ac Stoo, nec in ijs ea pagina quippiam, nec toto opere alibi extat quod in Hirlandorum cedat cōmodum, aut Scotiæ hac saltem iu re præiudicet. Deinde Anglum scriptorem credibile est non Irlandię Ioannem Duns sed Anglię adiudicasse, & sic ego concipio Ioannes Duns Scotus est Anglus, ergo non Irlandus. Sed si verum fateri volumus, non magis Anglis aut Irlandis in Scotos credendum, quàm Scotis in Anglos & Irlandos scribentibus sine idoneis testibus fidendum, & ideo nulla popularium meorum testimonia huc aduocanda censui, nec Anglorum, Irlandorumque veteri odio suspectorum hostium fidem æstimo, quoties de gentis meæ gloriâ agetur: quare ex solemni formulâ pilam nouam subfortior, iudices reijcio. pag. 457.

Quintò, Ex ipso Doctore subtili, quod deducunt tam verum est, vt inde litem addici parati simus: sic nos illi impugnant. *Ipse Scotus in Metaphysicâ vtitur exemplis sanctorum Patricij & Francisci illius tanquam protectoris gentis, istius religionis suæ.* lib. 7. com. 17.

Malà fide nobis, Dunsio, orbi literatorum imponunt. Primùm, Metaphysica, quam Scotus scripsit, perijt, nec vllibi hodie extat, huius collector & author est Antonius Andręas Aragonius, vt patet disertis ipsius verbis, quæ supra hic à me posita repetantur; sic ergo concludendum foret, *Andræas Aragonius vtitur exemplo sancti Patricij* (qui est protector patriæ suæ, hoc est enim Irlandicorum glossema) *ergo Patricius est Aragonius protector*. Iudica mi Lector: deinde etsi ponatur verum esse exemplum ab ore Scoti ipsius desumptum, quod inficias non eo, quid inde probatur? nam Patricius fuit gente Scotus, vt multis ijsque irre- lib. 12. in fine.

fragabilibus authorum testimonijs deduxi, & nullus Sanctorum aut plura, aut magnificentiora Scotiæ in regno templa Deo sub inuocatione ipsius dedicata habet, Demum Ecclesia oppidi Marchiæ Scoticè Dunsij diuo Patricio est sacrà, vt ex libro notitiarum parechiarum Scotiæ clârum.

Argumentum ab ipso Scoto Irlandi capiunt, qui in quartum sententiarum editionis Venetæ quæ prodijt sub annum MCXV. die XXIII. Aprilis sic vtitur voce *Troanos*, vt appareat inde Hibernum gente esse, quia vocem Hibernam vsurpet. Sed ô tuam fidem Veritas aurea! ibi loci non *Troanus* sed *Trutani* legitur, nec facilè antiquior editio reperitur. Deinde quis ignorat Scotos pœne omnes consueuisse linguam Irlandiçam loqui quando omnes mōtana Scotię inhabitantes prisca Scororum linguâ, quæ verè est Irlandiæ loquantur. Denique idem Scotus eodem loco vtitur voce Gallicâ *Regratiers*, inferendum ergo est, Scotus est Gallus. Imò Nauarrus est, quia vocem Cantabricam, idem ipse alicubi vsurpare voluit; scilicet *Trufa* eodem laudato opere in quartum sententiarum: sed & Italus per me sit quia voce Italica delectatus videtur eodem scripto, videlicet *Briga*. Vnde veriùs argumentari liceat Scotum polyglotton fuisse, quod nostratibus est valde familiare. Iacobus Bonauentura Hepburnus Diui Francisci Pauliani socius LXXII. linguas callebat; Georgius Strachanus, qui adhuc superest, totidem; paucos ex ea gente literatos reperies, qui non plura idiomata exactè calleant: multi sunt societatis IESV patres Scoti, quibus plurimarum linguarum peritia, non tamen illi Hispani, Galli, Itali, Græci, aut Hebræi censentur sed Scoti. *Trufas* etiam aduocatus Aquitanici Fisci Gallus vsurpat libro de recuperatione terræ sanctæ. an ideo ille Italus? putida brobandi ratio.

Denique Scotum esse patet ab odio Anglorum in eum, nam inter veteres Guillelmus Okamus ita ei infensus perhibetur, vt nullum non lapidem mouerit ad eius doctrinam impugnandam, famam eleuandam, quales inter Scotos & Anglos per omnes ferè ætates dissentiones plerasque obseruaui. Inter recentiores Ioannes Casus Oxoniensis damnatæ impietatis furcifer sic stylum in eum exacuit. *Quibus velim addere duos Scotum & Burlæum si elegantulæ huius ætatis aures non offenderem. Sed ferunt Scotum in sepulchro suum ipsius excussisse cerebrum, suæque curiositatis iustam luisse pœam. Quare illum vt spinam, aut vrticam, quæ nuda ingenia pungunt, aut cautius tractandum, aut potius à catalogo veterum delendum esse suadeo.* Quisquamne Scotus de Scoto sic sentiret? aut tam acerbè popu-

laris quispiam de populari suo tam indignè loqueretur? Scoti de illo vt de ciue suo honorificè scribunt; Anglus fatali in nostram gentem odio impiè & ad insaniam lasciuienti calamo proscribit.

9. die. SAnctus Gernadius Episcopus Morauiensis, qui ab ipsa adolescentiâ à turbis secessum ad solitudinem, quò melius studia pietatis coleret ardenter amauit, vnde & prouectior factus in speluncam non procul Elgena se contulit vbi dies traducere in oratione integros, & cœlestibus inhærere cogitationibus cœpit strenuè. Iecisse creditur Gernadius sanctus celeberrimæ Elginensis Ecclesiæ cathedralem, quam iure optimo, si structuræ magnificentiam & laxitatem spectes, præcipuis Europæ Ecclesijs certare dixeris: & vt erat Gernadius sanctus singulari in sanctissimam Trinitatem affectu, sic eandem Ecclesiam sanctæ Trinitati dicatam voluit. De eo Leslæus lib. 5. hystoriæ. Regius in Calendario, Boëtius lib. 10. hystoriæ, & alij.

10. die. SAnctus Ioannes Scotus Martyr, de quo Tritemius Abbas lib. 2. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti, his verbis, *Ioannes Scotus monachus Malmesburiensis in Angliâ, vir doctus ac religiosæ conuersationis, post mortem multis claruit miraculis & signis.* Expunctus est albo Martyrologij ab illustrissimo Cardinali Baronio, sed (vt bene notauit Dempsterus noster in dissertatione de patriâ Ioannis Duns Scoti) lumen illi à Principe illo purpurato negatum cœli rependerunt ad tumulum eius iugi fulgore radiantes teste Rogero Houedeno in suis Annalibus. Et (vt ingenuè fatear) semper miratus sum factum hoc Cardinalis Baronij, nec excusari posse existimo. Quâ enim auctoritate expungere potuit aliquem Sanctorū catalogo, summorū Pontificū auctoritate eidē adscriptū? at sanctū hunc Martyrē adscriptū fuisse testantur plurimi grauissimique scriptores, præsertim Ioannes Leslæus Rossensis Episcopus in hist. lib. 5. *Quem* (inquit) *inter Christi Martyres summi Pontificis auctoritate Rex numerari, & eidem insigne monumentum in eodem cœnobio erigi piè curauit.* Molanus in appendice, *Ioannes* (inquit) *Scotus Martyr transtulit Dionisij Hierarchiam Ecclesiasticam, inter Christi Martyres Pontificum auctoritate postea numeratus.* Videri possunt Ioannes Maior summus Theologus & Doctor Parisiensis, qui in hyst. Scot. libro 3. mortem ipsius comparat morti sancti Fœlicis, Hector Boëtius, & ipse Doctor Parisiensis qui in hist. lib. 10. Martyrem & virum sanctissimum appellat. Martyrologium Gallicum, quod ad hunc diem ita de illo loquitur, *A mesme iour deceda sainct Iean L'Escossois qui fut accablé de coups de plumes & gannifues desquels se seruoient les enfans.* Omitto breuitatis

causâ alios authores recensere. At malè sensit (inquies) de reali præsentiâ Christi in sanctissimo Sacramento; Itane verò? Tu malè eum sensisse asseris? sed qui pobas? Religiosa vsque ad mortem professio contrarium probat: omnes authores citati id pernegant: cum illis Ecclesia semper huc vsque sensit, quæ eius diem festum in hodiernum vsque diem celebrat; sensit etiam & Ecclesiæ caput summus eius Antistes, cuius auctoritate inter Martyres relatum vidimus, sensit denique & ipse Deus qui eius sanctitatem miraculis testatus est teste Tritemio de viris illustribus ordinis sancti Benedicti lib. 3. cap. 212. Vnde ergo factum est (inquies) quod aliqui illum erroris de reali præsentiâ Christi insimulauerint? Respondeo ex eo factum esse, quod Hæretici more suo semper mendaces inuenientes in scriptis huius Martyris sententias aliquas perperam intellectas, in speciem tamen apparentes quibus realem Christi præsentiam oppugnare videbatur, sparserunt proterui pro ipsorum sententiâ stare sanctum Martyrem, eodem planè modo quo impudenter hodie hac eadem in re mentiuntur Caluinistæ asserentes Diuum Augustinum Catholicæ sententiæ aduersari propter verba aliqua eiusdem sancti Doctoris malè intellecta: Hæreticorum autem mendacia non adeo à Catholicis quibusdam nihil de impostura suspicantibus examinata, sed quasi vera credita effecerunt vt aliqui verè illum in ea fuisse sententia existimarent. Addo denique non esse improbabile, quod aliqui sentiunt, Hæreticos nempe librum contra realem Christi præsentiam sub nomine Martyris impressisse, vel certè librum ipsius Martyris hac de re scriptum peruertisse; quod nouum non videbitur consideranti mores Hæreticorum nostri temporis. Vide authores supra citatos qui in Angliam inuitatum dicunt ab Alfredo Anglorum Rege. Sepultus est in sinistro altaris latere, eiusque sepulchro additum sequens Epitaphium.

Clauditur hoc tumulo sanctus Sophista Ioannes,
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro,
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo, meruit, Sancti regnant per sæcula cuncti.

HOc eodem die sanctus Ioannes Scotus Episcopus Magnopolensis & Martyr, qui vt refert Vnion lib. 3. ligni vitæ Rethræ in Vandalia pro confessione Christi fustibus cæsus, deinde per Vandalorum ciuitates ad ludibrium ductus, cùm à confessione nominis Christi deterreri non posset manuum pedumque & capitis abscissione palmam martyrij promeruit: eius martyium ad hunc diem reponitur ab Alberto Abbate

Abbate Stadensi in chronico. De eo præter eundem Albertum vide Vnionem loco citato, Helmoldum in chronico Sclauonum lib. 1. cap. 23. Crantzium in Metrop. lib. 4. & alios.

11. die. SAnctus Bertuinus Abbas Apostolus Gallorum. De eo Sigebertus in chronico ad annum 651. & alij.

12. die. SAnctus Æmilianus Episcopus Fauentinus; qui Domino à puerilibus annis militauit. Eius vitam habet Petrus de Natalibus. Alij eius diem festum ponunt 21. Nouembris.

HOc eodem die celebratur Gandani depositio sancti Leuini, de quo supra egimus. Vide Gazetum in hystoriâ Ecclesiastica Belgij, Regium, Molanum, & alios.

13. die. SAnctus Macarius Episcopus Aberdonensis. Hic animarum verus pastor, nullis inflatus diuitijs, nullo fastu tumidus, sed potius in paupertatis studijs & humilitatis se exercens, gregem Domini singulari modestiâ & charitate regebat. Magno fuit in honore apud Soluatium Scotorum Regem. In eius honorem primaria & Cathedralis Ecclesia Aberdonensis excitata est, quæ ante maximæ eius partis à nefarijs hæreticis demolitionem paucis Europæ Ecclesijs cedebat. De eo vide Leslæum lib. 4. hystoriæ, Regium in Calendario, & alios.

HOc eodem die sanctus Deuinicus Episcopus in Anglia. Vide Adami Regij Calendarium & alios.

HOc eodem etiam die sanctus Chilenus Episcopus & Confessor, de quo Genebrardus in chronico ad annum 628. Auentinus lib. 23. cap. 17. Chronicon Cameracense, Ioannes Maior de gestis Scotorum lib. 2. cap. 7. Tritemius lib. 3. cap. 75. Molanus & alij.

14. die. SAnctus Medanus Episcopus & Confessor. Celebris habetur in Buchania Scotiæ prouincia illo præsertim loco, cui Fillorth nomen, cuius etiam tutelaris habetur. Magno fuit in honore apud Conranum Scotorum Regem, cuius negotijs licet maximè distineretur Medanus sanctus, nihil tamen vnquam (quod solidæ, & non adumbratæ virtutis certissimum est indicium) de studio & conatu proficiendi in virtutibus remittebat, sed sibi potius semper similis eodem pede in via virtutis incedebat, in qua non progredi retrogredi esse sciebat. De eo Regius in Calendario, Leslæus lib. 4. Boëtius libro 9. & alij.

15. die. SAnctus Maclouius siue Machutus Episcopus & Confessor. Hic nobilibus ortus in Scotia parentibus, Comite scilicet de Guincastel & matre Comitissa, cui nomen Darnal, longè nobilior soli-

darum virtutum cumulo euasit., in quibus sub Brandano sancto eos progressus fecit, vt eas inter se copularit, quas difficile fuerit simul iunctas repetire, singularem scilicet prudentiam cum rara simplicitate, morum eximiam grauitatem cum summa lenitate, orationis studium cum charitatis operibus, sui denique in omnibus contemptum cum præclara apud omnes ob vitæ sanctitatem existimatione Vitam ipsius fusè describit Ribadeneira in tomo de vitis Sanctorum. Vide eundem, Regium in Calendario & alios.

16. die. SAnctus Elifius Martyr cum 32. socijs. Fuit hic Dei famulus Crathlinti Regis filius. De eo Cratepolius pag. 52. sanctus Bruno Archiepiscopus Coloniensis, Eisengrenius & alij.

17. die. SAnctus Egbertus, qui patriam parentesque deserens in Irlandiam secessit, ibique Christum prædicauit, De eo Hermannus Contractus ad annum 710. Surius tomo 3. vigesimo quinto Iunij, Madelocensis in vita sancti Adalberti, & alij.

18. die. SAnctus Tergusius Episcopus & Confessor. Magno fuit in honore apud Conranum Regem. De eo Regius in Calendario, & alij.

19. die. SAnctus Egdbertus Abbas Fuldensis. De eo Vnion lib. 3. pag. 414. Leslæus & alij.

20. die. SAnctus Autbodus Abbas, Apostolus Galliarum. De eo Mireus, Tabulæ Lugduni, Clauati, &c.

21. die. SAnctus Columbanus Abbas Luxouij, & Bobij fundator. Vitam habent Surius, Lippeloo & alij. De eo Genebrardus in chronico, Posseuinus in apparatu sacro, Tritemius de scriptoribus Ecclesiasticis, Sigebertus in chronico, Ioannes Maior lib. 2. de gestis Scotorum, Boëtius, Leslæus & alij.

22. die. SAnctus Columbanus Monachus sancti Columbani Abbatis discipulus. Magnæ sanctitatis & innocentiæ vir, quique in in omnibus (ait Vnion) magistri sui sancti Columbani Abbatis vitam & mores studuit imitari. Eiusdem meminit Calendarium quoddam manu scriptum in monasterio sancti Benedicti de Mantua, vt testatur idem Vnion.

23. die. SAnctus Tromberinus Monachus Stremelhalensis, sed postea Episcopus & Confessor in Laudania Scotiæ prouincia celebris. Plurima apud Pictos (quorum Episcopus fuit) strenuè pro Christo gessit. De eo Tritemius libro 4. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti.

14. die. SAnctus Dicibodius. De eo Hildegardis Bingensis Abbatissa, Leslæus, & alii.

25. die. SAnctus Marnochus Episcopus & Confessor. Magna fuit is auctoritate & gratia apud Crathlinthum Scotorum Regem, Magnâ fuit in Cyningamiâ veneratione & sanctitatis fama. De eo Leslæus lib. 3. Regius in Calendario & alij.

26. die. SAnctus Eattanus siue Eatta Abbas Mailrossensis monasterij. De eo Tritemius lib. 3. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti, & alij.

HOc eodem die Echarius sancti Elisij frater. De eo Cratepolius pag. 52. & alij.

27. die. SAnctus Albinus Confessor & Episcopus, qui in Huensi Scotię Insula Diui Columbæ monasterium ingressus sanctitate vitæ & miraculis omnibus præluxit. De eo Tritemius de viris illustribus ordinis sancti Benedicti lib. 4. & alij.

HOc eodem die sancta Oda Virgo & Eugenij sancti Regis Scotiæ filia, tam in Scotiâ quàm in Flandria ob vitæ sanctitatem & miraculorum multitudinem celebris. De ea Molanus in indiculo & in additionibus ad Vsuardum, Constantinus Ghinnius & alii.

28. die. SAnctus Patricianus Episcopus celebris in ea Scotiæ prouincia, cui Sutherlandia nomen. De eo Boëtius lib. 8. & alij.

29. die. SAncta Kenneira, vel Kenneua, vel Kunera sanctæ Vrsulæ socia. De ea Hunterus de fœminis Scotis, hystoria Vrsulana, Regius in Calendario & alii.

30. die SAnctus Tarkinus Episcopus & Confessor. De eo breuiarium Aberdonense, Regius in Calendario, & alii. Celebris habetur in Aberdonensi Diœcesi, vnde non procul Aberdonia insignem Ecclesiam sancto Tarkino dicatam cernere est.

HOc eodem die sanctus Andræas Christi discipulus & Scotię Apostolus, qui & magna religione in hodiernum diem ab ipsis colitur. Vide quæ in principio huius libri diximus dum de profectione Apostolorũ ad varias mundi plagas ad Euangeliũ prædicandũ agerem⁹.

31. die. SAnctus Foillanus Episcopus & Martyr. Fuit hic Fursei & Vltani frater. De eo Molanus in indiculo & alii.

DECEMBER.

1. die. SAncta Dardulacha. Vide Tabulas Frisingenses & alios.

2. die. Sanctus Iunanus Confessor. Apud Kennethum secundum

hoc nomine Scotiæ Regem gratia & auctoritate plurimum valuit. De eo Regius in Calendario & alij.

3. die. SAnctus Malcolmus hoc nomine quartus Scotorum Rex, qui ob Angelicam corporis castitatem quam à tenera ætate Deo consecratam constantissimè coluit, virgo dictus est. Fuit hic Dauidis Regis sanctissimi nepos, Plurimùm vsus est sanctus hic Rex consilio Eduardi Episcopi Aberdonensis tum in multis negociis tum in primis in castitate seruanda. Malcolmo iam maturo ad matrimonium, communi consensu Proceres (qui castitatis votum à Malcolmo emissum ignorabant) in comitiis ab eodem petierunt, vt quoniam iampridem matrimonio esset maturus de nuptiis cogitaret propter commune regni bonum, quibus respondit sanctus Rex se ab eo vsque tempore, quo vitæ suæ rationem inire potuisset continentiam Deo sanctè promisisse: eamque Deo propitio, dum viueret obseruaturum, quod & fecit. De hoc sancto Rege vide Leslæum lib. 6. hystoriæ & alios ex nostris, ex Anglis Neubrigensem lib. 2. hystoriæ cap. 18. vbi ait, hominem fuisse Malcolmum Angelicæ inter homines sinceritatis, eumque tanquam terrenum Angelum, quo dignus non erat mundus, cælestes Angelos rapuisse è mundo. Vide eundem libro primo hystoriæ cap. 25. Duchesne lib. 11. hystoriæ, Sigebertum & alios.

4. die. SAnctus Eloquius Abbas, Apostolus Galliæ Belgicæ. De eo Leslæus & alij.

5. die. SAnctus Amphibalus Culdæus Scotorum syluestrium Apostolus. De eo Boëtius lib. 6. & alij.

6. die. SAnctus Blaithmacus Martyr. De eo Dempsterus & alij.

7. die. Sanctus Gallanus Monachus & Confessor. Celebris habetur in Insula Iona & adiacentibus. De eo Leslæus lib. 4. & alij.

8. die. BEatus Franciscus ordinis sanctæ Trinitatis monachus, Hæreticis irreuerenter & nefariè in monasterium suum Aberdonense irruentibus obstare cupiens, vulneratus, per scalas detractus, donec eliso cerebro animam victimam cœlo reddidit.

9. die. SAnctus Coninanus Abbas Huensis. De eo Vnion & alij, qui tradunt ipsum fuisse Ferguhardi Regis præceptorem.

10. die. SAnctus Anatolius Confessor & Abbas, vir planè Apostolicus. De illo multa apud Bedam habes lib. 3. hystoriæ, & alios. Præfuit Anatolius Abbatis officio in Iona insula.

11. die. SAnctus Coganus. De eo Vnion lib. 3. Fordanus lib. 6. Boëtius lib. 9. & alij.

11. die. SAnctus Canicus. De eo Arnoldus, Vnion lib. 3. Petrus in catalogo, Maurolycus, Galesinus, Martyrologium Romanum. Fundamenta Episcopatus Osseriensis fecit, mutauitque nomen, & Kilkenniam appellauit.

13. die. HOdie cœlestia petiit Ioannes Grayus ex sacra sancti Francisci familia, qui turbatam Hæreticorum furore patriam deserens Bruxellas contendit, vbi Geuziis latè grassantibus ante ipsam Eucharistiam septuagenarius Martyrij palmam pugione confossus mèruit. De eo Sedulius Corol. hyst. Seraphicæ pag. 693. Gonzaga parte prima & alij.

14. die. SAnctus Mimborinus Abbas & Confessor. Gessit officium Abbatis in monasterio Scotorum Coloniæ sancto Martino dicato. De quo Tritemius in hystoria monasterij Hursam ad annum 974. & alij.

15. die. BEatus Ioannes Blak ex præclaro ordine sancti Dominici. Postquam Aberdoniæ plurima pietatis & doctrinæ argumenta exhibuisset, raptus Edimburgum, hæreticos omnes, & in his Apostatam Villoxium superauit, confudit, ad vltimum ab iisdem raptus in publicam plateam, lapidibus obrutus gloriosum vitæ finem sortitus est. Alii eius diem festum reponunt ad septimum Ianuarii.

16. die. SAnctus Beanus Episcopus Murthlacensis Diœcesis, quam annis 32. administrauit ea prudentia, integritate, cæterisque quæ verum animarum pastorem decent virtutibus, vt eum neque honor à sui despectione, neque rerum occupatio externarum à continua cum Deo familiaritate vnquam retardarint. Licet Murthlacensis Diœcesis fuerit Episcopus, quia tamen sedes illa à Dauide Rege translata fuit Aberdonium, Aberdonensis meritò vocatur Episcopus. De hoc sancto vide Romanum martyrologium ad 16. Decembris, Boëtium in libro de Episcopis Aberdonensibus.

17. die. SAnctus Annianus Archidiaconus, Martyr in Bauaria. De eo Dempsterus, & alii.

HOc eodem die Toparcha Ladilandiæ à satanæ ministris ad martyrium petitus, & in mare actus non simplici defunctus est exitu plumbeis glandibus transfossus & demersus Ailzenæ.

18. die. SAnctus Mauerius Episcopus & Confessor. Adolescentulus multum solitariæ vitæ addictus fuit: quo factum vt liberius studiis vacaret: vnde & literis egregiè eruditus, & rerum gerendarum prudentia maturus in Episcopum electus est, in quo munere excelluit,

præsertim populum verbo Dei pascendi vigilantia, & in pauperes liberalitate non vulgari. Celebris habebatur in ea Scotiæ prouincia, cui Baluenia nomen. Vitam hanc cum cœlesti mutauit sub annum Christi 824.

Sanctus Macarius primus Abbas monasterii Scotorum in Germania apud Herbipolim. Fuit Macarius sanctus vir per omnia Deo dilectus, vita & conuersatione sanctissimus, quippe qui ab infantia sua Omnipotentis seruitio mancipatus fuerat. Post aliquod tempus in officio Abbatis prope Herbipolim elapsum acquirendis indulgentiis & reliquiis Sanctorum statuit Romam proficisci. Suscepit sanctum cum ingenti lætitia Pontifex Eugenius nempe tertius. Factum est autem in quadam feria sexta sedente ad mensam summi Pontificis sancto Macario turris Ecclesiæ sancti Iacobi Herbipolensis Aquilonaris impulsu turbinis mota corruit & quasi funditus collapsa fuit: quod cernens vir Dei in spiritu, non considerans ad cuius mensam sederet, cum gemitu exclamauit, Deus parce misellis ne deuotio fidelium pereat, quem manu contingens Pontifex dixit, Quid habes frater? & quare ingemiscis? qui verecundia tactus nihil respondit, Iterum postea interrogatus, turris ruinam monasterii sui tam longè distantis aperuit, & quomodo hoc viderit in spiritu Pontifici reuelauit. Notauerunt horam qui fuerunt præsentes & reuersi Herbipolim omnia sicut dixerat, contigisse inuenerunt. Erat homo in ciuitate Herbipolensi nomine Dudo, qui febrium diuturno langore exhaustus iam prope videbatur moriturus, verùm aquam à sancto Macario benedictam bibens plena deuotione ac fide, mox vt bibit, omnis ab eo infirmitas recessit. Vide Tritemium in chronico monasterii sancti Iacobi Scotorum & alios.

19. die. Sanctus Comogellus Abbas. De eo Martyrologium Anglicanum, & alii.

21. die. Sanctus Ethernanus Abbas & Confessor, sancti Columbæ ex fratre nepos. De eo Leslæus lib. 4. Regius in Calendario, breuiarii Aberdonensis pars hyemalis & alii. Celebris habetur in Buchania prouincia. Episcopum fuisse testatur perantiqua illa ad sanctum Ethernanum oratio.

Deus qui per sanctos tuos quæcunque poscimus benignè concedis, da quæsumus, vt intercedente beato Ethernano Confessore tuo atque Pontifice, quæ iustè postulauerimus apud te misericorditer obtinere valeamus. Per Christum Dominum nostrum.

22. die COnstantinus Rex huius nominis tertius humanævitę odio inflammatus regno se abdicauit, vitamque suam Deo in cœnobio D. Andreæ consecrauit, in quo postea gloriosam mortem confecit. De eo Leslæus lib. 5. hystoriæ, Boëtius lib. 11. Vnion libro 4. & alii.

23. die SAnctus Caranus Episcopus & Confessor. De eo varii.

24. die. Cælestia petiit Thomas Roberthsonus, qui Glascuæ inter ipsa augustissimi consecrati corporis mysteria deprehensus ad forum, vt erat indutus à Barone Bodio raptus vnà cum sacerdotalibus indumentis fidei causa exustus est.

25. die. SAnctus Bathanus Episcopus & Confessor in Scotia vniuersa, sed præsertim in Schetlandia & Thule Insulis celebris. Eius fit mentio in epistola quæ ad Scotos à Ioanne Pontifice scripta fuit sub annum Christi 639. De eo etiam alii.

26. die. SAnctus Mofutacus Confessor. Celebris habebatur in Aberdonensi Diœcesi, extatque non procul à Torrey insignis Ecclesia sancto Mofutaco dicata.

27. die. SAnctus Tuda Episcopus Northumbrorum apud quos post sanctum Colmannum Episcopum egit. Vide de eo Tritemium lib. 4. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti, Goduinum in Episcopis Dunelmensibus.

28. die. BEatus Daniel Carthusianus, demolito pulcherrimo ordinis sui monasterio Perthano, cum prælata cruce hæreticis concionaretur, in flammas coniectus viuus exustus est, sed cùm aliquandiu mediis ignibus facie Angelica colluxisset, longis hastis transfixus, ne simplici quidem martyrio defunctus.

29. die. SAnctus Onanus Sacerdos & Eremita celebris in ea Scotiæ parte, cui The Cars Of Gaurie nomen. De eo Leslæus lib. 5. in Kennetho, Boëtius & alii.

30. die SAnctus Ethbinus, qui in hiberniam ad Christi fidem prædicandam profectus mirabilia ibi apud Barbaros gessit. De eo varii. Eius vitam habes apud Petrum de Natalibus quamuis alio die.

31. die. SAncta Brigida Vigo & Soror sancti Andreæ Archidiaconi. De ea Diacettus in præfatione ad vitas Sanctorum Fesulanorum & alii. Atque hæc breuiter de Sanctis nostris dicta sint.

§ 3.us
DEFENDITVR NOMINATOS SANCTOS FVISSE NATIONE SCOTOS.

Dedimus superiori paragrapgo Sanctorum synopsin quo Scotia nostra (bona aliorum pace dixerim) suo sibi iure vendicat; cum vt illis tantillum saltem habeatur honoris, quantum per temporum iniquitatem licebit, tum vt iuuentus nostra quæ in subsidium patriæ iacentis apud exteros virtutem & idoneas ad eiusmodi facinus disciplinas capescit, illorum intuitu crescat animis maiorem in modum. Nunc hoc paragrapho, quoniam intelligo esse, qui nescio quo prætextu plerisque fraudare nos satagant, atque ex albo nostro eximios aliquos expungere, vt suis fastis transcribant, operæ pretium facturum me putaui, atque ipsi in primis iuuentuti, cuius commodo & saluti laboro, periucundum, si firmamenta è multis pauca attexerem, quibus ea maximè stabiliantur de quibus controuersia est. Qua in re dabo operam vt me quiuis intelligat esse veritatis indagatorem, non gentis meæ importunum propugnatorem. Sanè alienũ est & Christianæ modestiæ minimè consentaneum, cùm de Sanctis eorumque virtutibus scribere quis instituat, non modò contentiosum (quod aiunt) funem trahere, sed texere maledictorum paremias, nec vnum aliquem quocum simultas illi & offensio intercedat, sed gentem vniuersam atro contumeliarum carbone notare & facere vulgi fabulam. Quanquam scriptor eiusmodi non inurit maculam genti, quam malè accipit, sic enim insons æquè ac flagitiosus vapulet, sed suam ipse animi impotentiam prodit, qui longè à Christo Sanctisque diuersus angusto suo animo nescit complecti nisi penates suos, nescit, inquam, blaterando suam Deo & æternitati proteruiam se commendare. Apage effrenem illam & insolentem maledicendi licentiam: id ago sanè, vt solidis rationum momentis veritatem asseram. Sint aliis sarta tecta sua decora, per me licet, dum falcem in alienam messem ne immiserint. Atque vt res de qua disseptatur euadat magis perspicua, docebo primò quando Scoti in Albionem venerint: secundò quo tempore Christi fidem susceperint, quàm in ea retinenda constantes fuerint: 3. quo nomine sit olim appellata Scotia: 4. deniq; num à Christi tẽporibus Hibernia appellata fuerit Scotia: ex his enim aduersarii nostri assumẽdi sibi quod ad nos pertineret ansã acceperũt: sed perperã illos facere sigillati demõstrabo.

QVANDO

QVANDO SCOTI IN ALBIONEM VENERINT.

Scotiam iuxta & Angliam, quam communi vocabulo Britanniam vulgò indigitamus, duobus duntaxat fluminibus discreta regna cæterùm vndique Oceano circumuallata tres præcipuè gentes primùm incoluerunt, Scoti, Britones siue Britanni, & Picti: Et quidem Scotorum antiquam sanè originem ex patrijs scriptorum monimentis hanc esse contendit Hector Boëtius: Gathelum Cecropis primi Atheniensium Regis filium cùm patris imperia detrectaret, & ipsam adeo Macedoniam atque Achaiam vagus obiuisset, collecta iuuenum validâ manu in Ægyptum venisse, seque Moysi expeditionis Æthiopicæ, de quâ Iosephus meminit, cōsortem exhibuisse, Pharaonis filiam Scotam nomine, illius sororem qui mari obrutus fuit, vxorem accepisse, Ægyptiacis exinde plagis territum vnà cum vxore, liberis, & promiscuâ Græcorum Ægyptiorumq; multitudine anno ante Christi aduentum 1556. appulisse in Numidiam, sed inde repulsum transmisisse in eam regionem, quæ postea Portugallia, quasi Gatheli portus dicta est, ibidemque condidisse Bracharam, tùm inito cum Iberis pacto in Galatiam, sic enim modò appellamus, sedes transtulisse, & constituto istic regno suos ab vxore Scotos vocasse, Brigantiam hodie Compostellam exstruxisse. Addit Boëtius misisse ex eo loco Gathelum Coloniā in Hiberniā quæ ab Hiberio illius filio, & Coloniæ duce, nomen acceperit. Eam Insulam iam tùm ab agrestibus & incultis hominibus inhabitatam, quæ inualescentibus quā multitudine, qua potentiâ Scotis & Gathelo Simonem Brechum eiusdem cum illo prosapiæ primum Regem acceperit anno ante Christum natum 695. Ex his Scotorum gentem itidem ante Christi aduentum propagatam anno circiter 562. In Albionis Septentrionalem plagam deuenisse demùm anno 333. accessisse Pictos ac regnum cùm illis partitos fuisse. Verùm Pictis profligatis Scotos vniuersam eam regionem, quam nunc Scotiam dicimus solos obtinuisse. Ex his facilè datur intelligi cum Beda primum gentis nostræ in Albione Renterem authorem facit id de reditu (pulsus enim à Britonibus in Hiberniam fugit multis annis post ea tempora de quibus hic meminimus ac deinde rediens Britones subegit, eo loco quo etiamnum Rhenterdil ab eo appellatur) non de primo aduentu esse intelligendum. Item quod à nonnullis de Fergusio 2. circumfertur primum Scotorum Regem fuisse, id accidisse post eorum reditum in Albionem

lib. 2. Ant. c. 10.

hoc idem de Scotorum origine tradunt Veremundus & B. Turgetus in Scotorū hystoriâ, floruerūt autem anno Chri. MXCVIII. Combusbellus in eadē hist. & alij. & ex Anglis Thomas Valsinga in Opodigmare Neustriæ

postea quam à Pictis Duce Maximo Romano Legato expulsi fuissent.

Equidem Camdenus homo hæreticus quod de Scota Pharaonis filiâ scribitur fabulam reputat, item Scotos in Albionem ante Constantini Magni tempora venisse. Verùm nemini mirum videri debet si primum illud de Scota, quod à maiorib⁹ traditione dũtaxat, accepim⁹ flocci faciat, cũ eius farinę homines ne ipsas quidẽ traditiones diuinas & Ecclesiasticas habent in pretio. Hoc profectò apud sapientes pondus habere debet, quod ab antiquissimis scriptoribus perscriptum passim & euulgatum fuerit, maximè cùm nulla ratio alicuius momenti oppositum euincat. Quâ de re contentiosum funem trahere non est instituti mei: esto penes authores fides. De eo quod asserit Scotos ante Constantini Magni tempora in Albionem non penetrasse, hoc verò mihi cum illo controuersum est. Nemo (inquit) Scotorum nomen ante Constantini Magni tempora in probatis authoribus vel legit, vel eruit. Fecerat quidem Scaliger in notis Propertianis, vbi emendat hunc Senecæ locũ.

Ille Britannos vltra noti littora ponti
Et cæruleos Scuta Brigantes dare Romuleis
Colla catenis iussit, & ipsum noua Romanæ
Iura securis tremere Oceanum, &c.

Legit ille Scoto-Brigantes, ex quo colligit Scotos Senecæ, qui vixit tempore Claudij Cæsaris, non ignotos fuisse: ea lectio hominis nostro sæculo his in rebus eruditissimi non placet, sed profectò ille se tuetur egregiè in suis animaduersionibus in Eusebium & aduersarium suum confutat, neque enim Brigantibus scuta pingere vspiam legimus singulare fuisse, quale quid apud Poëtam legimus,

Et Picti scuta Labici.

Nec sanè vana est Buchanani coniectura hoc loco Scoto-Brigantes à Brigantibus Hispanis atque alijs de industriâ distingui. Adrianus Iunius cùm lectionem communem videret non satis consistere, legit Cute-Brigantas; sed nihilo melius quàm Camdenus ei loco consuluit. nam vt rectè Scaliger de falso modulo syllabæ ad tribunal grammaticum postulatur.

Porro Scotorum nomen ex vetustissimis anthoribus eruit vir hoc sæculo perquàm eruditus Thomas Dempsterus, citat enim hunc locum ex Floro antiquo poëta qui Adriani Cæsaris æuo sic in eum lusit.

Ego volo Cæsar esse
Ambulare per Britannos.
Scoticas pati pruinas.

Plura in hanc rem afferemus infra vbi probabimus Scotos ante Constatini Magni tempora fidem suscepisse.

Concludo cum Iacobo Gordonio Lesmoreo societatis Iesu Theologo 2. tomo Chronologiæ in catalogo Regum Scotiæ ad annum 422. Camdenum hoc nunquam euicturum nec grauissimis scriptoribus à quibus gratis dissentire voluit fidem abrogaturum.

QVO TEMPORE SCOTI FIDEM SVSCEPERINT.

Sanè ab ipsis Apostolis Scotos fidem accepisse Nicephorus luculentè testatur: sic enim de Apostolis loquitur lib. 3. cap. 1. *Alius item extremas Oceani regiones & Insulas Britannicas sortitus est.* Theodoretus verò Nicephoro antiquior de Cur. Græc. olff. lib. 9. *Inter gentes* (inquit) *quæ Romani imperij frenum acceperant non paucæ secundum leges eorum viuere voluerunt, at nostri illi piscatores ac Publicani, sutorque ille noster cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque solum Romanos quique sub Rom. viuerent imperio, sed Schytas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios, & Hermannos, &c.* Et paulò post ait Paulum Apostolum Britannis Christum prædicasse; quod ipsum Venantius Fortunatus Pictauiensis Episcopus, qui anno 560. floruit, Paulique peregrinationes carmine prosequutus est, sanctitate & doctrina celebris de Paulo manifestè docet.

Transijt Oceanum vel quà facit Insula portum,
Quasque Britannus habet terras, quasque vltima Thule.

Porro Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus serm. de Natiuitate Apostolorum disertis verbis asserit inuisisse Paulum Apostolum Britanniam. Idem de B. Petro Bonifacius 8. Papa qui apud Thomam Valsingham in hist. Angl. in Eduardo 1. testatur Scotiam per B. Petri venerandas reliquias non sine supremi dono numinis conuersam fuisse. Quin & sanctum Mansuetum natione Scotum se in discipulum sibi asciuisse apud Scotos & Tullenses (quorum in hodiernũ diẽ tutelaris habetur) testantur, antiquissima est traditio & scribunt non pauci.

Hactenus de primâ Scotiæ conuersione per Apostolos factâ, à quibus tota tamen conuersa non fuit, sed tum primùm cùm Donaldus eius nominis primus Scotiæ Rex à sancto Victore primo Romano Pontifice per Legatos suppliciter petiisset viros doctrinâ & religione insignes, qui se domumque suam Christianis imbuerent præceptis & aquis sa-

lutaribus expiarent. Regis enim exemplo commoti nobiles populiq; certatim Christo nomina dederunt, vt plurimi grauissimique authores testantur, inter alios Cardinalis Bellarminus in Apologiâ pro responsione ad librum Iacobi magnæ Britanniæ Regis, cuius titulus est *Triplici nodo triplex cuneus*, Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum Christi 429. Azorius tom. 2. instit. Moralium parte 2. lib. 11. cap. 5. Sebastianus Veronius in chronico, Bozius lib 8. de signis Ecclesiæ cap. 7. Antonius Posseuinus in bibliothecâ selecta lib. 16. de hystoricis, Genebrardus lib 3. chron. Sanderus lib. 4. de claue Dauid, Spondanus in compendio Annal. Cardinalis Baronij, Franciscus de Rozier tom. 6. stemmatum Lotharingiæ & Barri Ducum, Gualterius in chron. sæculo 5. Petrus Cudsemius in Apologetico pro desperata Caluini causâ, Besciola primâ parte compendij Annal. Cardinalis Baronij, Gretserus in commentario exegetico in serenissimum Iacobum magnæ Britanniæ Regem pag. 38. & pag. 78. Arnoldus Mermannius in Theatro conuersionis Gentium, Michaël ab Isselt in hystoriâ sui temporis, Aubertus Miræus in præfatione lib. quem scripsit de bello Bohemico Ferdinandi secundi Cæsaris, Iacobus Charronius in hystoriâ sua vniuersali pag. 499. Ex nostris Leslæus lib. 3. hyst. Hector Boëtius lib. 6. eiusdem hyst. Guillelmus Chrisolmus in libro contra Ministros Scotiæ, Gordonius tom. 2. chronol. Duræus, Tyrius, Coluillus & alij.

Porro eam quam semel susceperant fidem ita mordicus Scoti tenuerunt, vt octoginta & plures Catholicos Reges regnum illud numeret ab omni hæresis suspicione immunes, eorumque plurimos vel suâ vel liberorum sanctitate illustres. Qua re prouocati duo summi Ecclesiæ Antistites, duos Scotiæ Reges catholicæ fidei protectores nominarunt. Lucius tertius sanctum Guillelmum Regem, Iulius secundus Iacobum eius nominis quartum. Hoc verò admirandum pietatis argumentum est, quod inter Scotiæ Reges inuenti fuerint (præ cæteris Conuallus) qui Christi crucifixi effigiem quocunque pergerent præ se ferri volebant & priusquàm equos conscenderent deuotè cum proceribus exosculabantur: curauerat verò Conuallus hæc verba cruci inscribi, *Gloria Christianorum*. hæc de Regibus summatim. Illud verò de regno vniuersim dici potest non satis fuisse Scotis nostris Christi fidem conseruare nisi & apud exteras gentes eandem summo studio propagarent. Huius rei testes locupletissimi sunt illi ipsi, quos variæ nationes pro Apostolis habent. Verùm quia de hac re superiùs sat multa dicta sunt, vbi de antiquitate religionis apud Scotos egimus, hoc loco tantùm pietatem

Scotorum ex probatis authoribus confirmabimus. Luculentum testimonium est illustrissimi Baronij tom.5. in supplementis ad annum 429. vbi de Scotis nostris loquens hæc habet. *Qui igitur Euangelium primò à Victore Pontifice Maximo accepere, & à Cælestino Papa primum Episcopum à quo sunt omnes penitus redditi Christiani ea tenus Christi gratiâ profecere, vt postea omnium præstantissimi euaserint Christiani, Christianamque fidem summâ diligentiâ excolentes Apostolico munere (vt suo loco dicturi sumus) in exteras gentes longè positas latissimè atque locupletissimè propagarint. Porro eamdem Ecclesiam nobilissimam hoc nostro sæculo Deus tentari permisit, vt Christianæ constantiæ præclarissimum specimen ederet, cùm inter alios Martyres habere etiam meruit (quod nulla hactenus Christiana gens habuit) ipsam Reginam Catholicæ fidei eximium decus & ornamentum, diutissimâ confessione in carcere ante probatam & nobiliori coronâ Martyrij auctam.* Bozius lib. 8. de signis Ecclesiæ cap. 7. enumerans singularia euenta regni Scotiæ, *Secundum* (inquit) *sit Scoticæ nationis admirandum, nulla gens è Borealibus tamdiu perstitit in vnanimi religionis vnius consensu, vt Scotica. Constat ex Annalibus Prosperi anno 434. missum à Cælestino Pontifice Palladium Episcopum ad Scotos, sed adijcit Prosper iam credentes in Christum. Quocirca tradunt in Scotiâ, quæ tunc erat Hibernia Christi cultum disseminatum eodem tempore, quo in Britanniâ sub annum scilicet 203. Victore sedente. Agitur itaque annus Millesimus Tercentesimus & quinquagesimus, ex quo Scoti Christi cultum sunt amplexati, & in eo constantes fuere. At hoc nulli alij genti è Borealibus euenit.* Et paulò post de irruptionibus Danorum in Scotiam agens ita loquitur. *Sit igitur hoc Scotiæ proprium vt nunquam succubuerit barbaricis irruptionibus: & iure, nam hæreticis opinionibus locum nunquam dedit, populo ac Rege Catholicâ sentiente, neque par erat vt barbaris cederet vllo modo.* Et libro 22. de signis Ecclesiæ cap. 3. signo 21. *Christus hoc maximum laudabilissimumque bonum dedit Septentrioni, vt Scotia haberet Reginam Martyrem, Regis filiam, coniugem & matrem, hoc sane bono nullum regnum sese efferre toto orbe potest,* Surius ad 8. Maij in vitâ sancti Vironis. *Scotia fertilis sanctorum virorum insula, & stellarum numerum prope æquans patrocinijs Sanctorum.* Molanus in vitâ sancti Vironis ad 8. Maij. *Produxit hunc virum Scotia fertilis sanctorum virorum Insula.* Gazetus in Eccesiasticâ hystoriâ agens de sancto Virone. *Scotia fertilis sanctorum virorum patria.* Beda lib. 3. cap. 27. charitatem eximiam Scotorum in docendis & erudiendis Anglis describit. *Et erant* (inquit) *ibidem eo tempore multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum qui tempore Finnani & Colmanni Episcoporum (hi erant Scoti ex Scotiâ ad Christum Anglis prædicandum missi) relictâ*

Insulæ patriâ vel diuinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratiâ illò secesserant. siquidem quidam mox se monasticæ conuersationi fideliter mancipauerunt; alij magis circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant, quos omnes Scoti libentissimè suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum & magisterium gratuitum præbere curabant. Et alibi in eadē hystoriâ, *Gens* (inquit) *illa* (de Scoticâ loquitur) *quæ nouerat scientiā diuinæ cognitionis libenter ac sine inuidiâ populis Anglorū communicare curauit.* Et alio loco eiusdem hystoriæ, *Imbuebantur* (inquit) *à præceptoribus Scotis paruuli Anglorum.* Michaël ab Isselt in hystoriâ sui temporis pagina 119, loquens de Reginâ Mariâ hæc habet. *Capitur & ad pœnas poscitur optima potentissimaque Regina, quæ non vi, non dolo malo, sed legitimâ optimè de regno meritorum patrum successione imperium erat adepta. Profligatur itaque sincera, vera & sola saluifica fides, quam Victor ibidem Pontifex Romanus sub annum CCIII. plantauit, quam Cœlestinus Papa anno Domini CCCCLII. à Pelagianis Anglis quibusdam in locis contaminatam, misso Palladio sub Dungardo Rege Scotorum XLII. reformauit, quam ipsi Scoti mille trecentos quinquaginta circiter annos (quod de nullâ gente Septentrionali dici potest) constanter defenderunt, & nouâ nunquam audita, nuper è stygijs paludibus emersa in eius locum intruditur.* Aubertus Miræus vir grauis & doctus in fastis Belgicis & Burgundicis in sancto Vasnulpho ita loquitur. *Non satis fuit Scotis doctrinam Christianam apud Hebridum, Orcadum, aliarumque Insularum vicinarum incolas publicasse, sed suis minimè contenti angustijs apud exteras etiam gentes summo eam studio propagarunt. Huius rei testes sunt sanctus Mansuetus primus Tullensium in Lotharingiâ Episcopus, sanctus Rumoldus Machlinensium Patronus, sanctus Colmannus Martyr, sanctus Vasnulphus & alij innumerabiles. Idem testantur plurima Scotorum olim per Germaniam monasteria, in his Ratisbonense sancti Iacobi in vrbe, & alterum Ratisbonense sancti Petri extra muros vrbis, Erfodiense sancti Iacobi &c.* Petrus Cudsemius in Apologetico pro tractatu de desperata Caluini causâ sic loquitur. *Scotia quæ Angliæ contigua est & vnam cum ea Insulam nomine Magnam Britanniam facit, Reges circiter nonaginta magna Dei benedictione per annos 1300. & amplius sibi inuicem succedentes à Donaldo primo Scotorum Principe Christiano, qui à sancto Victore Papâ & Martyre in fidem Christi baptizatus est anno Christi 197. vsque ad Iacobum sextum hodie Magnæ Britanniæ Regem, qui tamen & ipse prouidâ matris Catholicæ, & sanctæ Martyris Mariæ cura, Catholicè baptizatus est, sed hæreticè à præfectis & præceptoribus institutus fuit, Apostolicam religionem Romanæ Ecclesiæ constanter & mordicus tenuerunt. Inter quos sanctitatis & martyrij gloriâ splendet sanctus Rumoldus Dauidis*

Scotiæ Regis filius, Mechliniensis in Brabantiâ Apostolus, & primus Episcopus, &c. Middendorpius lib. 8. Academiarum, cùm de Culdæis patribus Scotis egisset, subijcit. *Quorum discipuli Kentigernus, Columbus, Patricius, Sernanus, Ternanus, Aidanus & alij multi tantos progressus in Christiana fide fecere vt subsequenti ætate Scoticis Monachis nihil sanctius, nihil eruditius fuerit, & in vniuersam Europam sanctissimorum virorum examina emiserunt, quibus Fulda Germaniæ, sanctus Gallus Heluetiæ, aliæque vrbes & monasteria originem debent suam.*

QVIBVS NOMINIBVS FVERIT OLIM SCOTIA APPELLATA.

SCotiam nostram olim nominibus Caledoniæ, Albionis, similibusque insignitam fuisse nemo est qui dubitet, olim tamen Scotiam appellatam negant Capgranius Anglus, Geraldus Cambrensis, Canellus, Roirk, Fizimon, Stanihustus, & alij Hiberni, solam Irlandiam suam ita nominatam fuisse contendentes. Hi tamen inter se non conueniunt quamdiu ipsorum Irlandia fuerit appellata Scotia. Fizimon in suo catalogo Sanctorum Hibernicorum ita appellatam vult vsque ad annum Christi 1000. & amplius, & in epistola ad librum contra Riderum existimat tempore sancti Bernardi adhuc ita vocatam. Donatus Roirk in sua Hiberniâ resurgente vult illud nomen retinuisse solum vsque ad extinctionem Pictici Principatus, quo exciso partem illam Britanniæ, quæ nunc Scotia vocatur incœpisse hoc pacto appellari. Alij alia, & consentientia non dicunt.

Verùm hęc omnia falsa sunt nullaque ratione cum veritate consistere possunt, & sanè discordia ipsorum aduersariorum de tempore manifestè ostendit falsitatem sententiæ ipsorum. Nos ex authoribus primò ostendemus Scotiam nostram à Christi temporibus ita appellatam, deinde probabimus fuisse etiam appellatam Hiberniam. Incipiamus à primo. Sæculo 13 Irlandiam non fuisse appellatam Scotiam, sed eam Britanniæ partem, quam iam Scotiam appellamus, patet manifestè ex Capgranio, qui eodem sæculo vel paulò post floruit, quique ipsorum sententiæ patrocinatur, qui in vitâ sancti Columbani ita loquitur. *Beatus Columbanus in Hiberniâ Insula in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat ortus est. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta est.* Vides hìc ex Capgranio Hiberniam siue Irlandiam non suo tempore, sed olim iuxta ipsius sententiam ita fuisse appellatam. A Capgranio pergamus ad

Richardum de sancto Victore, qui floruit eodem quo sanctus Bernardus tempore. Is ergo lib. 3. excep. cap. 7. de Insulis agens expresse distinguit Hiberniam Irlandicam, siue Irlandiam à Scotiâ atq; si Irlandia siue ipsorum Hibernia fuit tunc appellata Scotia non ita fecisset, audiamus ipsum loquentem. *In Oceano Septentrionali ab Oriente in Occidentem, Insula Phaneliorum, Albatia, Hiperborea. &c. Orcades, Tile, Scotia, Britannia, Hibernia &c.* Quid clarius? distinguit hic Angliam à Britonibus Britanniam appellatam, Scotiam, Hiberniam seu Irlandiam secundùm propria ipsorum nomina. Post Richardum de sancto Victore vti possumus contra aduersarios testimonio Giraldi Cambrensis qui quamuis in ipsorum sit sententiâ, Irlandiam nempe olim appellatam Scotiam, tamen vt fatetur Stanihustus Hibernus in annotationibus suis in caput 17. eiusdem Giraldi expresse vult tantùm olim ita appellatam. Vixit autem Giraldus teste eodem Stanihusto in vita sancti Patricij, circa annum salutis 1176. A Giraldo pergamus ad Sigebertum, qui obijt anno Christi 1112. hic in chronico ad annum Christi 394. de sancto Patricio ita loquitur. *Sanctus Patricius Scotus in Hiberniâ cum suis sororibus venditur, vbi cùm esset Regis portarius Angeli alloquio sæpe fruitur.* Quid clarius à quopiam dici potuit? Homo Gallus secernit Scotum ab Hiberno Irlando, & Scotiam ab Hibernia Irlandica. Post Sigebertum accedat Beda qui clarissimè ostendit Scotiam nostram hoc nomine dum ipse viueret appellatam: libro enim 3. hystoriæ cap. 3. ita loquitur. *Misit* (nempe Osuualdus Rex) *ad maiores natu Scotorum inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his qui secum erant militibus consequutus erat, petens vt sibi mitteretur Antistes cuius doctrina & ministerio gens, quam regebat Anglorum dominicæ fidei dona disceret & susciperet sacramenta. Neque aliquantò tardius quod periit impetrauit. Accepit namque Pontificem Aidanum summæ Mansuetudinis & pietatis ac moderaminis virum.* Et paulò post *Exinde* [inquit] *cœpere plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam atque illis Anglorum prouinciis, quibus regnauit Osuualdus magna deuotione verbum Dei prædicare.* Ex hoc loco clarissimè habemus nostros Bedæ temporibus Scotos vocatos. Ait enim Beda misisse Osuualdum ad maiores natu Scotorum & exinde cœpisse plures de Scotorum regione in Britanniam, hoc est terram Britonum, vel Angliam ad Christum prædicandum venire, atque Osuualdus non misit ad Hibernos Irlandicos, sed ad nostros; nostri igitur non Hiberni Irlandici ab ipso Scoti vocantur: non misisse autem Osuualdum ad Hibernos Irlandicos clarum est; nam ab illis ad quos misit, habuit sanctum Aidanum, sed

Aidanum

Aidanum sanctum non habuit ab Hibernis Irlandicis, sed à nostris vt ex ipso Beda euidens est: ait enim, *Monachi erant qui ad prædicandum venerant, Monachus ipse Aidanus, vt pote Insulæ quæ dicitur Hoy destinatus, cuius monasterium in cunctis penè Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monasterijs non paruo tempore arcem tenebat.* Vides Bedam asserere Aidanum sanctum missum fuisse ex Insulâ Hoy, quæ Hebribum vna est, alio nomine Iona appellata adhuc vna cum aliis Hebridibus sub Scotorum imperio manens, vt bene testatur Ioannes Camertis in enarrationibus suis in Solinum, vbi de Hebridibus agens, *Hæ omnes Insulæ* (inquit) *Scotiæ Christianissimo Regi subesse dicuntur.* Nec tantum fuit Insula Hoy sub Scotorum imperio, verùm etiam 48. Regum sepultura insignis; constat namque vsque ad Malcolmi tertij tempora, Scotorum Regum funera sumptuosissimo apparatu in hanc Insulam atratis classibus deducta fuisse. Accedit quod Beda ait monasterium Insulæ Hoy, ex quo profectus est Aidanus in cunctis pene Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monasterijs non paruo tempore arcem tenuisse; Pictos verò cohabitasse Scotis duntaxat, qui in eâ Britanniæ parte quæ nunc Scotia, omnium vox vna. Denique hæc Bedæ verba de nostra Scotia dicta intellexerunt illustrissimus Cardinalis Baronius tomo 8. ad annum 634. Arnoldus Mermannius in theatro conuersionis Gentium, Polydorus Virgilius libro 4. Sigebertus in chronico ad annum 651. Hermannus Contractus in chronico ad annum 651. Nicolaus Harpsfeldius Anglus in hystoriâ sua Ecclesiastica Anglicanâ, mendacissima alioquin & apertis falsitatibus plena. Ex nostris Ioannes Maior libro 2. de gestis Scotorum capite 10. Ioannes Leslæus lib. 4. hystoriæ Scoticæ, Hector Boëtius lib. 9. eiusdem hystoriæ. Secundò nostros fuisse vocatos Scotos tempore Bedæ clarissimum redditur ex capite primo libri primi hystoriæ Anglicanæ eiusdem Bedæ, vbi hæc habet, *Hæc* (nempe Britannia) *in præsenti iuxta numerum librorum quibus lex diuina scripta est, quinque gentium linguis vnam candemque summæ veritatis & veræ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione scripturarum cæteris omnibus est facta communis.* Vides hic Bedam populum aliquem in Britannia suo tempore ponere, eumque Scoticum appellari. Confirmatur hoc idem, nam paulò post explicans Beda, vnde hæ quatuor nationes in Britanniam venerint, ait Britones de tractu Armoricano; Pictos de Scythiâ; Scotos verò duce Reuda (intellige de reditu ipsorum in Scotiam) de Hibernia egressos & ferro sibimet in Britannia

sedes vendicasse. *Procedente tempore* (inquit Beda) *Britannia post Britones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit, qui duce Reuda de Hibernia egressi, vel amicitia vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent vindicarunt.* Alia loca clarissima breuitatis causa omitto, neque hæc nisi quorundam pertinacia vel potius ignorantia me coegisset, attulissem.

Anno etiam Christi 596. Scotos nostros ita fuisse nuncupatos luce clarius est ex sancto Isidoro Hispalensi Episcopo qui hoc tempore factus est Hispalensis Episcopus; is ergo 14. originum cap 6. agens de Insulis hæc habet, *Scotia eadem & Hibernia proxima Britanniæ Insula, spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior: hæc ab Africa in Boream porrigitur, cuius partes priores in Iberiam & Cantabricum Oceanum intendunt, vnde & Hibernia dicta est. Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata.* Ex hoc testimonio duo colligo. Primum Scotiam nostram appellatam fuisse Hiberniam, quod paulò post fusè ostendam Secundum ipsum existimare ita appellatam, quod in Hiberniam siue Hiberiam & Cantabricum Oceanum partes eius priores intendant. Tertium fuisse nationem aliquam Scoticam ipsius tempore distinctam ab Hibernica Irlandica: nam patriam huius nationis Scoticæ vult appellari Hiberniam, eo quod in Hiberniam partes eius priores intendant: Et verò ita intellexit sanctum Isidorum Vincentius in speculo historiali lib. 1. cap. 75. vbi sanctum Isidorum citat, verbaque ipsius citata affert: Vincentij verba sunt hæc, *Scotia eadem & Hibernia proxima Britanniæ Insula, spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior, hæc ab Africâ in Boream porrigitur, cuius partes priores in Hiberniam & Cantabricum Oceanum intendunt, vnde & Hibernia dicta est: Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata.* Ecce ipsa sancti Isidori verba nullo prorsus mutato præter Iberiam in Hiberniam claritatis causa & ad æquiuocationem tollendam, quæ erat in voce Iberiæ, vt pote communi Hispaniæ & Irlandiæ. Aduerte diligenter verba illa *partes priores intendunt*, quia nempe Hebrides ex vna parte respiciunt Cantabriam, ex alia Hiberniam Irlandicam: hæc autem verba nulla ratione de Irlandia intelligi possunt. Ex his habemus 596. Scotos nostros ita fuisse nuncupatos, probandum mihi nunc est tempore Adriani Cæsaris ita appellatos; hoc autem non minus clarum est ex Floro Poëta qui in eum ita lusit,

Ego volo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scoticas pati pruinas.

Vides in Britannia Scoticas pruinas. Tempore etiam Claudij Cæsaris ita appellatos constat ex loco Senecæ superius citato.

Ille Britannos vltra noti littora ponti
Et cæruleos Scoto-Brigantes dare Romuleis
Colla catenis iussit, & ipsum noua Romanæ
Iura securis tremere Oceanum.

Sed quia superius de hoc loco satis multa dixi non est quod in præsenti pluribus eum expendam. Ex his satis probatum manet Scotiam nostram olim hoc pacto nominatam. Videndum iam est fueritne Scotia nostra olim vocata Hibernia. Clarissimum est fuisse, primò ex loco paulò ante citato ex Isidoro & Vincentio. 2. ex Beda, qui rem ita claram reddit vt omnem dubitationem tollat, nam libro 4. suæ hystoriæ agens de Egfrido Northumbrorum Rege exercituque ipsius Duce Berto in Scotiam contra Scotos misso ita loquitur vt aliquando Scotiam aliquando Hiberniam nominet. *Anno* (ait Beda lib. 4. cap. 26.) *Dominicæ Incarnationis* 684. *Egfridus Northumbrorum Rex, misso in Hiberniam cum exercitu Duce Berto, vastauit miserè gentem innoxiam & nationi Anglorum semper amicissimam* (siquidem Egfridi pater Osuus Rex, & Patrui omnes Osuualdus qui & postea martyr, Vanfredus & Osuuik & Ebba auita perhumaniter ab Eugenio Scotorum Rege excepti & fidem Catholicam edocti fuere) *ita vt nec Ecclesijs quidem aut monasterijs manus parceret hostilis, & anno post hunc proximo idem Rex cùm temerè exercitum ad vastandam Pictorum prouinciam duxisset, multùm prohibentibus amicis, & maximè beatæ memoriæ Cuthberto, qui nuper fuerat ordinatus Episcopus, introductus est* (*simulantibus fugam hostibus*] *in angustias inaccessorum montium, & cum maxima parte copiarum, quas secum adduxerat, extinctus, anno ætatis suæ* 40. *Regni autem* 15. *die* 13. *calendarum Iuniarum. Et quidem, vt dixi, prohibuerunt amici ne hoc bellum iniret, sed quomodo anno præcedente noluerat audire Reuerendissimum Patrem Egbertum, ne Scotiam nihil se lædentem impugnaret, datum est illi ex pœna peccati illius ne nunc eos qui ipsum ab interitu reuocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore spes cœpit & virtus Anglorum fluere ac retro sublapsa referri. Nam & Picti terram possessionis suæ: quam tenuerunt Angli, & Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt.* Vides hic Bedam aliquando patriam nostram Hiberniam, aliquando Scotiam appellare. Quod verò illa Scotia quam Hiberniæ nomine indigitat, sit nostra pars, nam post mortem Egfridi Northumbrorum Regis ait gentem Scoticam quam ille vexauerat libertatem recepisse. Illa autem quæ recepit libertatem fuit Sco-

tica gens quæ erat in Britannia, nam verba Bedæ sunt, *Et Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt.* Ex quo loco pariter colliges id quod supra probauimus tempore Bedæ nostram gentem tunc Scoticam appellari consueuisse. Denique Scotiam nostram hic appellari Hiberniam existimauit Illustrissimus Cardinalis Baronius tomo 8. ad annum Christi 684. his verbis, *Vocat author* (nempe Beda) *Scotiam Hiberniam.* Vide Ioannem Leslæum Episcopum Rossensem lib. 4. hystoriæ Scoticæ, Boëtium lib. 9. eiusdem hystoriæ in Eugenio Buchananum lib. 5. qui referunt Egfridum Northumbriæ Regem anno Christi 684. dissuadentibus amicis & præcipuè Egberto sancto coniunctis sibi Pictorum copijs Scotiam ingressum & Eugenium Scotorum Regem hoc nomine quintum bello aggressum. Verùm cessantibus in pugna Pictis ab Eugenio superatum Egfridum, & amissis ad 20. millia Saxonibus, saucium cum paucis euasisse. Proximo autem anno æquè dissuadentibus amicis in Scotos & Pictos præcipuè duxit exercitum, sed ab ijs fugam simulantibus in insidias tractus Egfridus Rex cum suis omnibus interimitur. Atque hic sit secundus ex Beda locus longè clarissimus quem de nostra Scotia, vt vidimus, intelligunt Baronius, Boëtius, Leslæus, & alij, ipsaque Bedę verba manifestè euincunt.

Tertiò, idem facilè ostęnditur ex vita sancti Columbæ Scoti ante mille annos à sancto Adamanno Scoto conscripta, & habetur apud Henricum Canisium tom. 5. ant. lect. Loquens igitur Adamannus sanctus de sancto Columba ait, *Alio itidem tempore sanctus in Iona conuersans Insula repentè inter legendum summo, cum ingenti admiratione, gemitu ingemuit mæsto, quod videns qui præsens erat, Lugbens cœpit ab eo percontari subiti causam mæroris, cui sanctus valde mæstificatus hanc dedit responsionem, Duo quidem nunc Regij generis viri in Scotia mutuis inter se vulneribus transfixi disperierunt, haud procul à monasterio quod dicitur Cellarois, in prouincia Magdoenorum* (alij legunt Magdonallorum] *& octaua dehinc peracta hebdomada, vltra fretum aliquis clamitabit, qui de Hibernia veniens hæc taliter facta enarrabit. Sed hoc ô filiole, quamdiu vixero nemini indices, &c.* audis quam prius Scotiam vocauerat Hiberniam postea appellare. At quæ quæso regio Adamanno sancto est Scotia? Est illa cuius Rex erat Aidanus, quique precibus sancti Columbæ (quamuis amissis in prælio duobus filijs] contra Brudeum Pictorum & Ethelfredum Anglorum Reges præclaram obtinuit victoriam. Illa in qua post Aidanum Regem regnauit Eugenius eius filius, vt illi sanctus Columba prædixit.

In tempore alio [inquit sanctus Adamannus in eadem vita] *hoc est post multos annorum transcursus, cùm esset vir sanctus in Iona Insula, subitò dicit ad suum ministratorem, Cloccam pulsa: cuius sonitu fratres incitati ad Ecclesiam ipso sancto præsule præeunte ocyus currunt, ad quos ibidem flexis genibus dixit, nunc intentè pro hoc populo & Aidano Rege Dominum oremus, hac enim hora ineunt bellum* (Brudeus scilicet Pictorum Rex & Ethelfredus Anglorum in Aidanum Scotorum Regem conspirarant) *& post modicum interuallum egressus oratorium respiciens in cælum inquit, Nunc Barbari in fugam vertuntur, Aidanoque licet infœlici* (Duos quippe filios Arthurum & Dunganum in hoc prælio amisit) *tamen concessa est victoria. Sed & de numero de exercitu Aidani interfectorum trecentorum & trium virorum vir beatus prophetice narrauit. Alio quoque tempore ante supradictum bellũ sanctus Aidanum Regem Scotum interrogabat de regni successore. Illo respondente, nescire quis esset de tribus filijs regnaturus: sanctus consequenter hoc modo profatur nullus ex his tribus erit regnaturus; nam in bello cadent ab inimicis trucidandi. Sed nunc si alios iuniores habeas, ad me veniant, & quem ex eis elegerit Dominus Regem, subitò in meum irruet gremium. Quibus accitis secundum verbum sancti Eugenius* [*vitiosè Euchodius*) *adueniens in sinu eius recubuit: statimque sanctus eum osculatus benedixit, & ad patrem ait, : hic erit superstes & Rex post te regnaturus &c.* Vides Aidanum Scotiæ Regem : vides Eugenium eius filium post ipsum regnaturum: At cuius Scotiæ Rex Aidanus? cui Scotiæ præfuit postea Eugenius eius filius? omnium vna vox in Scotia nostra hęc facta sunt, & ignorantes docebunt hystorici nostri præsertim Leslæus Episcopus lib. 4. hyst. in Aidano, Boëtius lib. 9. hystoriæ, Maior & alij. Multa similia loca quæ ex vita sancti Columbæ deduci possunt breuitatis causa omitto, tantùm monitum volo lectorem ex eis manifestè haberi plurimos ex nostris sanctis, quos Irlandi suos esse volunt. ex nostra Scotia esse.

Quartus locus quo ad hoc idem probandum vtor, est ex martyrologio Romano, quod ad 16. Decembris ita de sancto Beano Episcopo loquitur, *Aberdone in Hibernia sancti Beani Episcopi.* Quæro hic ab aduersarijs vbinam sit Aberdonia vel Aberdo Episcopalis sedes? in Irlandiane an in Scotia nostra? in Irlandia esse, ni fallor, non dicent, clarum enim est nullam talem Episcopalem sedem in Irlandia nec esse nec fuisse. At in Scotia nostra extat celebris & antiqua ciuitas Aberdonia nuncupata supra Donam fluuium sita Episcopali sede & vniuersitate nobilis, cuius ciuitatis primum Episcopum fuisse sanctum Beanum scimus, qui præfuit sedi Episcopali Murthlacensi postea Aberdo-

niam translata. Dicent fortassis Irlandi illum non fuisse Episcopum Aberdoniæ. Respondeo falsum omnino hoc esse: nàm vt bene aduertit Molanus ad 16. diem Decembris Martyrologij Archiepiscopi Adonis, fuit sanctus Beanus primus Episcopus Aberdonensis & Confessor. Ex quo colliges patriam in qua est Aberdonia vocari Hiberniam. Secundò illum fuisse primum Episcopum Aberdonensem asserit Cardinalis Baronius in annotationibus suis ad martyrologium Romanum. *Fuit hic* (nempe Beanus sanctus) *Episcopus Aberdonensis.* Omitto de industria nostros hystoricos.

Quinto loco hoc idem testatur manifestè Tritemius, qui ostendit Hebridas Insulas (quod valde contta Irlandos ad soluenda multa quæ ab ijs obijci solent, notandum est, aliquando vocatas fuisse Scotiam aliquando Hiberniam: nam libro de scriptoribus Ecclesiasticis de sancto Adamanno Scoto agens ita loquitur, *Adamannus præsbyter & Abbas monasterij Huensis quod sanctus Columbanus quondam construxit in Insula Scotiæ.* Videsne velle Tritemium monasterium Hnense quod erat in Insula Huy siue Iona, esse in Insula Scotiæ: audi iam eumdem Tritemium lib. 4. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti capite 137. de sancto Aidano Scoto loquentem. *Aidanus*, inquit, *monachus cœnobij Huensis in Hibernia.* Quod antea in Scotia Hebridum nempe vna dixit esse iam in Hibernia collocat.

Sexto loco idem constat ex Bozio lib. 8. de signis Ecclesiæ cap. 7. vbi enumerans singularia euenta Scotiæ nostræ ita loquitur. *Secundum*, inquit, *sit Scoticæ nationis admirandum, nulla gens è Borealibus tamdiu perstitit in vnanimi religionis consensu vt Scotica: constat ex Annalibus Prosperi anno 434. missum à Cælestino Pontifice Palladium Episcopum ad Scotos, sed adijcit Prosper, iam credentes in Christum. Quocirca tradunt in Scotia quæ tunc erat Hibernia, Christi cultum disseminatum eodem tempore quo in Britannia.* Vides hic Scotiam nostram eo tempore quo fidem amplexa est, fuisse Hiberniam, & appellatam fuisse Hiberniam. nihil clarius.

Septimo loco idem testatur antiquus ille author vitæ sancti Kiliani Martyris apud Surium tomo 4. *Sanctus Kilianus*, inquit, *è Scotorum genere nobilibus ortus parentibus diuinę gratię factus est nobilitate clarissimus. Scotia quę & Hibernia dicitur, Insula est maris Oceani, fœcunda quidem glebis sed viris sanctissimis clarior: è quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Francia nobilitatur.* Quid clarius? hic Scotiam ex qua fuit Kilianus sanctus vult dici etiam Hiberniam. At ex qua precor, Scotia fuit Kilianus? ex illa, inquit Posseuinus in apparatu sacro,

cuius Monachis Scotis ob eius memoriam monasterium fuit erectum Herbipoli: verba Posseuini sunt hæc. *Kilianus Scotus Monachus & Martyr scripsit contra peregrinos cultus, passus est anno 689. 8. idus Iulij. Beda in Martyrologio. Is Herbipolensium Episcopus ad Mœnum fluuium Christi Domini fidem prædicans mortem subijt: ob cuius memoriam fundatum fuit pro gente Scotorum monasterium.* Ex illa Scotia fuit Kilianus, cuius Monachis ipse Herbipolensis Episcopus Embricho in gratiam Kiliani Martyris monasterium erexit & redditibus ditauit, vt idem Embricho in literis fundationis eiusdem testatur apud Tritemium in chronico monasterij sancti Iacobi Scotorum his verbis. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Embricho Dei gratia Vuirseburgensis Ecclesiæ Episcopus. Ratio diuinitus nobis creditæ dispensationis expostulabat omnibus nostræ speculationis præsidio ex debito suæ conditionis amplectentibus nos pro studio respondere, ac summa prouidentia ne in posterum à sui iuris statu fortè declinare contingat prouidere. Ad notitiam tam præsentium quàm futurorum Christi fidelium volumus peruenire, qualiter nos in primis, tum Dei intuitu tum pro Reuerentia pretiosi Martyris Kiliani Scotos collegerimus.* Vides hic Episcopum in gratiam Kiliani Martyris Scotos colligere. At quos quæso collegit? quibus erexit monasterium? nobis certè, qui adhuc illud possidemus, nobis extra quos non solùm nullus eidem præfici potuit, sed nec in eodem admitti, vt clarè testantur literæ Alexandri sexti Pontificis Maximi de reformatione eiusdem monasterij ad Laurentium Episcopum Herbipolensem his verbis. *Venerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus quod in monasterio sancti Iacobi Maioris Scotorum ordinis sancti Benedicti tuæ Diæcesis, non longè ab arce tua Herbipoli constituto à primæua ipsius monasterij fundatione solum Monachi Scoti recipi possint &c.* Nobis quibus, cùm ob penuriam Monachorum Scotorum Germanis fuisset traditum, restitutum fuit, teste Busæo loco citando ab illustrissimo Principe ac Domino D. Iulio Herbipolensi Episcopo anno M.D.XCV. Vide Tritemium loco citato, Ioannem Busæum in opera pia Tritemij, vbi hæc quæ diximus vera esse testatur. Vide præterea Ioannem Maiorem de gestis Scotorum lib. 2. Aubertum Miræum in orig. Benedict. & alios. Quod de monasterio Herbipolensi dictum est idem omnino de alijs Scotorum monasterijs in Germania dicendum est. In particulari autem de monasterio Viennensi idem dicendum esse constat ex literis summi Pontificis Vrbani Octaui nunc regnantis olim Scotiæ nostræ dignissimi ac optimi Protectoris ad Ferdinandum Cæsarem nunc etiam regnantem de restitutione eiusdem monasterij his verbis,

Insula patriâ vel diuinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratiâ illo secesserant: siquidem quidam mox se monasticæ conuersationi fideliter mancipauerunt; alij magis circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant, quos omnes Scoti libentißimè suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum & magisterium gratuitum præbere curabant. Et alibi in eadē hystoriâ, *Gens* (inquit] *illa* (de Scoticâ loquitur) *quæ nouerat scientiā diuinæ cognitionis libenter ac sine inuidiâ populis Anglorū communicare curauit.* Et alio loco eiusdem hystoriæ, *Imbuebantur* (inquit] *à præceptoribus Scotis paruuli Anglorum.* Michaël ab Isselt in hystoriâ sui temporis pagina 119, loquens de Reginâ Mariâ hæc habet. *Capitur & ad pœnas poscitur optima potentißimaque Regina, quæ non vi, non dolo malo, sed legitimâ optimè de regno meritorum patrum successione imperium erat adepta. Profligatur itaque sincera, vera & sola saluifica fides, quam Victor ibidem Pontifex Romanus sub annum CCIII. plantauit, quam Cœlestinus Papa anno Domini CCCCLII. à Pelagianis Anglis quibusdam In locis contaminatam, misso Palladio sub Dungardo Rege Scotorum XLII. reformauit, quam ipsi Scoti mille trecentos quinquaginta circiter annos (quod de nullâ gente Septentrionali dici potest) constanter defenderunt, & nouâ nunquam audita, nuper è stygijs paludibus emersa in eius locum intruditur.* Aubertus Miræus vir grauis & doctus in fastis Belgicis & Burgundicis in sancto Vasnulpho ita loquitur. *Non satis fuit Scotis doctrinam Christianam apud Hebridum, Orcadum, aliarumque Insularum vicinarum incolas publicasse, sed suis minimè contenti angustijs apud exteras etiam gentes summo eam studio propagarunt. Huius rei testes sunt sanctus Mansuetus primus Tullensium in Lotharingiâ Episcopus, sanctus Rumoldus Machlinensium Patronus, sanctus Colmannus Martyr, sanctus Vasnulphus & alij innumerabiles. Idem testantur plurima Scotorum olim per Germaniam monasteria, in his Ratisbonense sancti Iacobi in vrbe, & alterum Ratisbonense sancti Petri extra muros vrbis, Erfodiense sancti Iacobi &c.* Petrus Cudsemius in Apologetico pro tractatu de desperata Caluini causâ sic loquitur. *Scotia quæ Angliæ contigua est & vnam cum ea Insulam nomine Magnam Britanniam facit, Reges circiter nonaginta magna Dei benedictione per annos 1300. & amplius sibi inuicem succedentes à Donaldo primo Scotorum Principe Christiano, qui à sancto Victore Papâ & Martyre in fidem Christi baptizatus est anno Christi 197. vsque ad Iacobum sextum hodie Magnæ Britanniæ Regem, qui tamen & ipse prouidâ matris Catholicæ, & sanctæ Martyris Mariæ cura, Catholicè baptizatus est, sed hæreticè à præfectis & præceptoribus institutus fuit, Apostolicam religionem Romanæ Ecclesiæ constanter & mordicus tenuerunt. Inter quos sanctitate & martyrij gloriâ splendet sanctus Rumoldus Dauidis*

Scotiæ Regis filius, Mechliniensis in Brabantiâ Apostolus, & primus Episcopus, &c. Middendorpius lib. 8. Academiarum, cùm de Culdæis patribus Scotis egisset, subijcit. *Quorum discipuli Kentigernus, Columbus, Patricius, Sernanus, Ternanus, Aidanus & alij multi tantos progressus in Christiana fide fecere vt subsequenti ætate Scoticis Monachis nihil sanctius, nihil eruditius fuerit, & in vniuersam Europam sanctissimorum virorum examina emiserunt, quibus Fulda Germaniæ, sanctus Gallus Heluetiæ, aliæque vrbes & monasteria originem debent suam.*

QVIBVS NOMINIBVS FVERIT OLIM SCOTIA APPELLATA.

SCotiam nostram olim nominibus Caledoniæ, Albionis, similibusque insignitam fuisse nemo est qui dubitet, olim tamen Scotiam appellatam negant Capgranius Anglus, Geraldus Cambrensis, Canellus, Roirk, Fizimon, Stanihustus, & alij Hiberni, solam Irlandiam suam ita nominatam fuisse contendentes. Hi tamen inter se non conueniunt quamdiu ipsorum Irlandia fuerit appellata Scotia. Fizimon in suo catalogo Sanctorum Hibernicorum ita appellatam vult vsque ad annum Christi 1000. & amplius, & in epistola ad librum contra Riderum existimat tempore sancti Bernardi adhuc ita vocatam. Donatus Roirk in sua Hiberniâ resurgente vult illud nomen retinuisse solum vsque ad extinctionem Pictici Principatus, quo exciso partem illam Britanniæ, quæ nunc Scotia vocatur incœpisse hoc pacto appellari. Alij alia, & consentientia non dicunt.

Verùm hęc omnia falsa sunt nullaque ratione cum veritate consistere possunt, & sanè discordia ipsorum aduersariorum de tempore manifestè ostendit falsitatem sententiæ ipsorum. Nos ex authoribus primò ostendemus Scotiam nostram à Christi temporibus ita appellatam, deinde probabimus fuisse etiam appellatam Hiberniam. Incipiamus à primo. Sæculo 13 Irlandiam non fuisse appellatam Scotiam, sed eam Britanniæ partem, quam iam Scotiam appellamus, patet manifestè ex Capgranio, qui eodem sæculo vel paulò post floruit, quique ipsorum sententiæ patrocinatur, qui in vitâ sancti Columbani ita loquitur. *Beatus Columbanus in Hiberniâ Insula in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat ortus est. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta est.* Vides hic ex Capgranio Hiberniam siue Irlandiam non suo tempore, sed olim iuxta ipsius sententiam ita fuisse appellatam. A Capgranio pergamus ad

Richardum de sancto Victore, qui floruit eodem quo sanctus Bernardus tempore. Is ergo lib. 3. excep. cap. 7. de Insulis agens expresse distinguit Hiberniam Irlandicam, siue Irlandiam à Scotiâ atq; si Irlandia siue ipsorum Hibernia fuit tunc appellata Scotia non ita fecisset, audiamus ipsum loquentem. *In Oceano Septentrionali ab Oriente in Occidentem, Insula Phaneliorum, Albatia, Hiperborea. &c. Orcades, Tile, Scotia, Britannia, Hibernia &c.* Quid clarius? distinguit hic Angliam à Britonibus Britanniam appellatam, Scotiam, Hiberniam seu Irlandiam secundùm propria ipsorum nomina. Post Richardum de sancto Victore vti possumus contra aduersarios testimonio Giraldi Cambrensis qui quamuis in ipsorum sit sententiâ, Irlandiam nempe olim appellatam Scotiam, tamen vt fatetur Stanihustus Hibernus in annotationibus suis in caput 17. eiusdem Giraldi expresè vult tantùm olim ita appellatam. Vixit autem Giraldus teste eodem Stanihusto in vita sancti Patricij, circa annum salutis 1176. A Giraldo pergamus ad Sigebertum, qui obijt anno Christi 1112. hic in chronico ad annum Christi 394. de sancto Patricio ita loquitur. *Sanctus Patricius Scotus in Hiberniâ cum suis sororibus venditur, vbi cùm esset Regis portarius Angeli alloquio sæpe fruitur.* Quid clarius à quopiam dici potuit? Homo Gallus secernit Scotum ab Hiberno Irlando, & Scotiam ab Hibernia Irlandica. Post Sigebertum accedat Beda qui clarissimè ostendit Scotiam nostram hoc nomine dum ipse viueret appellatam: libro enim 3. hystoriæ cap. 3. ita loquitur. *Misit* (nempe Osuualdus Rex) *ad maiores natu Scotorum inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his qui secum erant militibus consequutus erat, petens vt sibi mitteretur Antistes cuius doctrina & ministerio gens, quam regebat Anglorum dominicæ fidei dona disceret & susciperet sacramenta. Neque aliquantò tardius quod petijt impetrauit. Accepit namque Pontificem Aidanum summæ Mansuetudinis & pietatis ac moderaminis virum.* Et paulò post *Exinde* [inquit] *cœpere plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam atque illis Anglorum prouincijs, quibus regnauit Osuualdus magna deuotione verbum Dei prædicare.* Ex hoc loco clarissimè habemus nostros Bedæ temporibus Scotos vocatos. Ait enim Beda misisse Osuualdum ad maiores natu Scotorum & exinde cœpisse plures de Scotorum regione in Britanniam, hoc est terram Britonum, vel Angliam ad Christum prædicandum venire, atque Osuualdus non misit ad Hibernos Irlandicos, sed ad nostros; nostri igitur non Hiberni Irlandici ab ipso Scoti vocantur: non misisse autem Osuualdum ad Hibernos Irlandicos clarum est; nam ab illis ad quos misit, habuit sanctum Aidanum, sed

Aidanum

Aidanum sanctum non habuit ab Hibernis Irlandicis, sed à nostris vt ex ipso Beda euidens est: ait enim, *Monachi erant qui ad prædicandum venerant, Monachus ipse Aidanus, vt pote Insulæ quæ dicitur Hoy destinatus, cuius monasterium in cunctis pænè Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monasteriis non paruo tempore arcem tenebat.* Vides Bedam asserere Aidanum sanctum missum fuisse ex Insulâ Hoy, quæ Hebribum vna est, alio nomine Iona appellata adhuc vna cum aliis Hebridibus sub Scotorum imperio manens, vt bene testatur Ioannes Camertis in enarrationibus suis in Solinum, vbi de Hebridibus agens, *Hæ omnes Insulæ* (inquit) *Scotiæ Christianissimo Regi subesse dicuntur.* Nec tantum fuit Insula Hoy sub Scotorum imperio, verùm etiam 48. Regum sepultura insignis; constat namque vsque ad Malcolmi tertij tempora, Scotorum Regum funera sumptuosissimo apparatu in hanc Insulam atratis classibus deducta fuisse. Accedit quod Beda ait monasterium Insulæ Hoy, ex quo profectus est Aidanus in cunctis pene Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monasterijs non paruo tempore arcem tenuisse; Pictos verò cohabitasse Scotis duntaxat, qui in eâ Britanniæ parte quæ nunc Scotia, omnium vox vna. Denique hæc Bedæ verba de nostra Scotia dicta intellexerunt illustrissimus Cardinalis Baronius tomo 8. ad annum 634. Arnoldus Mermannius in theatro conuersionis Gentium, Polydorus Virgilius libro 4. Sigebertus in chronico ad annum 651. Hermannus Contractus in chronico ad annum 651. Nicolaus Harpsfeldius Anglus in hystoriâ sua Ecclesiastica Anglicanâ, mendacissima alioquin & apertis falsitatibus plena. Ex nostris Ioannes Maior libro 2. de gestis Scotorum capite 10. Ioannes Leslæus lib. 4. hystoriæ Scoticæ, Hector Boëtius lib. 9. eiusdem hystoriæ. Secundò nostros fuisse vocatos Scotos tempore Bedæ clarissimum redditur ex capite primo libri primi hystoriæ Anglicanæ eiusdem Bedæ, vbi hæc habet, *Hæc* (nempe Britannia) *in præsenti iuxta numerum librorum quibus lex diuina scripta est, quinque gentium linguis vnam eandemque summæ veritatis & veræ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione scripturarum cæteris omnibus est facta communis.* Vides hic Bedam populum aliquem in Britannia suo tempore ponere, eumque Scoticum appellari. Confirmatur hoc idem, nam paulò post explicans Beda, vnde hæ quatuor nationes in Britanniam venerint, ait Britones de tractu Armoricano; Pictos de Scythiâ; Scotos verò duce Reuda (intellige de reditu ipsorum in Scotiam) de Hibernia egressos & ferro sibimet in Britannia

sedes vendicasse. *Procedente tempore* (inquit Beda) *Britannia post Britones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit, qui duce Reuda de Hibernia egressi, vel amicitia vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent vindicarunt.* Alia loca clarissima breuitatis causa omitto, neque hæc nisi quorundam pertinacia vel potius ignorantia me coegisset, attulissem.

Anno etiam Christi 596. Scotos nostros ita fuisse nuncupatos luce clarius est ex sancto Isidoro Hispalensi Episcopo qui hoc tempore fact⁹ est Hispalensis Episcopus; is ergo 14. originum cap 6. agens de Insulis hæc habet, *Scotia eadem & Hibernia proxima Britanniæ Insula, spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior: hæc ab Africa in Boream porrigitur, cuius partes priores in Iberiam & Cantabricum Oceanum intendunt, vnde & Hibernia dicta est. Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata.* Ex hoc testimonio duo colligo. Primum Scotiam nostram appellatam fuisse Hiberniam, quod paulò post fusè ostendam Secundum ipsum existimare ita appellatam, quod in Hiberniam siue Hiberiam & Cantabricum Oceanum partes eius priores intendant. Tertium fuisse nationem aliquam Scoticam ipsius tempore distinctam ab Hibernica Irlandica: nam patriam huius nationis Scoticæ vult appellari Hiberniam, eo quod in Hiberniam partes eius priores intendant: Et verò ita intellexit sanctum Isidorum Vincentius in speculo historiali lib. 1. cap. 75. vbi sanctum Isidorum citat, verbaque ipsius citata affert: Vincentij verba sunt hæc, *Scotia eadem & Hibernia proxima Britanniæ Insula, spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior, hæc ab Africâ in Boream porrigitur, cuius partes priores in Hiberniam & Cantabricum Oceanum intendunt, vnde & Hibernia dicta est: Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata.* Ecce ipsa sancti Isidori verba nullo prorsus mutato præter Iberiam in Hiberniam claritatis causa & ad æquiuocationem tollendam, quæ erat in voce Iberiæ, vt pote communi Hispaniæ & Irlandiæ. Aduerte diligenter verba illa *partes priores intendunt*, quia nempe Hebrides ex vna parte respiciunt Cantabriam, ex alia Hiberniam Irlandicam: hæc autem verba nulla ratione de Irlandia intelligi possunt. Ex his habemus 596. Scotos nostros ita fuisse nuncupatos, probandum mihi nunc est tempore Adriani Cæsaris ita appellatos; hoc autem non minus clarum est ex Floro Poëta qui in eum ita lusit,

Ego volo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scoticas pati pruinas.

Vides in Britannia Scoticas pruinas. Tempore etiam Claudij Cæsaris ita appellatos constat ex loco Senecæ superius citato.

Ille Britannos vltra noti littora ponti
Et cæruleos Scoto-Brigantes dare Romuleis
Colla catenis iussit, & ipsum noua Romanæ
Iura securis tremere Oceanum.

Sed quia superius de hoc loco satis multa dixi non est quod in præsenti pluribus eum expendam. Ex his satis probatum manet Scotiam nostram olim hoc pacto nominatam. Videndum iam est fueritne Scotia nostra olim vocata Hibernia. Clarissimum est fuisse, primò ex loco paulò ante citato ex Isidoro & Vincentio. 2. ex Beda, qui rem ita claram reddit vt omnem dubitationem tollat, nam libro 4. suæ hystoriæ agens de Egfrido Northumbrorum Rege exercituque ipsius Duce Berto in Scotiam contra Scotos misso ita loquitur vt aliquando Scotiam aliquando Hiberniam nominet. *Anno* (ait Beda lib. 4. cap. 26.) *Dominicæ Incarnationis 684. Egfridus Northumbrorum Rex, misso in Hiberniam cum exercitu Duce Berto, vastauit miserè gentem innoxiam & nationi Anglorum semper amicissimam* (siquidem Egfridi pater Osuus Rex, & Patrui omnes Osuualdus qui & postea martyr, Vanfredus & Osuuik & Ebba auita perhumaniter ab Eugenio Scotorum Rege excepti & fidem Catholicam edocti fuere) *ita vt nec Ecclesijs quidem aut monasterijs manus parceret hostilis, & anno post hunc proximo idem Rex cùm temerè exercitum ad vastandam Pictorum prouinciam duxisset, multùm prohibentibus amicis, & maximè beatæ memoriæ Cuthberto, qui nuper fuerat ordinatus Episcopus, introductus est* (*simulantibus fugam hostibus*) *in angustias inaccessorum montium, & cum maxima parte copiarum, quas secum adduxerat, extinctus, anno ætatis suæ 40. Regni autem 15. die 13. calendarum Iuniarum. Et quidem, vt dixi, prohibuerunt amici ne hoc bellum iniret, sed quomodo anno præcedente noluerat audire Reuerendissimum Patrem Egbertum, ne Scotiam nihil se lædentem impugnaret, datum est illi ex pœna peccati illius ne nunc eos qui ipsum ab interitu reuocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore spes cœpit & virtus Anglorum fluere ac retro sublapsa referri. Nam & Picti terram possessionis suæ: quam tenuerunt Angli, & Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt.* Vides hic Bedam aliquando patriam nostram Hiberniam, aliquando Scotiam appellare. Quod verò illa Scotia quam Hiberniæ nomine indigitat, sit nostra pars, nam post mortem Egfridi Northumbrorum Regis ait gentem Scoticam quam ille vexauerat libertatem recepisse. Illa autem quæ recepit libertatem fuit Sco-

tica gens quæ erat in Britannia, nam verba Bedæ sunt, *Et Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt.* Ex quo loco pariter colliges id quod supra probauimus tempore Bedæ nostram gentem tunc Scoticam appellari consueuisse. Denique Scotiam nostram hic appellari Hiberniam existimauit Illustrissimus Cardinalis Baronius tomo 8. ad annum Christi 684. his verbis, *Vocat author* (nempe Beda) *Scotiam Hiberniam.* Vide Ioannem Leslæum Episcopum Rossensem lib. 4. hystoriæ Scoticæ, Boëtium lib. 9. eiusdem hystoriæ in Eugenio Buchananum lib. 5. qui referunt Egfridum Northumbriæ Regem anno Christi 684. dissuadentibus amicis & præcipuè Egberto sancto coniunctis sibi Pictorum copijs Scotiam ingressum & Eugenium Scotorum Regem hoc nomine quintum bello aggressum. Verùm cessantibus in pugna Pictis ab Eugenio superatum Egfridum, & amissis ad 20. millia Saxonibus, saucium cum paucis euasisse. Proximo autem anno æquè dissuadentibus amicis in Scotos & Pictos præcipuè duxit exercitum, sed ab ijs fugam simulantibus in insidias tractus Egfridus Rex cum suis omnibus interimitur. Atque hic sit secundus ex Beda locus longè clarissimus quem de nostra Scotia, vt vidimus, intelligunt Baronius, Boëtius, Leslæus, & alij, ipsaque Bedę verba manifestè euincunt.

Tertiò, idem facilè ostenditur ex vita sancti Columbæ Scoti ante mille annos à sancto Adamanno Scoto conscripta, & habetur apud Henricum Canisium tom. 5. ant. lect. Loquens igitur Adamannus sanctus de sancto Columba ait, *Alio itidem tempore sanctus in Iona conuersans Insula repentè inter legendum summo, cum ingenti admiratione, gemitu ingemuit mæsto, quod videns qui præsens erat, Lugbens cæpit ab eo percontari subiti causam mæroris, cui sanctus valde mæstificatus hanc dedit responsionem, Duo quidem nunc Regij generis viri in Scotia mutuis inter se vulneribus transfixi disperierunt, haud procul à monasterio quod dicitur Cellarois, in prouincia Magdoenorum* (alij legunt Magdonallorum] *& octaua dehinc peracta hebdomada, vltra fretum aliquis clamitabit, qui de Hibernia veniens hæc taliter facta enarrabit. Sed hoc ô filiole, quamdiu vixero nemini indices, &c.* audis quam prius Scotiam vocauerat Hiberniam postea appellare. At quæ quæso regio Adamanno sancto est Scotia? Est illa cuius Rex erat Aidanus, quique precibus sancti Columbæ (quamuis amissis in prælio duobus filijs] contra Brudeum Pictorum & Ethelfredum Anglorum Reges præclaram obtinuit victoriam. Illa in qua post Aidanum Regem regnauit Eugenius eius filius, vt illi sanctus Columba prædixit.

In tempore alio [inquit sanctus Adamannus in eadem vita] *hoc est post multos annorum transcursus, cùm esset vir sanctus in Iona Insula, subitò dicit ad suum ministratorem, Cloccam pulsa: cuius sonitu fratres incitati ad Ecclesiam ipso sancto præsule praeeunte ocyus currunt, ad quos ibidem flexis genibus dixit, nunc intentè pro hoc populo & Aidano Rege Dominum oremus, hac enim hora ineunt bellum* (Brudeus scilicet Pictorum Rex & Ethelfredus Anglorum in Aidanum Scotorum Regem conspirarant) *& post modicum internallum egressus oratorium respiciens in cœlum inquit, Nunc Barbari in fugam vertuntur, Aidanoque licet infœlici* (Duos quippe filios Arthurum & Dunganum in hoc prælio amisit) *tamen concessa est victoria. Sed & de numero de exercitu Aidani interfectorum trecentorum & trium virorum vir beatus prophetice narrauit. Alio quoque tempore ante supradictum bellū sanctus Aidanum Regem Scotum interrogabat de regni successore. Illo respondente, nescire quis esset de tribus filijs regnaturus: sanctus consequenter hoc modo profatur nullus ex his tribus erit regnaturus; nam in bello cadent ab inimicis trucidandi. Sed nunc si alios iuniores habeas, ad me veniant, & quem ex eis elegerit Dominus Regem, subitò in meum irruet gremium. Quibus accitis secundum verbum sancti Eugenius* [*vitiosè Euchodius*] *adueniens in sinu eius recubuit: statimque sanctus eum osculatus benedixit, & ad patrem ait,: hic erit superstes & Rex post te regnaturus &c.* Vides Aidanum Scotiæ Regem: vides Eugenium eius filium post ipsum regnaturum: At cuius Scotiæ Rex Aidanus? cui Scotiæ præfuit postea Eugenius eius filius? omnium vna vox in Scotia nostra hęc facta sunt, & ignorantes docebunt hystorici nostri præsertim Lesłæus Episcopus lib. 4. hyst. in Aidano, Boëtius lib. 9. hystoriæ, Maior & alij. Multa similia loca quæ ex vita sancti Columbæ deduci possunt breuitatis causa omitto, tantùm monitum volo lectorem ex eis manifestè haberi plurimos ex nostris sanctis, quos Irlandi suos esse volunt. ex nostra Scotia esse.

Quartus locus quo ad hoc idem probandum vtor, est ex martyrologio Romano, quod ad 16. Decembris ita de sancto Beano Episcopo loquitur, *Aberdone in Hibernia sancti Beani Episcopi.* Quæro hic ab aduersarijs vbinam sit Aberdonia vel Aberdo Episcopalis sedes? in Irlandiane an in Scotia nostra? in Irlandia esse, ni fallor, non dicent, clarum enim est nullam talem Episcopalem sedem in Irlandia nec esse nec fuisse. At in Scotia nostra extat celebris & antiqua ciuitas Aberdonia nuncupata supra Donam fluuium sita Episcopali sede & vniuersitate nobilis, cuius ciuitatis primum Episcopum fuisse sanctum Beanum scimus, qui præfuit sedi Episcopali Murthlacensi postea Aberdo-

cuius Monachis Scotis ob eius memoriam monasterium fuit erectum Herbipoli: verba Posseuini sunt hæc. *Kilianus Scotus Monachus & Martyr scripsit contra peregrinos cultus, passus est anno 689. 8. idus Iulij. Beda in Martyrologio. Is Herbipolensium Episcopus ad Mœnum fluuium Christi Domini fidem prædicans mortem subyt: ob cuius memoriam fundatum fuit pro gente Scotorum monasterium.* Ex illa Scotia fuit Kilianus, cuius Monachis ipse Herbipolensis Episcopus Embricho in gratiam Kiliani Martyris monasterium erexit & redditibus ditauit, vt idem Embricho in literis fundationis eiusdem testatur apud Tritemium in chronico monasterij sancti Iacobi Scotorum his verbis. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Embricho Dei gratia Vuirseburgensis Ecclesiæ Episcopus. Ratio diuinitus nobis creditę dispensationis expostulabat omnibus nostræ speculationis præsidia ex debito suæ conditionis amplectentibus nos pro studio respondere, ac summa prouidentia ne in posterum à sui iuris statu fortè declinare contingat prouidere. Ad notitiam tam præsentium quàm futurorum Christi fidelium volumus peruenire, qualiter nos in primis, tum Dei intuitu tum pro Reuerentia pretiosi Martyris Kiliani Scotos collegerimus.* Vides hic Episcopum in gratiam Kiliani Martyris Scotos colligere. At quos quæso collegit? quibus erexit monasterium? nobis certè, qui adhuc illud possidemus, nobis extra quos non solùm nullus eidem præfici potuit, sed nec in eodem admitti, vt clarè testantur literæ Alexandri sexti Pontificis Maximi de reformatione eiusdem monasterij ad Laurentium Episcopum Herbipolensem his verbis. *Venerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus quod in monasterio sancti Iacobi Maioris Scotorum ordinis sancti Benedicti tuæ Diœcesis, non longè ab arce tua Herbipoli constituto à primæua ipsius monasterij fundatione solum Monachi Scoti recipi possint &c.* Nobis quibus, cùm ob penuriam Monachorum Scotorum Germanis fuisset traditum, restitutum fuit, teste Busæo loco citando ab illustrissimo Principe ac Domino D. Iulio Herbipolensi Episcopo anno M.D.XCV. Vide Tritemium loco citato, Ioannem Busæum in opera pia Tritemij, vbi hæc quæ diximus vera esse testatur. Vide præterea Ioannem Maiorem de gestis Scotorum lib. 2. Aubertum Miræum in orig. Benedict. & alios. Quod de monasterio Herbipolensi dictum est idem omnino de alijs Scotorum monasterijs in Germania dicendum est. In particulari autem de monasterio Viennensi idem dicendum esse constat ex literis summi Pontificis Vrbani Octaui nunc regnantis olim Scotiæ nostræ dignissimi ac optimi Protectoris ad Ferdinandum Cæsarem nunc etiam regnantem de restitutione eiusdem monasterij his verbis.

Charissime in Christo fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Scoticanæ nationis, par est nos in Pontificatu, & dignitate fauere, & rationibus consulere, qui illius patrocinium in Cardinalatu suscepimus. Ad id enim nos hortatur & iustitiæ lex, & commiserationis affectus. Non desunt Scotis, qui à Catholica religione desciscere noluerunt, assiduæ periculorum minæ in patria in qua perinde atque in exilio delitescere coguntur, cùm identidem Hæreticorum crudelitatem sanguine, & auaritiam patrimonijs expleant. Quare patiendum non est, quę exteris in prouincijs bona possident de eorum possessione illos cuiuspiam vi deturbari. Iure ergo conqueruntur Viennense monasterium, quod Benedictinis Scotis tantummodo patere debet, à Germanis in præsentia occupari. Nos autem eorum calamitatem miserantes hortamur Maiestatem tuam, det operam, vt quamprimùm Scoticanum illud cœnobium Scotis Monachis restituatur. Neque enim deerunt in ea gente religiosi sacerdotes, qui pro diuini nominis gloria in monasticæ disciplinæ restitutione in ea statione excubent. Negotium hoc differendi nuntio nostro fidem habere poterit Maiestas tua cui Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum 22. April. 1624. Pontificat. nostri anno 1.

Multa alia loca ad hoc idem probandum afferre possem ex Molano, Bozio, Tritemio, Mariano Scoto, & aliis, præsertim Beda, qui libro 4. hyst. cap. 4. ponit Magio in quo sanctus Colmannus collocauit Monachos Anglos, & monasterium erexit, in Insula Hiberniæ: at Magio in Orcadibus est, ibique adhuc cernuntur fundamenta illius monasterij. præterea lib. 5. cap. 16. ait opera sancti Adamanni plurimam partem Scotorum in Hibernia: nonnullam etiam partem Britonum in Britannia rationabile & Ecclesiasticum Paschalis obseruantiæ tempus Domino donante suscepisse. At qui illi Scoti qui obseruantiæ Paschalis tempus susceperunt? Illi prorsus ad quorum correctionem scriptæ fuerunt literæ à SS. Laurentio, Mellito, & Iusto: at illas ad nostrorum correctionem scriptas euidenter infra euincam, At qui illi Scoti? Illi qui erant in Hebridibus præsertim in Insula Huy quam supra Hiberniam vocari ostendimus. Vide Cardinalem Baronium tomo 8. ad annum 664. vbi ostendit Scotos nostros non ex refractaria contentione Pascha contra morem totius Ecclesiæ celebrasse, nec fuisse propterea schismate aliquo ab Ecclesia separatos. Possem, inquam multa similia afferre, verùm breuitatis gratia omitto. Tantùm monitum cupio Lectorem vt si quandoque apud authores, sanctos Scotos legat appellari Hibernos, ex his quæ diximus quid sentiendum sit discat, quod idem intelligendum est quando Scotia vocatur Hibernia: nomine enim

Scotiæ

Scotię nostra intelligitur, vt ex dictis patet, & euidens est in Claudiano qui Scotię nostrę luctum describens de strage copiarum nostrarum sic canit. ——————*Maduerunt Saxone fuso*

Orchades, incaluit Pictorum sanguine Thule,
Scotorum cumulos fleuit glacialis Hiberna.

Vides Hiberniam suorum cædem deflere. At quæ quæso Hibernia? illa cuius populus vnà cum Pictis Britanniam vel Britonum patriam continuis bellis vexabat, quod nostros Scotos fecisse testantur omnes antiqui authores Gildas, Beda, & alij; & satis constat ex muro & vallo Seueri de quo supra paragrapho de antiquitate Christianæ religionis apud Scotos. vnde idem Claudianus exponens apparatum bellicum gentis nostræ quæ vnà cum Pictis coniunctis copijs contra Britones arma mouerant, sic patriam Britonum inducit exultantem de Stiliconis prouidà & strenua sollicitudine,

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilico, totam cùm Scotus Hibernam
Mouit, & infesto spumauit remige Tethys,
Illius effectum curis ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore tuto
Prospicerem dubijs venturum Saxona ventis.

Totum hoc clarius fiet si duo aduertantur. Primum est Scotos cum quibus Romani bellum gesserunt fuisse in extrema parte Britanniæ & extremos Britannos, vt loquitur Claudianus lib. de bello Getico his verbis,

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Secundum est Romanos non potuisse cum Hibernis Irlandicis tanta bella gessisse quorum patriam constat ex Tacito legione vnâ obtineri facilè potuisse etiam ex relatione Reguli cuiusdam Hiberni profugi legione vnâ & modicis auxilijs debellari obtinerique Hiberniam posse.

Quæres cur Scotia nostra appellata fuerit Hibernia. Respondeo sanctum Isidorum & Vincentium, vt ex supra dictis constat existimâre ita vocatam quod in Hiberniam priores eius partes intendant. Verùm non placet, quare existimo ita appellatam quod Scoti ex Hibernià in Albionem traiecerint postquam ibi ad aliquod tempus hæsissent, vnde quodammodo Hiberni censebantur ac eorum patria Hibernia cùm præsertim lingua Hibernica illis cum Hibernis communis tum esset,

& hinc est quod nos Scoti adhuc ipsos Scotos montana Scotiæ habitantes in Scotiâ Latinè Hibernos nominemus, vel Hibernos Scotos, vt Beda sanctum Columbanum vocat.

NVM A CHRISTI TEMPORIBVS HIBERNIA IRLANDICA APPELLATA FVERIT SCOTIA.

HOc contendunt Capgrauius Anglus, Giraldus Cambrensis, Serrarius, Cauellus, Stanihurstus & alij Hiberni conantes hoc idem ex varijs authoribus ostendere.

Stanihurstus probat primo ex antiquo authore qui de sancto Patricio ita scribit.

Qui iussione Domini
Missus ad Hiberniam
Quæ plena erat Idolis
Dura ceruice incredula,
Qui tenebras Idololatriæ
Scoticæ gentis abstulit
Et prædicauit hominibus
Fidem præclaro lumine.

Scoticæ gentis (inquit Stanihurstus) pro Hiberniæ gentis.

Probat secundò ex quodam alio qui de eodem sancto Patricio ita loquitur. *Tempore Theodosij & Valentini Papa Cælestinus ad Scotos in Christum credentes Palladium misit Episcopum, quo defuncto ab eodem missus est ad eos sanctus Patricius, genere Brito, filius Conches, sororis sancti Martini, qui in baptismo quidem dictus est Suchar: à sancto Germano Magonius, à Cælestino verò Patricius, à quo Scotorum Archiepiscopus ordinatus est, per annos 60. sanctitate, signis & doctrinâ excellens. totam Insulam Hiberniæ conuertit ad Christum.* Sanctus autem Patricius dum Scotorum Regi prædicaret, promiscuè (inquit Stanihurstus) nunc Hiberniæ nunc Scotorũ mẽtio fit.

Tertiò probat ex eo quod Cœlium Sedulium Poëtam nobilem, Hibernum fuisse perspicuum sit. Eius autem vita à Tritemio & Sixto Senensi ita describitur, *Cælius Sedulius præsbyter natione Scotus.* Idem nomen (inquit Stanihurstus) ipse Sedulius vsurpat in epist. libro *Sedulius Scotigena.* Eius adnotationes in omnes Diui Pauli Epistolas (inquit idem ita inscribuntur. *Sedulij Scoti Hibernensis*

Probat quartò quia sanctus Gallus fuit Hibernus, vt agnoscere etiam videtur Vallafridus Strabus: qui eius acta literis mandauit, in præfatione suâ, & tamen libro 2. capite 46. vocat Scotos de gente ipsius.

5. Probat ex vitâ sancti Kiliani apud Surium tomo 4, Iulij 8. vbi hæc verba reperiuntur. *B. Kilianus è Scotorum genere nobilibus ortus parentibus*

diuinæ gratiæ factus est nobilitate clarissimus. Scotia quæ & Hibernia dicta est. Quid clarius, inquit Stanihurstus? quid significantius dici potuit?

6. Probat ex Iona in vitâ sancti Columbani cap. 2. qui ita loquitur. *Columbanus, qui etiam Columba vocatur, in Hiberniâ ortus est, Insula in extremo sita Oceano, spectante Titanis occasum, dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti descendit in vmbras. Insulæ huius situs vt ferunt, amœnus est & immunis ab armis & bellis exterarum nationum. Eam Scotorum gens incolit.*

7. Probat ex vitâ sancti Columbæ cuius authoritâ loquitur, *Sanctus Columba prædicens interitum cuiusdam impij sceleratique planè, hæc verba facit. Et conuersus ad fratres ait, hic homo filius est perditionis, qui, quam promisit pœnitentiam, non explebit, sed mox ad Scotiam reuersus ab inimicis percussus peribit. Factumque est ita, nam ad Hiberniam regressus ille miser in manus inimicorum incidens trucidatur.*

8. Probat ex eodem authore qui (inquit Stanihurstus) in totius causæ arcem inuadere videtur. Eius verba hæc sunt. *Beatus Columbanus in Hiberniâ, Insula in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat ortus est. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta est, de quâ gens Scotorum Albaniam Britanniæ Maiori proximam, quæ ab euentu modò Scotia dicitur, inhabitans originem duxit.*

9. Probat ex eodem Capgrauio, qui in vitâ sancti Columbę suam narrationem his verbis terminat. *Est autem sciendum quod Hibernia propriè Scotorum est patria.*

10. Probat ex venerabili Bedâ, quem ait in multis locis Hiberniam exprimere volentem Scotiam scripsisse. Et lib. 1. Ang. hist. cap. 1. lib. 2. cap. 4. lib. 3. cap. 4. & cap. 27.

Et hæc sunt omnia Stanihursti argumenta, quæ quantùm roboris habeant in sequentibus expendendum est. Vt igitur omnia quæ dicturi sumus faciliùs intelligantur, recolendum est quod supra diximus ex plurimis grauissimisque scriptoribus, Scotos nimirum multis annorum centurijs ante Christi aduentum in Britanniâ suas fixisse sedes, Christianamque fidem amplexos sub Victore 1. Pontifice maximo & Martyre. Recolendum 2. quod ibidem diximus Scotos post longissimum cum Romanis bellum tandem patriâ pulsos à Maximo Tyranno circa annum Christi trecentesimum septuagesimum octauum, multosque in Irlandiam, maximam tamen partem in Daniam transmisisse, sicque extra Scotiam 44. circiter annos fuisse, tandem Duce ac Rege Fergusio huius nominis secundo anno Christi 422. Honorij verò Imperatoris 28. inito cum Pictis occulto fœdere à Romanis instauratum à se

regnum recepisse. Hanc Scotorum eiectionem testatur Ado Viennensis, ætate 6. Iacobus Gordonius Lesmoræus tomo 2. Chronologiæ ad annum Christi 422. Georgius Buchananus lib. 4. hystoriæ Scoticæ, Ioannes Maior, Hector Bœthus, Ioannes Fordinus & alij ex nostris in hystoriâ nostra. Ex quibus tria obiter colliges, 1. quàm falsò Donatus Roirk in sua Hiberniâ resurgente dixerit Scotos post Fergusij secundi tempora nondum fuisse Britanniæ habitatores eiusque incolas,. Vt enim iam vidimus ex grauissimis historicis Scoti annis ante ipsum à Romanis Duce, Tyranno Maximo à suis sedibus pulsi fuerunt. Adde probasse nos superiùs ex authoribus omni acceptione maioribus, Italis, Germanis. Gallis, Hispanis, Belgis, Anglis, Scotis Scotos nostros vnà cum Rege suo Donaldo sub Victore Pontifice Maximo & Martyre fidem suscepisse.

2. Quàm imperitè alij dicant primum Scotorum Regem fuisse Edgarum, citantes Genebrardum in chronico: vt enim rectè aduertit citatus Gordonius tomo 2. suæ Chronologiæ paulò ante seriem Regum Scotorum. *Hallucinantur plurimùm qui Scotiæ Reges tantùm à Rege primum vncto numerant.* Errori locum fecisse potuit illa ipsa sacra Regum apud Scotos invnctio quæ non nisi serò in Edgaro & post plures annos à primo Christiano Rege inuecta est. Quod idem alijs nobilissimis Galliæ, Angliæque regnis euenisse fatentur regni vtriusque historiarum conditores. Nec tamen propterea à serie Regum reijciuntur, qui vel à Faramundo Francis, vel à Saxonum aduentu in Britanniam Regali titulo iura dederunt. Nec est quod Genebrardum pro se citent, nam si Genebrardum legissent nunquam illum in testem suæ inscitiæ attulissent. Genebrardus enim quando vult Edgarum primum fuisse, intelligit primum ex sacrâ vnctione inauguratum, vt clarissimum est cùm in testem citet Hectorem Bœthum qui nihil aliud habet, & alioqui ipse Genebrardus sibi clarissime contradiceret cùm ad annum Christi 202. sub Victore Pontifice Maximo Donaldum Scotiæ Regem fidem Catholicam suscepisse scribat.

3. Non minorem esse illorum inscitiam qui primum Scotorum Regem volunt fuisse Kenedum, de quo habetur antiquus ille vesus,

Primus in Albanis fertur regnasse Kenedus,
Filius Alpini prælia multa gerens.
Expulsis Pictis regnauit is octo bis annis.

Hoc enim intelligendum est post subactos Pictos, & in totâ illa parte quæ nunc Scotia dicitur, cuius pars tunc Pictlandia dicebatur, vt clarè

patet ex dictis & ex ipso citato versu. Fuit ergo primus Scotōrum in Albione Rex, Fergusius huius nominis primus qui anno circiter 562. (vt primo capite fusius diximus) ante Christi aduentum in Britanniam traiecit, ibique ferro sibi regnum Scoticum fixit, de quo in historijs nostris antiquum hoc carmen legimus,

Albion in terris Rex primus germine Scotus,
Fergusius primus, dans iura & sceptra Britannis.

Vide Maiorem, Boëtium, Leslæum, Fordinum, Buchananum, Elphinstonium, Veremundum & alios in principio hystoriæ Scoticæ. Et hæc breuiter datâ occasione hac de re agendi dicta sint: sed ad rem redeamus.

Sciendum 3. post Scotorum ex Daniâ in Albionem reditum Pelagiū famosum illum hæreticum (quem sanctus Hieronymus videtur velle fuisse Scotum, *Habet* (inquit) *progeniem Scoticæ gentis de Britannorum Vicinia*) hæreses suas spargere incœpisse tum in eâ Britanniâ, quæ iam Anglia dicitur, tum etiam occultè in ea earte quæ Scotia dicitur. Cœlestinum verò Pontificem vt huic hæretico obuiam iret, in illam Britanniæ partem quam Angliam nominamus sanctum Germanum destinasse, in nostram verò Scotiam sanctum Palladium sub annum Christi 431. tum ad Pelagianam hæresim (quam Iam diximus Pelagium tum occultè spargere incœpisse) præcauendam, tum ad disciplinam Ecclesiasticam, quæ Scotorum, vt vidimus, primarijs a Maximo Tyranno Scotiâ exactis mulùm elanguerat, pristino splendori restituendam. De hac Legatione ita Prosper Aquitanicus. *Venerabilis memoriæ Pontifex Cœlestinus, cui ad Ecclesiæ Catholicæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen iudicij sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum: Cœlestium quasi non discusso negotio, audientiam postulantem totius Italiæ finibus iussit extrudi: adeo & prædecessorum suorum statuta & decreta synodalia inuiolabiliter seruanda censebat: vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò segniore curâ ab eodem malo Britannias liberauit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo dum Romanam Insulam studet seruare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* Verùm quia missum ad se sanctum Palladium Hiberni Irlandici contendunt acriter, hocque de Hiberniâ sua Irlandicâ dictum volunt, ostendendum breuiter est hoc nullâ ratione cum veritate consistere. Et primò quidem Scoti ad quos fuit missus Palladius credebāt in Christum: at Hiberni nondum credebant in Christum, nec erant adhuc ad Christi fidem conuersi, siquidem ipse Stanihurstus Hibernus in vitâ

sancti Patricij testatur ante sancti Patricij in Hiberniam aduentum scatebat idolis, nec potest Donatus Roirk contrarium asserere, qui in hymno superius citato vult per Scotiam & Hiberniam ipsorum Irlandicam intelligi. Quod verò Scoti ad quos à Cœlestino Pontifice missus est Palladius, fuerint Catholici, & Christi fide imbuti, testatur ipse Prosper in chronico his verbis. *Ad Scotos in Christum credentes ordinatur à Papa Cœlestino Palladius, & primus Episcopus mittitur.* Vidit hoc argumentum Stanihurstus penitus euincere rem de qua agitur; sed quid fecit citans locum antiqui cuiusdem, in quo habetur hoc idem, nempe *Ad Scotos in Christum credentes*, cum Platinà addit, apposito ad marginem sicut & ad ipsam vocem credentes asterisco, fortè credituros. Sed non euades Stanihurste, nec enim tantùm habentur hæc verba in breui Canon. Regul. cap. de Sion, de quo ibi agis: sed vt ostendi etiam in Prospero, nec ibi tantùm & in Prospero, sed & in Beda qui in Epitome hystoriæ Anglorum idem scribit. *Anno* (inquit) *quadringentesimo tricesimo, Palladius ad Scotos in Christum credentes à Cœlestino Papâ primus mittitur Episcopus.* Idem habet Beda lib. 1. hystoriæ Angl. cap. 13. his verbis. *Palladius ad Scotos in Christum credentes à Pontifice Romanæ Ecclesiæ Cœlestino primus mittitur Episcopus.* Idem habent Sigebertus & Eusebius Pamphylus in chronicis. Vides Stanihurste quàm vnanimi consensu omnes hi antiqui authores ponant, *Ad Scotos in Christum credentes*, Et tamen vt tuæ Hiberniæ Irlandicæ ea conuenire posse ostendas non erubescis peruertere, ad marginem addendo *fortè credituros*? Dic sodes, quis vnquam ante te & Platinam tuum illa verba apposuit? Melius esset, mihi crede, veritati manus dare, quàm imprudenter illam respuere. Addo denique ad plenam probationem huius veritatis hæc verba de nostris Scotis intellexisse illustrissimum Baronium tomo 5. Annalium Eccles. ad annum Christi 429. Thomam Bozium lib. 8. cap. 3. Polydorum Virgilium lib. 3. hystoriæ Anglicanæ, qui etiam eundem Palladium Constantinum Scotorum Regem à societate Saxonum auertisse scribit, adeo quidem vt & subsidia Britannis contra eos postea miserit. Tritemium libro de scriptoribus Ecclesiasticis, Gordonium Lesmoræum tomo 2. Chronologiæ ad annum Christi 429. Leslæum, Boëtium, Maiorem, & alios.

Sed dices, quid intelligit per Romanam Insulam Prosper, cùm ait, *Et ordinato Scotis Episcopo dum Romanam Insulam studet seruare Catholicam fecit etiam barbaram Christianam.* Respondeo illum illam partem Britanniæ quæ Anglia dicitur intelligere, quæ Romana dicebatur eò quod

Romanis 400. & amplius annos paruisset, quod de Scotia dici nequit, cùm constet Seuerum Imperatorem non solùm Scotos subigere non potuisse, verùm etiam coactum vt defenderet à Scotis illam partem quam Angliam vocamus, murum per transuersam Insulam ad 132. millia passuum ducere. Atque ex his facilè datur intelligi quid intelligat Prosper per illa verba fecit barbaram Christianam, Scotiam nostram intelligit quam ideo dicit ex barbara fecisse Christianam, quod Christianam & Ecclesiasticam disciplinam (quæ ob Scotorum, vt diximus, diuturnum exilium, & cum Romanis sub Maximo Tyranno bella frequentia elanguerat) restituerit, Orcadesque Scotiæ Insulas adhuc gentiles ad Christi fidem per sanctum Sernanum Scotum discipulum suum conuerterit, Vide Leslæum lib. 4. hystoriæ Scoticæ, Maiorem in sua hystoria, Arnoldum Mermannium in theatro conuersionis Gentium, Regium in Calendario, Impios Centuriatores centuria 5. cap. 10. & alios.

Sciendum 4. post mortem sancti Palladij sanctum Patricium natione Scotum ab eodem Cœlestino Pontifice in Scotiam Apostolatum accepisse; verùm cùm Scotia nostra Dei benignitate in fide catholica tum floreret, haberetque viros Apostolicos sancto Patricio coætaneos non paucos, Sernanum Orcadensium Apostolum, Ternanum sancti Niniani successorem, Queranum Benchorensem Abbatem & multorum monachorum patrem, Kentigernum Culrossani monasterij antiquissimi gloriam (quem monachos discipulos 965. Capgrauius Anglus testatur habuisse) Columbum, Nethelmum, Fridelinum, & alios Scotorum grauiter excolentes Ecclesiam Irlandis nondum ad Christum conuersis lubenti concessit animo. Confirmat hoc idem Cœlestinus Pontifex, eique in Hiberniam Irlandicam Apostolatum confert, quem lubenter amplexus sanctus Patricius rectà in Hiberniam contendit, ibique per annos 40. in signis atque mirabilibus prędicans illam Insulam ad fidem perduxit. Testantur hæc omnia multi graues authores & in primis Marianus noster in chronico lib. 2. ad annum 432. his verbis. *Ad Scotos in Christum credentes à Papa Cœlestino Palladius Episcopus mittitur: post ipsum sanctus Patricius &c. Et ad Archiepiscopatum Hibernensem mittitur.* Idem testatur illustrissimus Baronius in martyrologio ad 17. Martij his verbis. *Successit* [nempe sancto Palladio] *sanctus Patricius consecratus ab eodem Cœlestino Papa qui & ad Hibernos missus ibi per annos 40. in signis atque mirabilibus prędicans totam Insulam Hiberniæ conuertit ad fidem.* Idem testatur Gordonius 2. tomo suæ chronologiæ ad annum Christi 431. his

verbis. *Mortuo Palladio in Scotia Episcopo succedit sanctus Patricius Scotus, qui Apostolatum accepit in Hiberniam & Scotiam.* Porro sanctum Patricium Scotum fuisse testantur plurimi & grauissimi authores ex quibus (vt Hiberni videant nobis se suam debere conuersionem) aliquos tantum citabo. Primus sit Sigebertus in chronico ad annum Christi 394. his verbis. *Sanctus Patricius Scotus in Hibernia* (hoc factum est ipso adhuc iuuene, nam ætatis anno 22. libertate donatus est] *cum suis sororibus venditur.* Secundus sit illustrissimus Baronius qui tomo 5. Annal. Eccles. ad annum Christi 431. ita loquitur, *Hibernorum quidem conuersionem sancto Patricio Deus reseruauit, qui [vt tradunt) Scotus genere, natus sancti Martini Turonensis Episcopi sorore ab eo Clericus ordinatus sub eius institutione transegit.* Tertius sit Maurolic⁹ in suo Martyrologio, qui idē testatur his verbis, *In Scotiâ natale sancti Patricij Episcopi qui in Hiberniâ ad edomandos barbaræ gentis animos barathrum fecit horrendum.* Quartum locum obtinebit R. P. Iacobus Tyrius olim pro Gallia societatis Iesu assistens, qui in tractatu de antiquitate religionis apud Scotos, Iouisonij nomine falso edito, ita loquitur. *Testis est sanctus Patricius apud Classcuensem ciuitatem in Scotiâ natus, cuius opem infantes Hiberni ex matrum pendentes vberibus implorare videbantur.* Quinto loco veniat Gordonius citatus loco etiam citato qui in hæc verba idem testatur. *Mortuo Palladio in Scotiâ Episcopo succedit sanctus Patricius Scotus qui Apostolatum accepit in Hiberniam & Scotiam.* Idem testantur multi alij quibus omissis vnum tantum Camdenum Anglum hæreticum hominem in gratiam Hibernorum adferam, qui ad confirmanda sua tam libenter illum citant. Hic ergo in sua Britannia ita loquitur de sancto Patricio. *Hic natione Britannus in Auidsdaliâ* (est hæc Scotiæ prouincia) *natus & Martino Turonensi affinitate coniunctus, & sancti Germani discipulus Palladio defuncto à Cœlestino subrogatus tanto successu Christianam religionem per Hiberniam propagauit, vt longè maximam Insulæ partem ad Christum conuerterit, & Hibernorum Apostoli nomen meruerit.*

Ex his clarè ostenditur nulla esse Stanihursti argumenta. Primum enim verissimum & facillimum habet sensum, nempe eumdem sanctum Patricium, qui missus fuit in Hiberniam vel Irladiam idolis plenam abstulisse etiam tenebras Idololatriæ Scoticæ gentis, nempe Scotiæ nostræ cuius Apostolus antea fuerat. Quid certius? nam vt antea diximus, quamuis pars illâ Scotiæ, quæ cum Anglia continens est, vnamque Insulam facit, in Catholica fide tempore sancti Patricij Apostoli sui floreret, tamen Orcades Insulę Scotię nondum erant conuersę,

sed tunc

ſed tunc conuertebantur per ſanctum Sernanum Scotum & alios, quarum Inſularum conuerſionem quid mirum ſi ſanctus Patricius tunc Scotiæ Apoſtolus promeruerit, ab eiſque Idololatriæ tenebras dicatur abſtuliſſe? non quidem per ſe, ſed per Sernanum ipſo Apoſtolo exiſtente; eo planè modo quo ſancto Palladio earum conuerſio adſcribi ſolet, non quod Palladius per ſe illos conuerterit, ſed quod Palladio Apoſtolatum in Scotiam obtinente conuerſio illorum inchoata ſit. Adde non videri vllum dubium quin aliqui ex Scotis aut ſaltem illorum filijs qui in Daniâ, Noruegiâ, Irlandiâ & alijs regnis inter Gentiles vixerant iſtis 44. annis quibus in exilio erant, Idololatriam iſtorum amplexi fuerint, nec omnes à ſancto Palladio conuerſos; atq; adeo hos ad Chriſtum conuertendo ſanctum Patricium dici potuiſſe abſtuliſſe Idolatrias Scoticæ gentis. Et certè ita intelligi debere manifeſtum eſt ex martyrologio Gallico quod ad 17. diem Martij ita de ſancto Patricio loquitur. *En Irlande ou Hibernie mourut ſainct Patrice Confeſſeur, lequel ayant obtenu du Pape puiſſance de Preſcher l'Euangile, conuertit pluſieurs Eſcoſſois & Irlandois.* Vbi vides diſtingui Scotos ab Hibernis Irlandicis, eorumque conuerſionem ab Hirlandorum conuerſione. Idem etiam & clariùs patet ex Ariâ infra citando. Denique ſi aliam reſponſionem vis hymnum ſic cane & interpunge.

Miſſus ad Hiberniam
Quæ plena erat Idolis
Durâ ceruice incredula
Qui tenebras Idololatriæ
Scoticæ gentis abſtulit.

Vltimo verſu, Scoticæ gentis non ad Irlandicos ſed ad ipſum Patricium referendum, vt ſit ſenſus, Patricius Scoticæ gentis ſacerdos Irlandicos duræ ceruicis & incredulos ad fidem reduxit.

Secundum argumentum deductum ex quodam antiquo authore qui habet Palladium ad Scotos in Chriſtum credentes à Cœleſtino Pontifice miſſum contra ipſum Stanihurſtum pugnat, vt ex ſuperiùs dictis conſtat. Oſtendimus enim illa verba de Scotia noſtra non ipſorum Hibernia Irlandica intelligenda eſſe, eò quod ipſorum Hibernia nondum eſſet tunc fide Chriſti imbuta. Adde Palladium ſanctum à Cœleſtino in Scotiam ad Pelagianam hæreſim ibi pullulantem ſupprimendam miſſum eſſe, ac conſequenter Scotiam ad quam miſſus eſt, non poſſe eſſe Hiberniam clarum eſt. Palladium verò ad Pelagianam hæreſim ſupprimendam miſſum fuiſſe in Scotiam ex verbis Proſperi citatis con-

Burchardi apud Surium 14. Octob. testatur his verbis. *Non tamen otiosè prætereundum; imò pro Christi amore toto cordis acumine speculandum &c. dum Scotia nobis lumen nostrum primitiuum destinauit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alemannis Gallum.* Vides hic eamdem Scotiam quæ Franconibus Kilianum, Burgundis Columbanum, & Alemannis Gallum destinasse, at sanctum Kilianum Hiberniam Irlandicam nullo modo Franconibus destinasse supra fusè probauimus. Egilvualdo consentit Iodocus Metflerus apud Henric. Canisium tom. 5. antiq. lect. pag. 727. his verbis, *Sanctus Gallus electus & dilectus Dei famulus primus terræ huius & loci incola multorũ sanctorum Monachorum pater hic exstitit, qui adolescens sub obedientia & Regula sancti Columbani in Scotiâ spretis nobilibus parentibus mundique pompis pauperum vitam elegit, &c.* Idem habet Aubertus Mirӕus in Origi. Benedict. cap. 19. his verbis. *Fuit sanctus Gallus natione Scotus sancti Columbani discipulus, Brigantinorum & Arponensium Apostolus, obijtq; anno* 640. Idem denique (vt multos alios omittam] Posseuinus in apparatu sacro his verbis. *Gallus Scotus vir sanctus & Abbas, & sancti Columbani discipulus, Monachus antea in Scotiâ è congregatione Benchorensi,* (fuit hæc congregatio in Insula Hoy siue Iona Scotorum Regum, vt diximus, sepultura insigni) *à quo cœnobium & oppidum sancti Galli in Heluetia nomen habuit. Scripsit orationem & formam gubernandæ Ecclesiæ.*

Quintum argumentum ostendimus fusè cap. 3. contra ipsum pugnare. Vide ea quæ ibi diximus, tantum hic repeto testimonium Posseuini in apparatu sacro, qui ait sanctum Kilianum Scotum fuisse, & in ipsius gratiam fundatum fuisse Herbipoli pro gente nostra monasterium: verba Posseuini hæc sunt. *Kilianus Scotus Monachus & Martyr scripsit contra peregrinos cultus, passus est anno 689. octauo idus Iulij. Is Herbipolensium Episcopus ad Mœnum fluuium Christi Domini fidem prædicans mortem subijt: ob cuius memoriam fundatum fuit pro gente Scotorum monasterium.*

Sextum argumentum ex Iona in vita sancti Columbæ deductum, probat id quod sæpius dictum est nempe Scotiam nostram olim fuisse etiam appellatam Hiberniam. Porro Hiberniam ex qua fuit Columbanus Scotiam nostram esse constat ex dictis de sancto Gallo, & clarissimum redditur ex epistola illa ad Scotos missa SS. Laurentij, Melliti, & Iusti, qui à Gregorio Magno ad Anglos conuertendos fuere missi. Epistolæ verò partem refert Beda. *Dominis charissimis fratribus Episcopis vel Abbatibus per vniuersam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Iustus Episcopi serui seruorum Dei. Dum nos sedes Apostolica more suo sicut in vniuerso orbe terrarum: in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis*

dirigeret, atque in hanc Insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse, antequam cognosceremus credentes quod iuxta morem vniuersalis Ecclesiæ ingrederemur in magna reuerentia sanctitatis tum Britones tum Scotos reueriti sumus, sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putauimus. Scotos vero per Dagamum Episcopum in hanc quam superiùs memorauimus Insulam, & Columbanum Abbatem in Gallijs venientem nihil discrepare à Britonibus in eorum conuersatione didicimus. Nam Dagamus Episcopus ad nos veniens non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio in quo vescebamur, sumere voluit. Vides hic sanctum Columbanum esse Scotum: at ex qua precor Scotia? Ex illa quæ vna cum Anglia Insulam facit, quæ magna Britannia dicitur vt manifestè ostendit particula (hanc) ex qua etiam particula euidens est recitatas literas ad Scotos nostros missas non ad Irlandos, vt ipsi contendunt. Confirmatur, quia authographum illius epistolæ in Scotia nostra in Dumblanensis Ecclesiæ Archiuijs vidit Georgius Neutonus Archidiaconus qui ante 130. annos Ecclesiæ illius acta luculento stylo post eritati commendauit. Dicant ergo Irlandi, si ea epistola ad Scotos nostros non missa, quomodo in Scotorum scrinijs post mille & amplius annos reperta? Etsi ad Irlandicos destinata, cur non alicubi in Irlandia extet? Sed redeamus ad sanctum Columbanum. Illum nostratem esse testatur præter citatos Tritemius de viris illustribus ord. sancti Benedicti lib. 2. cap. 5. his verbis. *Columbanus fundator & primus Abbas Luxouiensis cœnobij natione Scotus, vir eximiæ sanctitatis, meriti, & doctrinæ, pater multorum millium monachorum & monasteriorum plurium fundator.* Tritemio consentit Sixtus Senensis in bibl. *Columbanus* (inquit) *primus fundator & Abbas Luxouiensis cœnobij, natione Scotus, vir eximiæ sanctitatis &c.* Idem testatur Genebrardus in chronico ad annum 613, his verbis. *Sanctus Columbanus Scotus Angliam, Galliam, Italiam, Germaniam (cuius multos populos ad fidem primus anno 630. conuertit partim per discipulos) monasterijs repleuit.* Idem Antonius Posseuinus in apparatu sacro his verbis. *Columbanus Scotus Monachus, monasterij & congregationis Benchorensis, deinde Luxouiensis monasterij & congregationis primus institutor, ac deinceps Bobiensis cœnobij in Italia primus fundator & Abbas, vir sanctus, scripsit &c.* Idem habet Franciscus Sansoninus in lib. illust. familiar. Italiæ agens de familia nobili Comitum Scotorum Placentinorum, qui originem habent ex illustrissima familia Duglasiorum seu Angusiæ Principis ita loquitur, *Donato Vescouo di Bobio, edifico la Chiesa di sancta Brigida in Piacenza & la dono à vn monastero di frati di Bobio di sancto Columbano: non solam ente perl'amor di Dio; ma anco perche S. Columbano fu di Hi-*

bernia Isola Della Scotia (fuit quippe Columbanus ex Iona insula, quæ Hebridum vna est, oriundus, & in eadem à Congallo Abbate educatus) *quanto poi alla parentela degli Spettini, &c.* Omitto hic Ioannem Leslæum Episcopum, Boëtium & alios breuitatis causa.

Septimum argumentum, octauum & nonum Stanihursti nil prorsus vrgent, sicuti neque Scotistam aliquem vrgeret Thomista adferens pro se Thomistæ antiquioris authoritatem, verbi gratia Capreoli, Soncinatis, Caietani, &c. Ita neque nos vrget Stanihurstus adferens illius authoritatem quem nos concedimus in ipsius sententia esse. Vidit hoc Stanihurstus, & vt argumenta eius maiorem viderentur habere vim, apud homines hac in re minimè versatos nomen authoris (Capgrauij nempe) ex quo septimum, octauum & nonum deducit, reticet. Sed hoc est pueris imponere non intelligentibus. Quis nescit Capgrauium existimare Hiberniam vestram Irlandiam olim appellatam Scotiam? sed sicut à te Stanihurste qui eiusdem es cum illo sententiæ, vt hoc probes petimus, ita hoc idem ab illo requirimus: vt ergo has nugas relinquamus ad 10. tuum argumentum properabimus.

Decimum argumentum ab auctoritate venerabilis Bedæ deductum, neque nos vrget, & hoc in causa fuit quod ipsa verba Bedæ non attulerit, cùm tamen aliorum authorum verba non omiserit. Verùm ego pro ipso adferam; primò ergo citat Bedam lib. 1. hystoriæ Anglicæ cap. 1. Verba autem Bedæ quæ ipsi ibi fauere aliqua ratione possunt, sunt hæc. *Hæc autem* [*nempe Hibernia Irlandica*] *propriè patria Scotorum est.* 2. loco citat Stanihurstus Bedam lib. 2. cap. 4. vbi Beda hæc verba, quæ ipsis fauere videri possunt, habet. *Denique non solùm noua, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat* (nempe Laurentius, qui Augustino ad Anglos misso successit) *sed & veterum Britanniæ Incolarum, nec non & Scotorum, qui Hiberniam, Insulam Britanniæ proximam incolunt.* In tertio loco Bedæ quem citat Stanihurstus, nihil video quod illi fauere possit nisi quod sanctum Columbanum dicat ex Hibernia venisse in Britanniam, & antequam in Britanniam veniret, fecisse monasterium in Hibernia, quod à copia roborum Dearmach lingua Scotica nominatur. Bedæ verba hæc sunt. *Venit de Hibernia præsbyter & Abbas habitu & vitâ Monachi insignis, nomine Columbanus, in Britanniam prædicaturus verbum Dei prouincijs Septentrionaliū Pictorum &c. Fecerat autem priusquam in Britanniam veniret, monasterium nobile in Hiberniâ, quod à copiâ roborum Dearmach lingua Scotorum, hoc est campus roborum cognominatur.* Quartus locus quem citat est caput 27. eiusdem lib. 3. in quo ego prorsus nihil

inuenio quod vlla ratione possit Hiberniæ ipsorum fauere nisi quod Beda agens ibi de peste, quæ Northumbriam vexauerat, ait etiam Insulam Hiberniam vexasse & pestilentiæ causa multos Anglos relicta Insula patria [nempe Anglia) continentioris vitę studio in Hiberniam secessisse: quos omnes Scoti libentissimè susceperunt &c. Verba Bedę sunt hæc. *Hac autem plaga* (nempe pestis) *Hiberniam quoque Insulam pari clade premebat.* Erant ibidem eo tempore multi Nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finanij & Colmanni Episcoporum, relicta Insula patria, vel diuinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratia illò secesserant &c quos omnes Scoti libentissimè suscipientes victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum & magisterium gratuitum præbere curabant. Et paulò post de sancto Egberto loquens idem Beda ait illum nationibus Scotorum & Pictorum in quibus exulauerat multùm profuisse, cùm tamen ante initium capitis habeat illum vitam monasticam in Hibernia traduxisse. Verba Bedæ ante initium capitis hæc sunt. *Vt Egberecht vir sanctus de natione Anglorum monachicam in Hibernia vitam duxerit..* sub finem capitis tamen hæc de ipso habet. *Illis in quibus exulabat nationibus Scotorum siue Pictorum & exemplo viuendi, & instantia docendi, & authoritate corripiendi, & pietate largiendi de his, quæ à diuitibus acceperat, multùm profuit.*

Sed hæc Bedæ loca prorsus nihil contra nos probant, verùm contra illos, vt iam videbimus. Primus ergo Bedæ locus nihil conuincit. nam aliud est Hiberniam Irlandicam esse Scotorum patriam, aliud illos qui manent in Hibernia Irlandica vocari Scotos & consequenter non licet inferre ex eo quod Hibernia Irlandica dicatur propria Scotorum patria quod inhabitatores ipsius Irlandiæ Scoti vocentur, aut ipsa Irlandia Scotia sicuti ex eo quod Saxonia sit propria Anglorum patria non licet inferre, ergo Saxonia vocatur Anglia, vel ergo Saxones vocantur Angli, & tamen eodem modo Saxonia Germaniæ est Anglorum patria, quo Irlandia siue Hibernia Scotorum. Dicitur enim Hibernia Scotorum patria eo quod Scoti aliquot annis hæserint in Hibernia dum ex Hispania venirent antequam in Britanniam proficiscerentur: sicque ex Hibernia aliquo modo immediatè nempe dicimur venisse, & egressi fuisse, ac consequenter Hibernia ipsa patria nostra dicitur, nonne fortiori iure Saxonia Anglorum est patria? nam ex hac non solum immediatè sed & mediatè exiuerunt, cùm re vera ipsi Saxones fuerint. Scotica verò natio longè diuersa ab Irlandica, ut patet ex dictis primo

capite. Et vt clarè videas ex authoribus qui tecum opinantur, Irlandiam tuam olim appellatam Scotiam, non valere hoc argumentum, apud Bedam Irlandia Scotorum patria, ergo ex Beda Irlandi vocantur Scoti, Irlandia vocatur Scotia. Accipe Capgrauium Anglum ex quo tu argumentum septimum, octauum, & nonum quoque (quamuis callidè, vt dixi, illum citaueris) accepisti: is ergo loco quem tu citasti in vita videlicet sancti Columbani ita loquitur. *Beatus Columbanus in Hibernia, Insula in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat, ortus est. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta est, de qua gens Scotorum Albaniam Britanniæ Maiori proximam, quæ ab euentu modo Scotia dicitur, inhabitans originem duxit.* In fine verò vitæ eiusdem idem author ita loquitur. *Est autem sciendum quod Hibernia propriè Scotorum est patria.* Ex quibus sic contra te disputo. Apud Capgrauium legitur Irlandiam vel Hiberniam Irlandicam esse propriè Scotorum patriam, ergo apud Capgrauium legitur quod Hiberni vocentur Scoti, & Hibernia seu Irlandia Scotia. Vides hoc argumentum non concludere Ergo Hibernia Irlandica est Scotia. Nam ille tunc (sicut ego nunc dicere possum) dixit Hiberniam esse propriè Scotorum patriam, & tamen expresè ait, tunc Irlandiam tuam non vocari Scotiam. Deinde sit Hibernia Scotorum patria: quid inde? Ergo Scoti sunt Hiberni? O miseram consequentiam! Iidem qui Scotorum patriam olim Hiberniam fuisse dicunt, ex Ægypto primùm, ac deinde ex Hispania Scotos venisse docent, sic fieret vt Ægyptij aut Hispani dicantur, quicunque Scoti habentur. Atque hæc de primo Bedæ loco.

Secundus locus nullam habet difficultatem. Ostendit enim id quod ego fusè cap. 3, probaui, nempe apud Bedam communiter Scotiam nostram vocari Hiberniam. Et verò de nobis ibi loqui Bedam clarissimum est ex ipso Beda: nam illorum Scotorum curam habebat Laurentius, ad quos scripsit, & cuius literas ad ipsos refert ibidem Beda. *Literæ autem illæ fuerunt ad nos scriptæ non ad Irlandos,* vt sæpius ostendimus. Quod verò illorum curam habuerit ad quos scripsit, patet ex Beda qui vbi dixisset illum Scotorum curam habuisse, statim subijcit, curam quam habebat ostendens. *Siquidem* (inquit) *vbi Scotorum in præfata ipsorum patria quomodo & Britonum in ipsa Britannia vitam ac professionem minus in multis esse cognouit, maximè quod Paschæ solemnitatem non suo tempore celebrarent, sed vt supra docuimus a. 14. Luna vsque ad vicesimam Dominicæ resurrectionis diem obseruandam esse putarent, scripsit cum Coepiscopis suis exhortatoriam ad eos Epistolam, obsecrans eos & contestans vnitatem pacis &*

Catholicæ obseruationis cum ea, quæ orbe terrarum diffusa est Christi Ecclesia, tenere:

Tertius locus ex Beda adductus pugnat contra illos sicut & præcedens: nam quod ex Hibernia dicat sanctum Columbam (quem ille Columbanum vocat) in Britanniam ad verbum Dei Septentrionalium Pictorum prouincijs prædicandum venisse, & antequam veniret in Hiberniamonasterium linguâ Scotorum Dearmach appellatum ædificasse, probat id quod nos cap. 5. fusè ex Beda & alijs probauimus, Hebrides nempe Insulas sæpius Hiberniæ nomine appellari. Vnde illum ex Hibernia venisse in Britanniam nil aliud est quàm ex Hebridibus venisse in Britanniam. Venisse verò sanctum Columbam ex Hebridibus testatur Boëtius lib. 9. hystoriæ his verbis. *Venere ex Hebridibus Insulis cum Columba in Albionem viri 12. sanctissimis decorati moribus, &c.* In hebridibus verò multorum Monachorum patrem fuisse ex vita ipsius à sancto Adamanno Scoto ante mille annos scripta clarum est. Idem etiam testatur Hermannus Contractus in chronico antiquo ad annum 596. & in recentiori impresso Francofurti anno 1585. Eum denique nostratem esse patet ex membranis M. S. monasterij Vvindbergensis, vbi in principio eius vitæ habentur hæc verba. *Sancti Adamanni Scoti libri tres de sancto Columba Scoto.* Idem habet Arnoldus Vvion lib. 3. ligni vitæ his verbis. *In Scotia sancti Columbi præsbyteri & Confessoris, magnæ & admirandæ virtutis viri.* Vide apud hunc alios authores, qui idem testantur; quos ego breuitatis causa omitto.

Quartus locus facit etiam contra illum, nam probat Scotiam nostram & Hebrides olim appellatas Hiberniam, quod verum esse fusè probatum est cap. 3. Et verò vt videas Hiberniam in quâ moratus est Egbertus sanctus, esse Scotiam nostram & Hebrides Insulas, audi Molanum. *In Huensi Insula quam alluit mare Scoticum B. Egberti Monachi &c.* Vides hic loqui illum de Insula Huy quæ Hebridum vna est. audi si placet eundem alibi loquentem. *In Hibernia beati Egberti Monachi & Confessoris.* Arnoldus Vvion lib. 4. ligni vitæ, *Monasterium* (inquit) *Huensis Insulæ quod est in Hibernia.* Hermannus Contractus in chronico impresso Francofurti anno 1585. loquens de sãcto Columba hæc habet. *Sanctus Columbanus præsbyter & Abbas post multa miracula in Insula Huy iuxta Hiberniam migrauit ad Dominum.* Vides Insulam Huensem quæ est in Hebridibus hic ab illis vocari Hiberniam. Vide Ioannem Leslæum Episcopum Rossensem qui lib. 4. hystoriæ Scoticæ testatur eius suasu Mordacum Scotiæ Regem inter cætera pietatis monimenta cœnobium illud, cui

illud cui Candida-Casa (*Vvouhait Horue*) nomen in Gallouidia Diui Niniani quondam præsentia nobilitatum, restaurasse. Et hæc de Stanihursti argumentis dicta sint. Audiamus iam aliorum argumenta.

Præter hæc argumenta deducta Donatus Roirk in sua Hibernia resurgente, Hiberniam suam Irlandicam Scotiam appellatam fuisse conatur probare ex Cæsario qui de purgatorio sancti Patricij agens ita loquirur. *Qui de purgatorio dubitat, Scotiam pergat, purgatorium sancti Patricij intret, & de purgatorij pœnis amplius non dubitat.* Atqui purgatorium sancti Patricij non fuit in nostra Scotiâ, ergo dicendum est Irlandiam à Cæsario appellatam fuisse Scotiam.

2. Probat ex eo quod Scotia apud multos antiquos authores dicatur Insula, inter alios affert Egesippum qui de Romanis loquens, *Tremit* (inquit) *hos Scotia quæ terris nihil debet.* Hoc autem ait non posse Scotiæ nostræ conuenire, quæ multum debet Angliæ, vt pote ei continens. Bene tamen conuenit Hiberniæ, *Quæ* (iuquit) *terris adempta sedet in Oceano, circumsepta fluctibus, nulli prorsus telluri obnoxia, nulli omnino debens, vel continuationem vel contiguitatem.* Adde Scotiam à Prospero poni diuersam Insulam à Britanniâ quod de nostrâ dici non potest.

3. Probat ex eo quod antiqui authores Scotos à Britannis tanquam diuersam nationem secernant, inter alios sanctus Hieronymus de suo quodam obtrectatore loquens, *Habet* (inquit (*progeniem Scoticæ gentis de Britannorum Viciniâ.* Vbi nota (inquit Roirk) non de ipsa Britanniâ fuisse ipsum Scotigenam, sed de Vicinia Britanniæ, nempe de Irlandiâ. Affert etiam pro se Ammianum Marcellinum, quem ait ponere Scotos diuersam gentem à Pictis, &c.

His argumentis addi potest vnum aliud nempe multos Sanctos dici Scotorum Archiepiscopos (inter quos sanctus Liuinus) quorum tamen tempore Scotia nostra Archiepiscopos non habuit: vnde consequens videtur fuisse illos alterius Scotiæ Archiepiscopos, Irlandiæ nempe. Adde sanctam Brigiddam virginem Scotam vocari, cùm tamen de Irlandia fuerit.

Verùm hæc nullius momenti sunt. Et primum quidem, probat quidem authorem illum existimasse sancti Patricij purgatorium in nostra Scotiâ fuisse, non autem Irlandiam appellatam fuisse Scotiam: vnde bene quidam ad marginem illius hystoriæ addidit, *Videtur hic author confundere Scotiam & Hiberniam.* Confundere quidem, quia existimasse videtur Cæsarius sancti Patricij purgatorium in nostrâ Scotiâ fuisse, quam supra probauimus Cæsarij tempore appellatam fuisse Hiberniâ.

Et sanè mirum non est talem virum sancti Patricij purgatorium in nostra fuisse Scotiâ existimasse, cùm tamen in Irlandiâ esset: nam vt alia exempla omittam, hoc nostro tempore viri graues & alioquin docti in rebus quibusdam clarioribus grauiùs quàm par erat, peccarunt. Vnum vel alterum tantùm exemplum apponam. Baptista Cysatus societatis Iesu in Ingolstadiensi Academia Matheseos professor in sillabo Martyrum societatis Iesu ait sanctum Martyrem Ioannem Ogilbæum in Angliâ passum esse. *Ioannes Ogilbæus* [inquit] *in Angliâ*. Et tamen quid clarius quàm in Scotiâ passum præsertim vni eiusdem societatis esse debuit? potissimùm cùm ante tam paucos annos eius martyrium acciderit. Non absimile quid fecit ante paucos annos Anglus quidam (cuius nomini iustas ob causas parco) qui dominum Ballandenum grauem & doctum virum Anglum facit cùm tamen Scotus sit, & adhuc Parisijs viuat. Omitto R. P. Burgesium Belgam societatis Iesu in libro quodam in quo de deuotione societatis erga Deiparam Virginem agit, affirmare Patrem quemdam Anglum eiusdem societatis ante paucos annos defunctum Scotum esse: nomen Patris, si rectè memini, est Dalbischer.

Secundum argumentum puerile planè est: nam quamuis Scotia nostra & Anglia strictè loquendo duæ Insulæ non sint, tamen cui non constat Scotos nostros & Pictos à Beda transmarinas gentes appellari? quod si transmarinæ respectu Angliæ, certè terra, quam inhabitant diuersa erit Insula ab eadem Angliâ. Verùm audiamus, si placet, ipsius Bedæ verba. *Exin Britannia omni armato milite, militaribus copijs vniuersis, totâ floridæ iuuentutis alacritate spoliata. quæ Tyrannorum temeritate adducta nusquam vltra domum redijt, prædæ tamen patuit, vt pote omnis bellici vsus, prorsus ignara. Denique subitò duabus gentibus transmarinis vehementer sæuis, Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone multos stupet gemetque annos.* Vides hic Bedam nos & Pictos non solùm à Britannis secernere, verùm etiam transmarinas gentes appellare. Iam Bedam loqui de nostrâ Scotiâ patet: nam hæc verba statim subiungit. *Transmarinas autem dicimus has gentes, non quod extra Britanniam essent positæ, sed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus finibus mare interiacentibus, quorum vnus ab Orientali mari, alter ab Occidentali Britanniæ terras longè latéque irrumpit, quamuis ad se inuicem attingere possint.* Vides hic Scotos & Pictos, de quibus loquutus est Beda, non esse extra Britanniam, at Hibernia vestra Britanniæ nihil debet (vt tuâ phrasi vtar mi Donate) terris adempta sedet in Oceano circumsepta fluctibus nulli prorsus telluri obnoxia, nulli om-

nino debens vel continuationem vel contiguitatem. 2. eodem modo Scotia nostra est Insula quo Anglia: at Anglia vocatur Insula ab authoribus, ergo &c. Quod vtraque sit eodem planè modo Insula clarum est. Quod verò Anglia ab authoribus vocetur Insula, probatur ex Ioanne Boëmo Aubano Teutonico, qui lib. 3. morum & rituum omnium gentium de Angliâ loquens hæc habet. *Anglia quæ & Britannia ab eruditis dicitur, insignis in Oceano Insula triangulari formâ Siciliæ similis. Hæc vndique à circumfuso mari complexa est nusquam iuncta continenti, sed ab omni orbe nostro diuisa.* Videsne Donate hic Angliam vocari Insulam, quæ tamen appellari non potest nisi eo modo quo Scotia, & consequenter si Anglia Insula appellatur, potest pariter Scotia nostra dici. Audiuisti mi Donate ex Ioanne Boëmo Angliam vocari Insulam, audi idem ex Ioanne Maldonato in glosâ ad vitam sancti Thomę Santuarensis Archiepiscopi vbi ita loquitur, *Anglia* (inquit) *Insula clarissimâ in Oceano Septentrionali quæ primò Albion dicebatur.* Vides pariter & hic Angliam vocari. Iam verò Scotiam nostram habitam fuisse ab authoribus diuersam ab Angliâ Insulam probatur ex Richardo de sancto Victore, qui (vt diximus lib. 3. exceptionum de Insulis agens ita loquitur, *In Oceano Septentrionali ab Oriente in Occidentem Insula Phaneliorum &c. Scotia, Britannia, Hibernia, &c.* Præterea Franciscus Alumnus Ferrariensis Italus in fabricâ mundi Scotiam nostram Insulam appellat: nam verbo *Scotia* ita habet. *Scotia Latinè & Iuuentia è prouinciâ & Isola.* Et verbo *Cacearia.* Prope finem *Scotia* (inquit) *nella est rema parte d'Inghilterra & da Lei poco interuallo di mare digiunta & gia diuisa.* Tertiò notum est apud authores inueniri hæc verba, *Insulæ Britannicæ.* At quomodo Insulæ nisi apud illos Scotia faciat vnam ab Anglia diuersam. Denique vt multos alios omittam, adducam tantùm duos recentiores qui Scotiam nostram Insulam faciunt. Primus est R. P. Franciscus Arias societatis Iesu vir doctus & pius. Is igitur primo tomo de imitatione Christi tractatu 2. cap. 26. agens de Insulis remotis ad Christi regnum vocatis ita loquitur. *Inter has Insulas possunt numerari Insulæ Angliæ & Scotiæ, nam antequam illæ Christi fidem amplecterentur &c.* In Gallicâ editione ita habetur. *Entre ces Isles peuuent estre contées celles d'Angleterre & d'Escosse. Car auant qu'elles receussent la foy de Iesus Christ &c.* Quid clarius dici potuit? Præterea cap. 12. eiusdem tractatus agens de viris Apostolicis qui Christi fidem per varias mundi plagas prædicarunt, ita loquitur. *Quinto sæculo id est anno quadringentesimo vsque ad quingentesimum sanctus Patricius conuertit Insulam Hiberniæ quæ Irlandia est, & partem Insulæ Scotiæ, &c.* Galliçè

ita habetur. *Au cinquiesme siecle de l'an quatre cent iusques à cinq cent sainct Patrice conuertit L'Isle d'Hibernie, qui est l'Irlande, & partie de l'Isle d'Escosse.* Vides hic Ariam Scotiam nostram Insulam nominare. Secundus sit Thomas à Iesu Carmelita lib. 3. de conuersione omnium gentium cap. 2. vbi Scotiam nostram & Angliam tanquam diuersas Insulas enumerat. agens enim de regionibus quas sanctus Vincentius ex sacra sancti Dominici familiâ, Christi causâ ad Euangelium prędicandum peragrauit, ita loquitur. *Deinde ab Henrico Angliæ Rege humanissimus literis ac nuncijs & naui ad hoc ipsum missa, inuitatus, eam prius Insulam totam, mox Scotiam, postremò etiam Hiberniam lustrauit &c.* Nimis clara hæc sunt. Quid ad illa Irlandi? nihil. Quod si quærat aliquis vnde factum sit vt Scotia & Anglia vocentur Insulæ diuersæ, cùm re verâ vnam tantùm faciant Insulam. Respondeo à Beda rationem indicatam fuisse loco citato; propter duos nempe sinus maris interiacentes, quorum vnus (inquit Beda) ab Orientali mari, alter ab Occidentali Britanniæ terras longè latéque irrumpit.

3. Argumentum nihil probat, nam cui non est notum nostros Scotos ab authoribus, à Britannis tanquam diuersam nationem secerni, non quod non simus verè Britanni, sed quod communius apud authores Britanni dicantur, qui habitant terras Britonum, vt faciunt Angli, & Britannia illa pars Insulæ dicatur, quæ à Britonibus habitata fuit. hoc clarum est ex Christiano Massæo, qui in chronico mundi lib. 12. ita loquitur. *Britannia fit Anglia.* Iam quæ Britannia facta est Anglia? totane? minimè verò, sed illa tantùm pars quæ à Britonibus habitabatur. Addo mirari me quomodo audeant hoc argumento contra nos vti Hiberni, qui volunt Irlandiam suam poni inter Britannicas Insulas ab authoribus: quamuis & hoc quoque falsum sit. Nam Solinus qui ex instituto agit de Irlandiâ ipsorum manifestè distinguit à Britanniâ. Verba Solini sunt hæc, dum de Britannia loquitur in memorabilibus mundi. *Multis Insulis nec ignobilibus circundatur* (nempe Britannia) *quarum Hibernia ei proximat magnitudine inhumana est, ritu incolarum aspero, &c.* Eodem modo Irlandiam distinguit Pomponius Mela lib. 3. *Supra Britanniam* (inquit) *Iuuerna est &c.* Vides hic distinctionem: vnde si aliquando Hiberniam inter Britannicas insulas numeratam inuenias, de nostra Scotia dictum puta. Idem reperiri est non solùm apud veteres, sed etiam apud recentiores passim, Bellarminum, Gretserum &c. quorum loca breuitatis causa omitto.

Quartum argumentum leuissimum est. Falsum enim est tales San-

ctos non esse nostrates, neque fuisse ipsorum tempore in Scotia Episcopos & Archiepiscopos. Ac in primis vt à sancto Liuino incipiamus, clarum est illum esse nostratem. Probemus hoc primò ex grauissimis authoribus. Veniat Molanus, qui ita de ipso scribit. *Sanctus Liuinus Archiepiscopus & Martyr adhuc puer in Scotiâ non modo eximiâ pietate, verùm etiam miraculis clarus fuit.* Aubertus Miræus vir omnino doctus in fastis Belgicis & Burgundicis ita loquitur. *Liuinus in Scotiâ nobili genere natus, &c.* His suffragatur Gazetus in hystoria Ecclesiastica Belgij, Massæus in chronico lib. 13. Hunterus lib. 3. de viris sanctis Scotis, Regius in calendario, & alij. 2 probatur, nam vt constat ex vita ipsius sancti Liuini habuit susceptorem è sacro fonte magnum illum Augustinum Anglorum primum Episcopum: at quomodo habuit illum susceptorem si ipse in Hibernia natus fuit, quæ Angliæ nil debet &c. 3. in eadem vita habetur illum relicta administratione Archiepiscopatus Syluano Archidiacono, discessisse ex Scotia cum sanctis Foillano, Kiliano & Elia: at constat hos nostrates esse, & in primis de sancto Foillano res est clara. Fuit enim sanctorum Fursæi & Vltani frater & Eugenij Scotorum Regis hoc nomine quarti nepos. Vide Bedam qui sanctum Fursæum ait fuisse de nobilissimo genere Scotorum. Idem testatur Ioannes Tritemius lib. 3. de viris illustribus ordinis sancti Benedicti his verbis. *Sanctus Fursæus Abbas monasterij quod Charbhesburg dicitur in prouinciâ Orientalium Anglorum natione Scotus, genere nobilissimus, verbo & actibus clarus, & signis atque miraculis egregius.* Idem denique (vt alios omittam) habet Molanus in indiculo sanctorum Belgij his verbis. *Fursæus multis annis in Scotiâ patriâ Insula verbum Dei nunciauit.* De sancto Kiliano siue Chileno (est hic diuersus ab altero Kiliano Franconiæ Apostolo) idem constat ex antiquo chronico Cameracensi Balderici, quod ita de ipso loquitur. *In vico Albiniaco est monasterium Canonicorum, sancti videlicet Kiliani, qui Scotus fuisse traditur.* Idem habet Tritemius, *Chillenus monachus & discipulus sancti Columbani, & Eustasij eius successoris, natione Scotus, vir magnæ & incomparabilis sanctitatis, &c.* Idem habet Ioannes Maior de gestis Scotorum lib. 2. cap. 7. his verbis. *Eugenij Scotorum Regis tempore sanctus Chillenus Scotus in Galliâ miraculis & vitæ sanctimoniâ claruit.* Sanctum Eliam denique Scotum fuisse probatur: nam fuit Abbas monasterij Scotorum Coloniæ sancto Pantaleoni dicati, in quo sicut in alijs non solùm nullus Hibernus Abbatis officio fungi potuit, sed nec recipi. Vide quæ superiùs diximus agentes de sancto Kiliano Franconiæ Apostolo. Vltimò hoc idem probari potest ex vita san-

cti Liuini quam scripsit sanctus Bonifacius Scotus Moguntinensium Apostolus, quæ sic se habet. *Tempore quo Calo Magnus inclytus Rex Scotorum in Christianæ religionis vir magnificus polleret virtutibus & sceptra regni, Imperialis Monarchiæ columen supernâ prouidentiâ auspicabiliter gubernaret, erat quidam Senator Scotigena nomine Theaginus ex spectabili stemmate natiuæ nobilitatis excellentissimus, ipsius Regis optimatum Princeps, & præ cunctis Aulicis suis Archialiter apicem gerens, vir strenuus, &c.* Vides hic patrem sancti Liuini fuisse Calo-Magni Scotorum Regis optimatum Principem, & consequenter sanctum Liuinum eius filium esse Scotum Adde ex Huntero Dominicani ordinis insigni Theologo lib. de Sanctis Scotis, Capsam in qua olim sacrum corpus sancti Liuini quieuit (vt à cæteris, quæ ibi erant distingueretur, & vt etiam ipsa patria vnde originem traxit, indicaretur) Leonem Scotorum stemma impressum habuisse. Quod verò obijciunt nobis Hiberni, in vita ipsius à sancto Bonifacio scripta haberi Calo-Magnum fuisse illius Scotiæ Regem, ex qua fuit sanctus Liuinus; inter omnes verò Scotiæ nostræ Reges nullum talem inueniri, nullam vim habet apud eos qui vel minimùm authores legerunt. Quis enim nescit apud authores nomina sæpissimè inueniri ita mutata & inuersa, imò etiam impressoris vel scriptoris negligentia corrupta, vt prorsus videantur scriptores de alijs loqui, quàm re vera loquantur. Plurima eius rei exempla habemus, sed ne longior sim tria vel quatuor tantum apponam. Et primum quidem ex eadem vita ex qua ipsi hoc argumentum desumunt. Nam longè à principio ait Agaliniam fuisse sancti Liuini matrem, post tamen dicit Agaluniam fuisse eius matrem. Vides quàm facilè mutentur nomina. Secundum exemplum sit de sancto Romualdo, quem Lippeloo, Mermannius, & alij, filium Dauidis Regis Scotiæ faciunt, cùm tamen re vera pater eius fuerit Donaldus siue Donoualdus Rex Scotiæ, vt rectè aduertit Cuperus Carmelita in hystoria Barbantię. Et certè nullus Rex inuenitur huius nominis tunc apud Scotos regnans, cùm tamen certò constet sanctum Romualdum Scotorum Regis filium fuisse. Hoc enim non solùm asserit Vsuardi martyrologium cum Romano, verùm etiam authores passim, R. pater Arias societatis Iesu de imitatione Christi tractatu 5. cap. 30. Arnoldus Mermannius in theatro conuersionis gentium. Lippeloo in eius vita, Regius in calendario, Baldericus Tornacensis Episcopus lib. 2. cap. 47. in chronico Cameracensi, ante 600. annos scripto his verbis. *Apud Maslinas monasterium est Canonicorum, vbi quiescit pretiosus Dei Martyr Rumoldus genere Scotus, qui vitam Eremiticam*

ducens inibi martyrizatus est, &c. R. Dominus Aubertus Miræus in fastis Belgicis & Burgundicis pagina 358. & alij passim. Hoc etiam ratio ipsa suadet, nam Archiepiscopi Mechlinienses (vt rectè notat doctissimus Miræus citatus loco etiam citato] *Insignia sua gentilitia cum insignibus regni Scotiæ mixta, vno in scuto gestant, in honorem ac memoriam sui sancti Rumoldi natione Scoti.* At in quem finem sua gentilitia cum insignibus nostræ Scotiæ mixta vno in scuto gestarent, si sanctus Rumoldus sit Hibernus. Hinc corriges illos qui sanctum Rumoldum aiunt fuisse Dublinensem Episcopum. Legendum enim est Dumblinensem, vt rectè notat in fastis Belgicis & Burgundicis Miræus. Idem etiam aduertit in geographia Ecclesiastica. *Dumblanum, ô Dumblani,* (inquit) *Vrbs est Scotiæ sub Archiepiscopo Andreapolitano.* Sanctus Rumoldus Machliniensium in Belgio patronus fuit Dumblanensis Episcopus in Scotia, non autem Dublinensis in Hibernia &c. Argumento sunt insignia regni Scotiæ, quæ suis gentilitijs in clypeo mixta: hodieque vsurpant Machlinienses Archiepiscopi. Tertium exemplum sit de sancto Malcolmo Rege Scotiæ, quem Rosiers tom. 6. stemmatum Lotharingiæ Maleonem vocat. quanta diuersitas! Quartum exemplum sit de Mariano Scoto, quem nonnulli, vt rectè notauit Dempsterus in dissertatione de sancti Bonifacij patria) Mauricum & Maurinianum vocant: & tamen Deus bone, quanta mutatio! His omnibus adde vitam sancti Liuini in Germania à sancto Bonifacio scriptam fuisse, & consequenter Germanicum nomen apponi potuisse, quod idem esset ac Scoticum. sic ipse sanctus Bonifacius, qui ante suum in Germaniam aduentum Vvinfridus dicebatur à Germanis Bonifacius est appellatus, sic etiam sanctus Fridelinus ab alijs Vvinfridus est appellatus. Multa similia adferre possem, sed breuitatis causa omitto. Et certè clarum est Calo Magnum, de quo loquitur sanctus Bonifacius fuisse Scotiæ nostræ Regem: nam in eadem vita paulò post habetur tunc Regem Irlandiæ siue Hiberniæ fuisse Ephigenium: si autem Ephigenius fuit tunc Hibernię Rex quomodo potuit eiusdem esse Rex Calo Magnus? Denique peto ab Irlandis, vt aliquem authorem mihi assignent, qui tunc dicat floruisse in illorum Irlandiâ aliquem Regem Calo-Magnum nomine. Quod verò obijciunt nobis secundò Hiberni in Scotia nostra tunc temporis non fuisse Archiepiscopos cum tamen sanctus Liuinus dicatur talis fuisse, ridiculum est: nam si hoc argumentum contra nos pugnat, profectò potiori iure contra ipsos pugnabit: nam neque in Hibernia Irlandica tunc temporis vlli fuerunt Archiepiscopatus. Siquidem vt

rectè docet Reuerendus Dominus Aubertus Miræus in notitia Patriarchatuum & Archiepiſcopatuum orbis Chriſtiani ; Eugenius tertius Archiepiſcopatus Hiberniæ anno 1151. inſtituit. Idem notat idem Miræus in faſtis Belgicis & Burgundicis pagina 667. Quod ergo vocetur Scotorum Archiepiſcopus ita intelligendum eſt, quod apud Scotos primarius & præ cæteris eminens Epiſcopus fuerit, vt toties citatus Miræus in iiſdem faſtis notat his verbis. *Vocatur autem ſanctus Liuinus Scotorum Archiepiſcopus, quod apud illos primarius & præ cæteris eminens Epiſcopus fuerit.* Vide quæ ſupra diximus agentes de Sedulio.

Quod tertio loco obiiciunt ſanctum Liuinum debere eſſe Hibernum eo quod dum in Angliam iter faceret, mare traiecerit, ridiculum eſt, & ex craſſa ignorantiâ profectum : nam certum eſt in Scotia brachium maris extare quod Forthæ æſtuarium communiter vocatur, & quod transeundum eſt ab illis qui ex Anguſia, Marria, Mernia, Buquhania, & multis alijs Scotiæ prouincijs in Angliam pergunt. Fuitque olim hoc Forthæ æſtuarium communi Scotorum & Anglorum conſenſu appellatum mare Scoticum, vt notauit Theuetus lib. 16. Coſmog. cap. 6. Et hanc etiam ob cauſam inter alias, Scotos & Pictos vocat Beda tranſmarinas gentes, vt ſupra notauimus. Et hæc de ſancto Liuino breuiter dicta ſint.

Quæres ſi Hibernia Irlandica nunquam fuit appellata Scotia, vnde factum ſit, vt tot viri docti hoc exiſtimarint. Reſpondeo ex eo factum eſſe quod cum apud authores viderent Scotiam aliquando confundi cum Hibernia exiſtimarint Hiberniam aliquando Scotiam appellatam cum tamen, vt ex dictis conſtat, potius colligere debuiſſent Scotiam nempe noſtram appellatam Hiberniam, & certè (vt rem totam concludamus) ſi Hibernia olim Scotia appellata fuit, mirum eſt non ita ne ſemel quidem à Cæſare, Solino, & alijs ita appellari.

Quod attinet ad ſanctam Brigidam, certum eſt illam ex Scotia noſtra eſſe, & non ex Irlandia, hocque ita eſſe notarunt authores ferè omnes, de quibus ad eius diem Martyrologium Romanum his verbis. *In Scotiâ ſanctę Brigidę Virginis.* Martyrium Vvandelberti his verbis.

Brigida Virgo potens Februi ſibi prima calendas
Scotorum poſcit miro celebrata fauore.

Idem habent, ne longior ſim, alia martyria & alij authores paſſim. Martyrologium Vſuardi, Petrus de Natalibus in hyſtoria Sanctorum, Iacobus Gretſerus in præfatione commentarij exegetici in sereniſſimum Iacobum magnæ Britanniæ Regem, Antonius Poſſeuinus in

apparatu

apparatu, Sigebertus Temblacensis in chron. Iacobus Gualterius in chronologiâ, Lippeloo in vitis SS. Genebrardus in chronico, Surius in vitis SS. Maffæus in chronico, R. P. Ribadineira in floribus SS. Rodulphus Bredanus, hystoria Lumbardica, Spondanus 2. tomo Epitomes Annalium Cardinalis Baronij, anno Christi 521. his verbis. *Hoc insuper anno 3. Brigida clarissima Scota virgo (cuius exiant preclaræ res gestæ) in Hiberniâ diem clausit extremum, vt tradit in chronico gentilis eius Marianus.* Sabellicus & alij vt nostros taceam & præter auctoritatem tot ac tantorum virorum, quâ S. Brigidam Scotam probauimus, probari idem potest ex facto quodam Vvalrani Archiepiscopi Coloniensis, qui olim restaurauit monasterium Scotorum Benedictinorum collapsum ac multis bonis dotauit, propterea quod sancta Brigida in cuius honorem vicinam consecrauerat parochiam, Virgo Scotica fuisset, testatur hoc totum Petrus Merffeius in annalibus Archiepis. Colonensium in Vvalramo his verbis, *Monasterium igitur Diui Martini Coloniæ restaurauit, ac bonis multis pro religiosis ex Scotia ditauit, quod S. Brigida in cuius honorem Episcopus vicinam consecrauit Parochiam, Virgo Scotica fuit.* His omnibus adde partem illius virescentis ligni [de quo in vita sanctæ) in Candida Casa in Scotiâ fuisse, cum hæresi furente religiosa omnia profanarentur, sanctumque corpus ibi etiam fuisse. Porro dicunt Hiberni illam obijsse in Hiberniâ citantes pro se antiquum illum, vt aiunt, versum.

In BurgoeDuno tumulo tumulantur in vno,
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Nihil probat, nam non sequitur illam esse Hibernam ex eo quod obierit in Hiberniâ, deinde falsum planè est illam obijsse in Hiberniâ, nam vt rectè aduertit Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis lib. 4. hyst. Scoticæ, illius sanctum corpus nostri in Canonicorum collegio Abrenethi rectè se colere semper putauerunt. Addo versum illum nullius auctoritatis esse: nam Beda qui maioris longè auctoritatis est quàm illud distichon lib. 3. hist. cap. 4. expressè ait S. Columbam humatum esse non procul à Scotiâ nostra vel Albania in Insula quæ vulgo vocatur Colinkilia, quæ Hebridum vna est, vt concedit Stanihurstus Hibernus in ennotationibus ad cap. 17. Giraldi Camerensis. Omitto Capagranium qui in vita S. Patricij expressè testatur sanctum Patricium redijsse ante obitum ex Hiberniâ Irlandica in Britanniam, eiusque sacras reliquias Glastoniæ in Angliâ asseruari. Ad hæc argumenta Irlandorum non defuerunt qui adderent ex D. Bernardo in vita sanctæ Malachiæ, [illegible] de Scotia vlteriori quam ipsi dicunt non aliam esse

quàm Irlandiam, sed quid hoc aliud est quam nugari? S. Bernardus Scotiam vlteriorem de extima Scotiæ ora dixit, ipsi de sua Irlandia di-ctum volunt. *O immanes iudices* (clamauit semel contra Irlandos Dempsterus dum hoc argumentum audiret) *sic orbi Doctorum illudetis?*

Concludo totam hanc disputationem duo aduertendo. 1. Est prodijsse catalogum quendam SS. Irlandiæ sub nomine P. Fitzimon, in quo Irlandiæ adscribuntur 464. Sancti. sed pace auctoris illius catalogi liceat me ad Aristarchi leges sincerè & sine offensione agere. Ex his præter 12. quos duplicauit, 143. liquidò Scoti sunt, Angli nonnulli, duo sola auctoritate Cambdeni, Goldasti, aut aliorum hæreticorum confirmati. 116. qui sanctorum virorum famuli tantùm, discipuli aut familiares fuerunt, non tamen sanctis adscripti. Et hinc est quod existimem authorem istius catalogi non esse P. Fitzimon, non enim permisissent suprriores Societatis Iesu ab vno è societate fabulosum quid eiusmodi & hæreticorum testimonijs quibusdam in locis tantùm confirmatum in lucem prodire. 2. Rectè ac præclarè loquutum Nicolaum Iansenium ex sacro ordine sancti Dominici in defensione Bzouij contra Cauellum Hibernum cùm conclusit, *Dicere per Scotiam intelligi Hiberniam* (Irlandicam intelligit) *tam facilè crederetur, quàm Franciam esse Germaniam.*

ADHORTATVR AVTHOR SCOTICAM IVVENTVTEM AVITÆ RELIGIONIS GRATIA DOMO EXTORREM.

ILlacrymaretur Magnus Gregorius, aut alius quiuis, cuius viscera diuini zelus honoris vtcunque morderet, si Scoticę iuuentutis manum per clarissima literarum Emporia tota Europa diffusam hodie accuratiùs circumspiceret. Enimuerò his ipsis lętissima indole iuuenibus de reliquis qui domi miserrima sorte detinentur, caperet coniecturam. Vtique veniret illi in mentem clarissimis omni sanctimonia maioribus procreatam sobolem, ipsa temporis iniquitate, atque in primis hęreseos prauis artibus tot iam annis ire transuersam: quanquam meliora nos sperare iubent, qui vt acceptæ à suis olim popularibus sanioris vsuram doctrinæ repetant, ab hæresium colluuione aliò se abduxerunt: nimirum ominis secundi sidera, quæ suo iam ortu & inusitato quo fulgent splendore virtutis reducem Postliminio fidei serenitatem portendunt. Satis heu satis! misero mortalium sanguine litatum est inferis. & ipsa quidem religio vestris, Lectissimi Iuuenes, olim maioribus acceptissi-

ma hæreseos libidine vapulat, iacet vsque dum flagitiosorum hominum deformata maleficijs: at qualis Virgo? quibus prædita dotibus? qua gratia, virtute, specie? Si modo situm & squallorem daretur excutere. Videtis vt errabunda inter Scopulos (neque enim prodire tutum) suo se luctu conficit? Auditis singultus? Vtinam exaudiatis. queritur nullo se conuictam scelere, vinculis destinari, ad necem queri. ingemiscit vestros penates in quibus magna quondam voluntate sua, pari vestro aut parentum emolumento diuersata est, laruis occupari, violari, dehonestari. Cernit quod non sine lacrymis dici, nedum videri potest, naufragantem inter pelagi procellas, timorem numinis, disrupta pietatis vela, diuulsum atque fluctuantem clauum, prope amissas melioris spei anchoras, tantù non euersam florentissimæ quondam reipublicæ carinam, susque deque omnia. Quid faciat? vocis auiumque contentione quanta potest maxima vestram implorat opem, obsecrat supplex & obtestatur, vt quod facitis, ad restaurandum splendorem suum, ad subleuandam iacentem patriam, ad recreandos virtutum exemplo & sustentandos parentes vestros sedulò vos accingatis. atque vt nonnullam ei spem à vobis effulgere credatis, hæc auorum stemmata & vultus immortali dignos laurea, quos truculenta hæresis templorum ruinis, sacrorum cinere instrumentorum, ipsorum denique Christianorum sanguine cumulatos & sepultos habuit, sua tandem vindicatos industria vobis restituit: quibus hanc epigraphen capitalibus inscribi præcepit. *Si feceritis sicut isti, eritis sicut isti.* Nimirum vt affixa vestri tholo musæi (si cõtingat subinde remissiùs agere vel oscitare, quæ humana est imbecillitas, suo vos aspectu ad officium, ad Spartam gnauiter adornandam reuocent. Neque verò ducem à vobis desiderari patitur, studio pietatis, quod animis vestris nouit interesse, hoc in primis curæ esse voluit cordique & statis temporibus pandat armaria imagines ostentet, præclara commemoret fortissimorum virorum facinora, adeptos honores exponat, proponat coronas atque commendet; quod caput est, vos ad pares conatus, vt parem auferatis gloriam vehementer hortetur. Scilicet componat hæreseos asseclas cum Palestritis hisce, diuersa illorum studia subijciat oculis: exinde doceat quàm diuersos sortiti sunt exitus, quomodo ingentem illi sibi apud Deum & homines collegerint gratiam: hi è diuerso summum sibi conflarint odium: illi quale apud mortales sui reliquerint desiderium; hi qualem indignationem: illi reipublicæ totique terrarum orbi quàm salutares extiterint, hi quàm funesti: quantam illi sibi suoque generi peperint

gloriam, hi qua ignominiæ labe se suosque fœdauerint: doceat, inquam & exaggeret quomodo illi summa cum laude & fructu vitæ præclara posteritati monimenta dederint: hi nullum aliud argumentnm reliquerint quo se inter mortales vixisse probent, quàm quo se pariter summo dignos dedecore, sed & sempiterni reos supplicij testentur, ea ratione sibi persuasit generosos vestros animos nullo negotio imitari posse ad ea virtutis & literarum studia quorum fructus meritò speretur afflictæ patriæ futurus. Vestrarum erit partium, Magnanimi iuuenes, dum in hanc rem toto pectore incumbitis, reflectere mentis aciem ad ea documenta quæ vestris animis magna illa nomina vel tacendo suggerunt: illorum aspectus eriget inclinatos animos & omnem laboris, si qua fortè inciderit, molestiam mitigabit. Esto, alij marcessent otio, sectabuntur caducos honores & auolantis elinimenta vitæ, ac profectò accipient operæ pretium: quippe breuibus illius terminis quicquid clauditur, ipsum breue sit & exiguum necesse est. Magno porro & improbo dignum labore quod in æternum sese exprrigit. Hoc sacræ quas coram videtis imagines prædicant: turpe esse seruire corpori, inertis animi atque degeneris, rerum humanarum captare bullas, quas non ante consequaris quàm inanes esse deprehendas: porro nec ante inanes animaduertas, quàm eas irriao labore sis consequutus. Itaque si quem deinceps vel laboris vel exilij pigebit, succurrat vna è multis Maria Stuarta Regina Scotorum inclyta, cuius vita quot grauissimorum fluctibus periculorum iactata fuit? meminerit illam tot annis stricto mancipatam carceri vitam tolerasse duntaxat: meminerit post tot maleuolorum hominum inuidiam, post atrcissimas calumnias, fraudes contumeliasque seruili eam securi subiecisse ceruices, augustiore dignas monili, quod nisi de tali catastrophe, nisi tnter superos acquirere nullo modo potuit. Per me licet eius necem singultu & lacrymis alij, ego gratulatione & lætitijs omnibus prosequar. Siquidem apud Christianos non qui patitur sed qui facit contumeliam miser est. Si quem vt ad propositum redeam, & finem faciam, patriæ recordatio, matris blanditiæ & alia id genus crepundia ad defectionem sollicitauerint, subibunt Regum filij qui deposita purpura nihil habuerunt antiquius quàm vt ad vilissima quæque descenderent, atque alienas plagas obirent peregrinando, quo in eum quem summo studio quæsebant beatitatis portum fœliciùs inueherentur. Non est consilium reliqua persequi: quando nec vos magnopere egetis, & vt egeatis non est, arduum ex instructissimo Pharmacopæo, quæ sit vsui medelam depromere.

tantum merito fraudatos honore iam inde a tot annis Scotiæ diuos tot vndique sanctimoni notis celeberrimos colite pro vestra virili, & propria virtute labore, atque constantia eorum munerum auctorem facile. Quid enim est ventitare prosapiam & suæ stirpis ornamenta iactare, nisi degenerem animum prodere & girate purgare non possit supinam ignauiam inertiamque confiteri, si non respondeas, morum integritate & tacita vitæ sanctimonia affectare cum laboribus coronas auorum hoc vero est efferre se se & illustrare; iuuare Remp. præstare se virum, hoc est reliquum vulgus mortalium longe transcendere, cæterum sic habere, quo remotius a parentum focis diuitiæ abitis gloriæ velificatũ, eo vos magis diuis omnibus atque in primis benignissimo assertori vestro similes euadere, quin & illius ad amplexus, & intimam amicitiam proprius accedere.

FINIS.

INDEX CAPITVM ET PARAGRAFORVM HVIVS

Primi Libri.

Prima pars.

CAPVT I § Primus.
De mundi creatione eiusdē auctore Deo.
§ 2. Quo anni tempore mundi conditor mundum produxerit 2
§ 3. An mundus sit creatus spacio 6. dierum vbi etiam hominis creatione. 3
§ 4. De dignitate creati hominis creatitam quo ad animā quā quo ad corpus. 9
cap. 2. § 2 De bonis in peccatū lapsu. 12
§ 3. De primis parentibus eorūque posteri vitati propter peccatum inflictis. 14
cap. 3. §. 1. Quanā origo & causa fuerit idololatriæ quid propriè sit? & quando nam exorta? 16
§. 2. An eosq; progressa fuerit idololatria vt Dei Ecclesiam euerterit & quanā fuerit ante Christi-aduentū Dei Ecclesia. 20
cap. 4. § 1. De incarnatione verbi Diuini, vbi etiam eiusdem veritas & Christi diuinitas scripturis & ratione probatur. 22
§. 2. De prædecatione euangelij a christo facta & num fuerit conueniens Christum Iudæis tantū & non gētibu prædicare. 25
§. 3. De vocatione gentiū apostolorumque in Varijs mundi plagis prædicatione. 26

Libri primi pars secunda.

cap. 2. § 1. De exortu hæreseon & schismatum vbi etiam de hæresibus nostri tēporis earumque propagatione per Galliam, Germaniam, Bohemiam. &c. 54
§. 2. Specialis narratio de propagatione Hæresis in Auglia. 55
Clemens. Papa VII 68
§. 3. Specialis narratio de propagatione eiusdem hæresis in Scotia. 74
Iacobus quintus Rex Scotum Paulo 3. Pontifici maximo. 75
§. 1. cap. 2. De religionibus hæreticorum in suos Principes, præsertim in Scotia contra Serenissimam Reginam Mariā, inclitam Ecclesiæ Martirē. 79
§. 2. De ministrorum & prædicantium Scotorū moribus viteq; ratione. 106
cap. 3. § 1. Antiquitas religionis catholicæ apud Scotos, eorumque in eadē constantia explicatur. 108
§. 2. Enumerantur præcipui Sāctt doctique viri qui suis natalibus Scotiā, exteros vero Gallos, Lotaringos, Germanos, Belgas, Burgundos, Anglos, Hybernos, qua doctrinâ quâ virtute illustrauarunt. 116

IANVARIVS.
1. Sancta Mathildis &c. 116
FEBRVARIVS.
1. Sancta Brigida. &c. 139
MARTIVS.
1. Sacctus Marnanus. &c. 156
APRILIS.
1. Sanctus Gilbertus &c 171
MAIVS.
1. Sanctus Vuilibaldus. &c. 187
INNIVS.
1. Sanctus Diculu ; &c. 140
IVLIVS.
1. Sanctus Rumoldus. &c. 215

AVGVSTVS.
1. Sanctus Diuma. &c. 202
SEPTEMBER.
1. Sanctus Glascianus &c. 227
OCTOBER.
1. Sanctus Priscus. &c 234
NOVEMBER.
1. Sanctus Beia. &c. 239
DECEMBER.
1. Sanctus Dardulaca. &c. 259

§. 3. *Defenditur nominatos sanctos fuisse natione Scotos* 264
Quando Scoti albionem venerint 265
Quo tempore Scoti fidē susceperint. 267
Quibus nominibus fuerit olim Scotia appellata. 271
Num a Christi temporibus Hibernia Irlandica appellata fuerit Scotia. 282
Ad hortatur author scoticam iuuentutem auitæ religionis gratia domo exterem 306

FINIS.

APPROBATIO.

Opus iſtud, cui inſcriptio eſt DE STATV HOMINIS VETERIS SIMVL AC NOVÆ ECCLESIÆ, ET INFIDELIVM CONVERSIONE, non modò vel cum generali Eccleſiæ ſententia, vel cum ſaluberimia fidei doctrina, vel cum probis moribus & vitæ ſanctimonia ſentit & conſpirat vehemenrer; ſed multa paſſim offenduntur in eo, quæ ad hiſtoriæ cum ſacræ, tũ profanæ notitiam pertinent, ſcitè eruditè commemorata, & acutè diſceptata. Tam pius proinde labor, vtilis terſus & eruditus in lucem tuto proferatur. Ita ſentimus nos Doctores Theologi Pariſienſes.

IOANNES LAISNE'

F. Leſchans Reuerdy Auguſtinenſis.